DE THEOLOGIA IURECONSULTORUM LIBRI DUO. QUORUM PRIOR QUADRAGINTA...

Johann Paul Windeck, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EM. II

13
20 C
52

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13_28. L. 17

27
B
34

27.538

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

THEOLOGIA IVRECONSVLTORVM LIBRI DVO

BIBL. SOC. IES. COLL. ROM.

Quorum Prior

Quadraginta amplius ROMANAE ECCLESIAE DOGMATA, *quæ hodie à Sectarijs oppugnantur, non ſolùm ex Canonibus & Traditione veteris Eccleſiæ, ſed etiam ex* IVSTINIANI IMPERAT. LEGIBVS *comprobat, & eas à Lutheranorum Iurecons. deprauationibus vindicat.*

Poſterior

Præcipuos Caſus recenſet, in quibus Canones Pontificij & Iura Ciuilia conueniunt, aut diſſident: & multa de Iuriſdictione Eccleſiæ tractat.

Auctore

JOANNE PAVLO VVINDECK, S. Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ Collegiatæ in oppido Marchdorff Canonico, &c.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Ex Officina Arnoldi Quentelij,
Anno M. DCIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD
REVERENDISSIMVM,
ET ILLVSTRISSIMVM SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPEM, IOANNEM ADAMVM, ABBATEM CAMPIDONENSEM,

Dominum ſuum clementiſſimum; Ioannis Pauli Windeckij, S. Theol. Doctoris, & Rectoris Eccleſiæ Collegiatæ in oppido Marchdorff,

PRÆFATIO.

NVPER in cœtu quodam clariſſimorum Virorum, Reuerendiſſime, ac Illuſtriſſime Princeps, cui, ob negotia Eccleſiæ mihi cõmiſſæ, ego quoque aderam, variæ, (vt inter literatos fieri aſſolet) ſermocinationes exortæ erant; tum de arduis fidei controuerſijs, tum de Legum ſtudijs. Ibi quidam Iuriſperitus, ob eruditionis opinionem apud ſuos magnæ exiſtimationis, ſed Lutherana tabe miſerè fœdatus, ſermonem quẽdam ſubintulit de LIBERTATE FIDEI, OMNIBVS, QVAE CVIQVE PLACERET, PERMITTENDA: ac de Pontificum CANONIBVS, præſertim ijs, quibus Eccleſiaſticorum immunitas ac Priuilegia ſulciuntur, quos à Papis, ad augenda ipſorum cõmoda, confictos eſſe aſſeuerabat, multa ſalsè & inſulsè notauit, acerbisque probris traduxit. Hîc, cùm ego ab alijs excitatus eſſem, vt pro meo tenui modulo reſponderem, ac inſultãtem nobis reprimerem; ei obieci, & regeſſi, hanc LIBERTATEM FIDEI, cuiuis impunè concedendam, ac priuilegia Eccleſiaſticorum ab eo damnata, tum ſuæ profeſſioni, tum LEGIBVS IVSTINIANEIS, quas ipſe profiteretur, repugnare. Quamobrem admonui, vt ſi LEGVM auctoritatem inuiolabilem conſeruare vellet, NON

NESTI ROMANAE ECCLESIAE *de Fide & Cleri immunitatibus doctrinam omni ſtudio & obedientia complectendam eſſe duceret. At ille paululum efferueſcente bile ſtomachari cœpit, & ſciſcitari à me, ex quo Iuſtiniani Volumine demonſtrare queam, tum* SOLIVS ROMANAE ECCLESIAE *fidei dogmata ſeruanda, tum Priuilegia Clericorum æquitati conſentanea, ac retinenda eſſe. Commodum tum mihi occurrebant ſeptem aut octo Leges Codicis Iuſtinianei, quas cùm ei regeſſiſſem, ipſius deſiderio ac interrogationi ſatisfactum eſſe arbitrabar. Antagoniſta verò clamare occœpit, me falſa allegare, & perperam Leges interpretari; easque ad Pontificiam fidem ſtabiliendam, per crines (hic enim flos erat ſuarum facetiarum) me violenter detorquere, criminatus erat. Tum præter omnem ſpem & opinionem meam clariſſimis Viris diſcedere parantibus, cœtu ſoluto, etiam inſtituta diſſertatio abrupta fuit. Ego verò, vt me huius criminationis opprobrio eximerem, expetij mihi Iuſtiniani Codicem præberi: nam è veſtigio ipſum non à me, ſed ab* ORACVLO *ſuo redargutum iri. Cùm autem is liber negaretur ad manus eſſe, meum inſtitutum ad oculum commonſtrandi, in tanta celeritate temporis, copia mihi præciſa erat. Hinc Aduerſarius mirificè exultare & triumphare incipiens, mihi inſultans, aiebat, me ad Græcas Calendas id, quod receperam, planum facturum. Cui viciſſim, multis ſpectatæ eruditionis ac virtutis hominibus audientibus, ſponſionis nexu me obſtrinxi, non ſolùm propoſita, ſed & alia amplius triginta Romanæ Eccleſiæ dogmata, me ex* SOLIS *Iuſtiniani Legibus probaturum menſis ſpatio; qui exijt abhinc diebus decem.*

Domum reuerſus, & ab amicis admonitus huius æris alieni, id diutius debere nolui. Quapropter, vt pollicitationis meæ vinculò me liberarem, id priori hoc de Iuriſconſultorum Theologia libro teſtatum facere volui. Eum de amicorum conſilio & hortatu publicandum eſſe duxi; quò Iurisconſultum eum admonerem, vt tam ſibi à noxijs, perque Leges exploſis damnatarum Sectarum erroribus CAVERET, *quàm clientibus ſuis cauſarum patrocinio probè*

probè CAVERE *nouit. Scio quidem inſolens eſſe in auribus Sectariorum Paradoxon, quòd inſtitui XL. amplius Romanæ Eccleſiæ dogmata ex Iuſtiniani Legibus comprobare. Quos amanter & officioſè rogo, vt loca à me producta diligenter inſpiciant, & accuratè perpendant. Si fucatè, & non ea, qua decet, ſynceritate, me negotium tractare comperérint, vt me criminis falſi arceſſant, per me ipſis liberum erit.*

Poſteriori Libro, (quem ex duobus prolixis Voluminibus, practicis exemplis paſſim reſperſis, olim à me de CONCORDIA *ac* DISCORDIA *Canonum & Legum conſcriptis, ſubduxi, & in hanc perbreuem Synopſin conieci)* IVRISDICTIONEM *Eccleſiæ, eiuſq́; ac Eccleſiaſticorum Priuilegia tantò fuſius perſecutus ſum, quòd ea digna cenſuerim, quæ noſtra excolerentur ac illuſtrarentur induſtria. Ea autem tantò ſtudioſius inculcare placuit, vt Sectariorum Iureconſ. altùm dormientes, è profundo lethargo tandem excitarem; vt ſi ſuæ profeſſioni ſatisfacere, & quod nominantur,* ESSE *velint, nempe* CVSTODES LEGVM; *Eccleſiaſtica* PRIVILEGIA, *quæ dudum eliminârunt, & ſepelierunt, denuò in lucem reuocent; ac priſtino loco reſtituant. Nam id non ſolùm* CANONICI, *(quod adeò deſpicatui, & odio habent) ſed &* CIVILIS *iuris* AEQVITAS, *minaciſſimæq́; pœnæ præuaricatoribus denuntiatæ, expoſtulant. Nec mihi obgânniant, ea contraria* CONSVETVDINE *apud ipſos abrogata, eiq́; iam parendum eſſe. Iniuſtiſſimè enim nobiſcum ageretur, ſi conſuetudini cedendum eſſet. Equidem ſi horum Iureconſ. recta eſſent iudicia,* CONSVETVDO *à peruetuſtis & inclytis Iuſtiniani Legibus petenda eſſet. Verùm Sectarij longè aliter agunt: quod enim à multis ipſorum ſimilibus fieri conſpiciunt,* CONSVETVDINIS IVS *mox obtinet. Atqui vix vnquam tam bene habuerunt res humanæ, vt pluribus placerent meliora. Ergo ex priuatis Sectariorum vitijs & affectibus publicus error plerumq́; factus eſt, vel potius communis ad oppugnandam Eccleſiaſticam* IVRISDICTIONEM CONSPIRATIO: *quam nunc boni iſti viri pro lege eſſe volunt. Vident qui oculos habent, non vnum mare malorum per* SECTAS *inundaſſe,*

Digitized by Google

multas ſonticas peſtes inuaſiſſe orbem; omnia in præceps ruere: vt aut prorſus res humanæ deplorandæ ſint, aut tantis malis inijcienda manus, vel potius vis afferenda. Et abigitur à Sectarijs Eccleſiæ remedium non alia ratione, niſi quia iam pridem MALIS ASSVEVERVNT. *Sed locum ſanè habeat in hominum cœtu publicus error: in regno tamen Eccleſiæ ſola cæleſtis Iuſtitia, per Spiritum S. patefacta, ſpectari debet, cui nulla annorum ſerie, nulla conſuetudine, nulla* CONIVRATIONE PRAESCRIBI *poteſt.*

Cæterùm, vtramque hanc Lucubratiunculam potiſſimum REVERENDISSIMAE & ILLVSTRISSIMAE CELSITVD. *V.æ dedicandam eſſe cenſui. Nouimus enim, quàm laudabili ſtudio & feruore,* EA *Monaſterij ſibi commiſſi, tam ſacram, quàm ciuilem* IVRISDICTIONEM *aduerſus vndique ingruentes & frementes lupos, ſartam tectam conſeruare, & defendere ſtudeat. Vt hic Tractatus, qui tam multa de* IVRISDICTIONE *Eccleſiaſtica perſequitur, Reuerēd.* CELSITVD. *V.æ, ceu eius acerrimo propugnatori, iure quodammodo nuncupari debuerit; à quo viciſſim, procul dubio patrocinium ſenties contra rabidos canes, qui eum adlatrare audebunt.*

Huc accedit, quòd certa fide percepi, Reuerēd. Illuſtriſſimamq́; AMPLITVD. *Veſtram de ſtudijs doctrinæ præclarè ſentire, eorumque laude excellere, ac literatos, & ex ijs præſertim Eccleſiaſticos, magna benignitate, humanitate, ac beneuolentia cōplecti ac proſequi. Quæ peruagata dulciſq́; fama, vt me magna voluptate perfudit, ita in certam ſpem adduxit, fore, vt hoc meum* DEDICATIONIS *ſtudium, ſimplici & candido animo ſuſceptum, R.ma* CELS. *V.a non improbaret.*

Omitto commemorare, quòd EA *genus ducit ex Nobili* RENNORVM *familia, quæ pace belloq́; clara, per tot annorum decurſus, Viros produxit permultos, Catholicam Eccleſiam defendendi Zelo flagrantes, iuſtitiæ conſeruandæ tenaces, iniquitatis vindices, & de Republic. bene meritos.*

Taceo, quòd R.ma CELSIT. *V.a delegatum ſibi perueruſtum*

Digitized by Google

ac celebre Cœnobium ſapienter & vtiliter hucuſq; adminiſtrauit; adeò vt iam ibi floreat cultus diuinus, & virtutes Monaſticæ vigeant, quæ ad vicinos gratiſſimum dulcis famæ odorem emittunt.

Sed de hiſce fortè alibi commodior erit dicendi locus, nempe in ANNALIBVS *meis* SVEVORVM ECCLESIASTICIS, & POLITICIS; *(nam ibi de V.æ* CELS. *Monaſterij origine fundatoribus, &* PRAELATIS *honorificam mentionem feci, vt debui: nam in peruetuſtis Chronicorum libris excuſis & manuſcriptis ita ſcriptum reperi) qui breui à me euulgabuntur, vnà cum* COMMENTARIIS *Bellicis, de rebus aduerſus Turcicam rabiem in* HVNGARIA *geſtis per* SERENISSIMOS ARCHIDVCES AVSTRIAE; *quos, ad magnam inclytæ Familiæ gloriam, publicandos eſſe cenſent mecum Viri plurimi, auctoritate, amplitudine, virtute, ac eruditione præcellentes.*

Accipe igitur, Humaniſſime Princeps, hoc meum vtrumq; Opuſculum, &, vt Alexander Seuerus Imperator, obiecta toga ſua, Vlpianum Iuriſconſultum aduerſus iratos milites tuebatur; ita vt R.ma CELS. *V.a hoc ſcriptum, aduerſus frementium Sectariorum Iureconſ. turbulentos clamores, ferocem intẽperiem, diroſq; calumniarum turbines, clementer defendere velit, officioſiſſimè rogo. Nam idipſum ſplendore celebratiſſimi Nominis tui illuſtratum, auctoritateq; munitum iri, nemo ambigere poterit, niſi qui Benignitatem tuam non nouit. Deus Opt. Max. te diu incolumem, ac ſuperſtitem conſeruet, Benigniſſime Præſul. Raptim ex oppido Marchdorff, a. d. 19. Septembris, Anno 1603.*

(˙.˙)

Digitized by Google

Digitized by Google

IN PRIOREM DE Iureconſultorum Theologia Librum PRAEFATIVNCVLA.

IN priori hoc de Iureconſultorum Theologia Libro conſtitui demonſtrare quadraginta amplius ROMANAE, ſeu CATHOLICAE ECCLESIAE dogmata, quæ hac turbulenta tempeſtate à Sectarijs, & eorum IVRECONSVLTIS improbantur, & ceu Verbo Dei repugnantia exploduntur, ac exibilantur, ex Iuſtiniani Cæſaris Legibus, Codice & Authenticis comprobari ac propugnari poſſe. Hiſce enim dogmatibus vt inuiolata ſua conſtet dignitas, integritas, ratio; ac quòd nemini ab ijs deflectere liceat, grauibus pœnis & Edictis à pientiſſimo Imperat. cautum eſſe, ad oculum Lectori monſtrabo. Ne verò procaces & petulantes dicacesq́; rabulæ obganniant, Iuſtiniani doctrinam FIDEI à CANONVM, ſeu Papiſtica, vt vocare ſolent, diſciplina diſſidere, vtriuſque HARMONIAM in ſingulis articulis probè & ſolidè ſibi inuicem conſtare, explanabo. Vt porrò moroſis & querulis Cenſoribus ſatisfiat, adieci S. Theologiæ conſenſum; nempe quòd ea vel Verbo Dei, vel conſentienti Traditione Eccleſiaſtica nixa, idem cum Iuſtiniani Legibus & SS. Canonibus profiteatur. Itaque Iuſtinianæa, Canonica, & Theologica hæc PARALLELA, dulcem pulcherrimumque FIDEI concentum efficiunt.

Quem laborem hiſce de cauſis ſuſcepi, & THEOLOGIAM IVRECONS. inſcripſi; PRIMÒ, vt inſanos qrundam, apud Sectas degentium, Iureconſultorum clamores frænarem, qui ſcribere non erubeſcunt, VNICVIQVE LIBERAM, quam ſectandam duxerit, impunè PERMITTENDAM ESSE RELIGIONEM, ſi modò honeſtè viuat, & Legibus Politicis obſequentem ſe præbeat. Cuius ſententiæ patronum celebris ille Iureconſ. Nicolaus Vigelius ſe vēditat, (in Præfat. Paraphraſeōn Inſtitutionum Iuſtiniani.)

Qui quia in Leges Iuſtiniani committit, (vt in hoc Libro diffuſè conuici) earum priuilegio vti non poteſt, Iuribus vulgatis.

Deinde, vt redarguerem vaniſsimum eorum Commentum, qui doctrinam Catholicorum tantùm CANONIBVS *Paparum niti, & ſtabiliri poſſe improbè calumniantur. Huius opinionis vexillum primò Lutherus erexit, qui Ius Canonicum, mirabili ſapientia & diſcretionis decoro conditum, in publico hominum aſpectu exurere impudentiſsimus Apoſtata non erubuit. Ad relegandos Canones ei mutuas operas tradunt, qui ſub ipſius ſignis ſtipendia merent Sectariorum Iureconſ. quos tamen proſcribere non poſſunt, niſi etiam Iuſtiniani, Oraculi ipſorum, Legibus nuntium remittant, vt copioſè à me demonſtratum eſt.*

Cochlæus in Commet. de Actis & ſcriptis Lutheri.

T**ERTIÒ**, *queruntur multi Iureconſ. de immodica Eccleſiaſticorum libertate, ac immunitate, & ampla Eccleſiæ iuriſdictione: & putant hoc iugum graue & intolerabile à Canonibus Politicis impoſitum eſſe. Hinc Vigelius, in Præfatione libelli de Officio Iudicis aſſerit, Pontifices per ſuos* CANONES *totum ferè Orbem ſibi ſubiugaſſe: quemadmodum Mahometes per Alcorani ſui Leges & Antiſtites tot regna ſibi ſubiecerit, quæ adhuc hodie in firma obedientia retineat. Atqui de* LIBERTATE *Eccleſiaſtica à Pontificibus leges latas, à Iuſtiniano & alijs Imperatoribus comprobatas eſſe inuenient; vt non tam de Canonibus conquerendi, quàm cum Iuſtiniani, & aliorum Impp. ſanctionibus expoſtulandi occaſionem habeant.*

QVARTÒ, *eò propenſior ad ſcribendum hoc Opuſculum animus fuit, vt retunderem Iureconſ. quorundam putidas elumbesque calumnias, qui Pontificiam, ſeu Catholicam Religionem, ceu* NOVELLAM, *& à Pontificibus Romanis confictam, euulgatis libris traducere & deſpicere non verentur. Huius verò Catholicæ doctrinæ (quam ipſi adeo exoſam omnibus reddere conantur) propaginem à Iuſtiniano deduco, qui annis abhinc mille amplius pleroſque doctrinæ noſtræ locos grauiſsimis legibus & pœnis ſanciuit. Ex eo tempore, vſque ad noſtram ætatem ſemper viguit Romano-Catholica religio. Videant igitur Sectarum Iureconſ. vbi ſuam Eccleſiam*

demon-

Digitized by Google

demonſtrare, ac ex quo angulo eruere, & in publicam lucem educere queant: cùm conſtet NOSTRAM ECCLESIAM ab Apoſtolicis vſque temporibus, per tot ſeculorum decurſus, Iuſtiniano approbante, confirmante, & propugnante, in toto Orbe terrarum floruiſſe: ipſorum verò Sectas, ab ipſo damnatas & proſcriptas eſſe.

Ne poſtremò querantur, ſe, quod religionem attinet, legibus Iuſtiniani non aſtringi, eas robuſtiſſimo circumſepiui THEOLOGIAE vallo: nam doceo, vel ex Scriptura Canonica, vel Traditione Eccleſiaſtica, Iuſtiniani & Catholicorum Orthodoxam FIDEM approbari. Quamobrem, in citandis Scriptoribus ſacris, eò nonnunquam prolixior fui, quò eorum doctrinam ad nos vſque, nunquam interrupta ſerie, promanaſſe, planũ facerẽ. Teſtimonia eorũ nominatim recitare, non operæpretiũ iudicaui: tũ quia vulgò conſtant, & facile è noſtris Scriptoribus premi queunt: tum ne tanta dictorum congerie Lectorem obruerem, eius patientiam in legendo defatigarem, libelli modum excederem, & Controuerſias Fidei, Theologico modo, copioſè tractare viderer. Nonnunquam etiam Gloſſis noſtris, obſcurioribus locis quippiam lucis attulimus.

Cùm igitur Sectarum Iureconſ. hic ceu in ſpeculo perſpiciunt, ſe proprio ipſorum gladio iugulari, & à Iuſtiniano, ad quem identidem prouocare ſolent, reuinci: dent gloriam Deo, in vetera Orthodoxæ Fidei, ac ipſiuſmet Iuſtiniani, id eſt MILLENARIAE ECCLESIAE caſtra redeant: & ceu fætidæ Harpyiæ, venenatis Sectarum dogmatibus, Theologiam, Canones & Leges in poſterum reſpergere, & fœdè contaminare deſinant.

LIBER PRIMVS THEOLOGIAE IVRECONSVLTORVM.

LOCVS I. DE TRADITIONIBVS Eccleſiaſticis: Eas obſeruandas eſſe, licet non contineantur in expreſſo Dei Verbo ſcripto.

IN Repub. ciuili eadem eſt vis CONSVETVDINVM approbatarum, & legum SCRIPTARVM. l. diuturna, ff. de legib. Hinc Cæſares ſanxerũt, quatuor Concilijs Oecumenicis primis indubitatã fidem adhibendam eſſe, licet permulta eorum Decreta in Canone Scripturarum non expreſsè contineãtur. C. de Hæretic. & Manich. l. quicunque. Eadem auctoritate COELIBATVM Clericorum & Monachorum ſtatuerunt ſeruandum eſſe, C. de Epiſc. & Cleric. l. eum qui. Item edixerunt, baptizatos ab hæreticis non rebaptizandos eſſe: (C. ne ſanctum Baptiſma.) nefas eſſe Virginibus ſacris nubere: (C. de Epiſ. & cleric. l. ſi quis.) Cantores, Lectores, Hoſtiarios, & Exorciſtas eſſe Ordines ſacros: (in Auth. de ſanct. Epiſc. §. Preſbyteros, collat. 9.) Item, Crucem ſanctam Chriſti religioſo cultu eſſe venerandam. (c. nemini liceat ſignum Saluatoris) Has TRADITIONES, licet nullis Scripturę locis directè probari queant, tamen CANONES etiam receperunt, qui idem valere iubent Conſtitutiones.

Digitized by Google

ones Eccleſiæ ſcriptas, & non ſcriptas. Diſtinct. 1. Can. conſuetudo.

CONSENTIT THEOLOGIA, non omnia de fide & moribus credenda in Canone Scripturarum contineri. 2. Epiſt. Theſſalonicenſ. 2. cap. Nicæ. Synod. 2. actione 7. Synod. 8. Can. 1. Baſil. Mag. de Spiritu ſancto, cap. 27. Epiph. hæreſi 61. S. Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. Irenæus lib. 3. cap. 2. 3. & 4. Concil. Trident. Seſſ. 4.

LOCVS II.

Symbola quatuor primorum Oecumenicorum Conciliorum, eſſe retinenda.

VNius & ſummi Dei nomen vbique celebretur. Nicænæ fidei, dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque aſſertione firmatæ obſeruantia ſemper manſura teneat. Is autem Nicænæ aſſertor fidei, & Catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt: qui omnipotentem Deum, Chriſtum & Filium Dei vno nomine confitetur: Deum de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum ſanctum, quem ex ſummo rerum parente ſperamus & accipimus, non violat: apud quem intemeratæ fidei ſenſus viget: incorruptæ TRINITATIS INDIVISA SVBSTANTIA. C. de ſumma Trinit. l. Cunctos populos. De Incarnatione & Perſona Chriſti ita ſtatuitur, contra Neſtorianos ac Eutychiſtas C. de Sũma Trinit. in Epiſt. Iuſtinian. Imp. Vno conſenſu confitemur, & glorificamus, prædicantes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, vnigenitum Filium, & Verbum Dei, & Dominum noſtrum, ante ſecula, & ſine tempore de Patre natum: in vltimis diebus deſcendiſſe de cælis: & incarnatum ex Spiritu ſancto: & ſancta atque glorioſa Virgine, & Dei genitrice Maria natum: & hominem factum, & crucifi-

„ xum: Vnum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, „ & coadorandum & glorificandum Patri, & ſancto Spi- „ ritui. Nec enim alium Deum Verbum, & alium Chri- „ ſtum cognoſcimus: ſed vnum atque eundem ipſum, „ conſubſtantialem nobis, eundem ipſum ſecundùm hu- „ manitatem paſſibilem carne: eundem ipſum impaſſi- „ bilem Deitate. Vt enim in diuinitate perfectus: ita idẽ „ ipſe & in humanitate perfectus eſt. In vna enim ſubſtã- „ tia Deitatem ſuſcipimus, & confitemur. Et quoniam „ vnigenitus Filius & Verbum Dei, ante ſecula, & ſine „ tempore de Patre natus: idem ipſe & in vltimis diebus „ deſcendens de cælis, incarnatus ex Spiritu S. & ſancta „ atque glorioſa ſemper Virgine Deigenitrice Maria, & „ homo factus eſt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, pro- „ priè & verè Deus eſt; Ideò & ſanctam atque glorioſam „ Virginem Mariam, propriè & verè Dei matrem eſſe di- „ cimus. Non quia Deus Verbum principiũ ex ipſa ſum- „ pſerit; ſed quia in vltimis diebus deſcendit de cælis: & „ ex ipſa incarnatus, & homo factus, & natus eſt: quẽ con- „ fitemur & credimus, ſicut ſcriptum eſt, conſubſtantia- „ lem eſſe Patri, ſecundùm deitatem; & conſubſtantia- „ lem nobis eundem ipſum, ſecundùm humanitatem.

CONSENTIVNT CANONES.

„ Extra. de ſumma Trinit. c. Firmiter. Credimus, & ſim- „ pliciter cõfitemur, quòd vnus eſt ſolus verus Deus, ęter- „ nus, immenſus, & incommutabilis, omnipotens & in- „ effabilis, Pater, & Filius, & Spiritus S. Tres quidem per- „ ſonæ, ſed vna eſſentia ſimplex, Creator omnium viſi- „ bilium & inuiſibilium, ſpiritualium & corporalium. „ Hæc ſancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam „ indiuidua, & ſecũdùm perſonales proprietates diſcre- „ ta. Tandem vnigenitus Dei Filius Ieſus Chriſtus à tota „ Trinitate communiter incarnatus: ex Maria ſemper „ Virgine, Spiritus S. cooperatione conceptus: verus ho- „ mo factus, ex anima rationali & humana carne com-

poſitus,

Digitized by Google

poſitus, VNA IN DVABVS NATVRIS perſona, viam "
vitæ manifeſtius demonſtrauit. Qui cùm ſecundùm di- "
uinitatem ſit immortalis, & impaſſibilis, idem ipſe ſe- "
cundùm humanitatem factus eſt mortalis, & paſſibilis. "

THEOLOGIÆ

eandem fidei profeſſionem ſuſcipit, in Nicæno & Conſtantinopolitano Symbolis.

LOCVS III.

S. Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe, & ibi fundaſſe Eccleſiam.

COd. de ſumma Trinit. l. Cunctos populos. "
Sub tali volumus religione verſari, quã di- "
uinum Petrum Apoſtolum TRADIDISSE "
ROMANIS, religio vſque adhuc, ab ipſo IN- "
SINVATA, declarat. "

Item in Authen. collat. 2. §. Vt Eccleſia Romana.
Quod igitur noſtra æternitas, ad omnipotẽtis Dei ho- "
norem, venerandæque SEDIS (ROMANAE) SVMMI "
APOSTOLI PETRI dedicauit, &c. "

CANONES.

Diſtinct. 21. Can. Quamuis. Paulus vno tẽpore, vna "
eademque die, glorioſa morte cum PETRO in vrbe "
Romana ſub Cæſare Nerone agonizans, coronatus eſt; "
& ſupradictam pariter ROMANAM Eccleſiam Chriſto "
conſecrârũt. Eſt ergo prima Apoſtoli Petri SEDES RO- "
MANA Eccleſia. "

THEOLOGIÆ.

Conſentiunt SS. Patres, qui magno conſenſu referunt, Petrum Romæ fuiſſe, & ibi Eccleſiam fundaſſe. Irenæus lib. 3. cap. 3. Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 14. Arnobius lib. 2. cont. Gentes. Epiphanius hæreſi 27. Chryſoſtomus in Pſal. 48. Oroſius lib. 7. Hiſt. cap. 6. Leo ſerm. 1. de Natali Apoſtolorum, &c.

Digitized by Google

LOCVS IV.

Sanctam Romanam Eccleſiam, & eius Antiſtitem, Romanum Pontificem eſſe CAPVT *& gubernatorem omnium Eccleſiarum.*

„ SAncimus ſecundùm earum (quatuor Oecu-
„ menicarum Synodorum) definitiones, ſan-
„ ctiſſimum ſenioris Romæ PAPAM, PRI-
„ MVM ESSE OMNIVM SACERDOTV. In Au-
„ thent. de Eccleſiaſtic. titulis, §. de regulis, collat.9.
„ In Authen. Vt Eccleſia Roman. §. Et legum, collat.2.
„ Et legum originem anterior Roma ſortita eſt, & SVM-
„ MI PONTIFICATVS APICEM apud eam eſſe, nemo
„ eſt qui dubitet.

Lib.1. Codicis, tit.1. in epiſtola Iuſtiniani Imperat. ad
Hic Papa Romę fuit Anno 536. „ Ioannem II. Papam hæc extant verba: Nec enim pa-
„ timur quidquam, quod ad Eccleſiaſticum ſtatum per-
„ tinet, quod non etiam veſtræ Sanctitati innoteſcat, quæ
„ CAPVT eſt OMNIVM ſanctarum Eccleſiarum.

Addit idem Pontifex Romanus Ioannes II. in epi-
ſtola ſua ad Iuſtinianum, quæ ibidem habetur, hæc ver-
„ ba: Eccleſiam Romanam eſſe OMNIVM verè ECCLE-
„ SIARVM CAPVT, PATRVM REGVLAE & Principũ
„ STATVTA declarant.

Hinc eniteſcunt duo Caluini mendacia. Primum eſt,
Duo Caluini mẽdacia, lib.4 Inſtit. cap.17. Phocam Imperat. Põtificibus Primatum donâſſe, cùm tamen Iuſtinianus Cæſar LXX. annis ante Phocam hoc ius in Romana Eccleſia reſidere agnouerit. Alterum eſt, veteres nunquam Rom. Eccleſiam, ceu CAPVT aliarum compellâſſe.

Præterea, ſi Romanus Pontifex non eſſet CAPVT aliorum Patriarcharum, fortè ob eminentiã Conſtantinopolitani Primatis id fiet, qui aliquando hanc dignitatis prærogatiuam ſibi arrogare præſumpſerat; at eum, tantum abeſt vt Pontifici Romano anteponat,

Digitized by Google

quin & ſubijciat, ac eius VICARIVM faciat Iuſtinianus Imperat. in Authenticis, collat. 9. tit. 6. ſiue 131. nouella Conſtitut. Ne obliuiſcantur Iureconſs. hîc, quod vulgò iactare ſolent, voluntatem Principis pro LEGE eſſe acceptandã; per eam, proculdubio, auctoritate Iuſtiniani Roma PRIMATVM retinebit. Præſertim cùm is voluerit Leges ſuas (qualis etiam hæc eſt de Primatu Papæ) ab OMNIBVS æqualiter obſeruari. C. de Legib. & Conſtitut. l. Leges.

CANONES.

Diſtinct. 21. c. Quamuis: Sancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſijs PRAELATA EST, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris noſtri PRIMATVM obtinuit: *Tu es* (inquiens) *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* In eundem ſenſum alij Canones occurrunt, Diſtinct. 22. Can. Omnes. & Can. Sacroſancta. Vide etiam Diſtinct. 23. &c.

THEOLOGIA

conſentit, quæ Pontifici Romano, ceu CAPITI, omnes Eccleſias ſubijcit. Matth. 16. Ioan. 21. Clemens in epiſt. ad Fratrem Domini, Anacletus epiſt. 1. & 2. S. Cyprianus de Vnitate Eccleſiæ: item lib. 1. epiſt. 3. & lib. 4. epiſtol. 9. Hieron. contra Luciferianos.

LOCVS V.

Romanæ Eccleſiæ DOCTRINAM *ab* OMNIBVS *populis credendam & ſeruandam eſſe, ac qui ab ea diſſentiunt, eſſe Hæreticos.*

COd. de ſumma Trinit. l. 1. Cũctos populos, quos Clemẽtiæ noſtræ regit Imperium, ſub tali volumus religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis Religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat: quamq; Ponti-

„ tificem (Romanum) DAMASVM ſequi claret: & Petrum
„ Alexandriæ Epiſcopum, &c.

Lata eſt hæc lex à Gratiano, Valentin. & Theodoſio
NB. Impp. circa annum Domini 392. Si huic legi Sectariorū Iurecconss. ſatisfacere volunt, nō niſi Romanę Eccleſiæ doctrinam profitebuntur, & omnes aliarum Sectarum errores deſerent. Ne hoc facere detrectent, nullo effugio ſibi cauere poſſunt; nam ex hac lege apparet, S. Petri primi Papæ Romani doctrinam Romanis traditā, purè & incorruptè tranſmiſſam eſſe vſque ad gubernationem Damaſi Pontificis, qui clauum Eccleſiæ ſuſcepit Anno Domini 388. Eum autem citra controuerſiam in omnibus controuerſis dogmatibus, quæ hodie contra Sectarios Catholici defendunt, ab eorum ſtare partibus, multis documentis comprobari poteſt. Nam eius Epiſtolæ, Decreta, & Libri totam modernæ Eccleſiæ Romanæ ſapiunt fidem & praxin: vt id inficias ire nimiæ impudentiæ fuerit. Quod etiam ex Hiſtoria Tripartita perſpicuè apparet. Præterea conſtat cum communione amicitiæ & doctrinæ coniunctiſſimum fuiſſe S. Hieronymo, & S. Chryſoſtomo; at hi, præ cæteris Patribus, Papiſticam (vt vocant) doctrinam accuratè tradiderunt & propugnârunt, non ſecus vt ea hodie tradi ſolet; ceu ex Scriptorum fideliter collectis & euulgatis CONFESSIONIBVS ipſorū omnibus liquet.
NB. Hinc euidenter deducimus vigore legis huius, S. Petri fidem ſuſcepiſſe & tenuiſſe Damaſum: ab eo verò noſtram fluxiſſe: ergo Catholicorum doctrina non alia eſt, quàm S. Petri doctrina, quam OMNES populi ſeruare iubentur.

„ Addunt Impp. in eadem lege: Hanc legem (Doctri-
„ nam Romanæ Eccleſiæ) ſequentes, Chriſtianorum Ca-
„ tholicorum nomen iubemus amplecti. Reliquos verò
NB. „ dementes veſanoſque iudicātes, HAERETICI dogma-
„ tis infamiam ſuſtinere, diuina primùm vindicta; poſt
etiam

etiam motu animi noſtri, quē ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione PLECTENDOS.

C. de ſumma Trinit. in Epiſt. Iuſtiniani ad Papam Ioannem II. hæc extant verba: Per vos didicerunt omnes beatiſſimi Epiſcopi, eorum, quæ ad nos relata ſunt, ſynceram veſtræ Sanctitatis DOCTRINAM.

CANONES.

Diſtinct. 22. Can. Omnes: Qui Romanæ Eccleſiæ priuilegium, ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum, auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur: & cùm ille vocetur iniuſtus, hic eſt dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduerſus illam agit, quæ eſt MATER FIDEI, & illi contumax inuenitur, qui eam cunctis Eccleſijs prætuliſſe cognoſcitur. Vnde ipſe ſanctus Ambroſius, ſe in omnibus ſequi Magiſtram S. Romanam Eccleſiam profitetur. Plura vide ibidem in ſequentibus Canonibus.

THEOLOGIA

omnibus Chriſti fidelibus, vt Romanam Eccleſiam ceu matrem fidei agnoſcant, & in eius communione perſeuerent, grauiter præcipit. B. Clemens Epiſt. 1. Anaclet. epiſt. 3. Irenæus lib. 3. cap. 3. Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. & lib. 3. epiſt. 11. lib. 4. epiſt. 8. Athanaſius cum Epiſcopp. Alexandriæ congregatis in epiſt. ad Felicem, Cōcilium Nicænum, teſte Iulio I. in Reſcripto ad Orientales.

LOCVS VI.

Omnes Orbis Eccleſias, Iuſtiniano approbante, Romanæ Eccleſiæ ſubiectas fuiſſe, & eum Pontifices titulis adhuc hodie vſitatis ſalutaſſe.

COd. lib. 1. tit. 1. de ſumma Trinit. in epiſt. ita loquitur Iuſtinianus Imp. ad Ioannem II. Papā: Reddētes honorem Apoſtolicę Sedi & veſtrę Sanctitati: quod ſemper nobis in voto fuit, & eſt, vt

Tituli Papæ.

„ eſt, vt decet, patrem honorantes veſtram Beatitudinē,
„ omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtina-
„ mus ad notitiam deferre veſtræ Sanctitatis; quoniam
„ ſemper nobis fuit magnum ſtudium, VNITATEM veſtrę
„ Apoſtolicæ Sedis, & ſtatum ſanctarum Dei Eccleſiarū
„ cuſtodire. Ideoque omnes ſacerdotes VNIVERSI ORI-
„ ENTALIS TRACTVS & SVBIICERE, & VNIRE SEDI
„ veſtræ properauimus. In præſenti ergo, quia hæc cō-
„ mota ſunt, quamuis manifeſta & indubitata ſint: & ſci-
„ licet Apoſtolicæ veſtræ Sedis doctrinam ab OMNIBVS
„ ſemper ſacerdotibus firmè cuſtoditam & prædicatam
„ ſcimus, neceſſarium duximus vt ad notitiam veſtram
„ perueniant.

„ Et infra: Omnes ſacerdotes ſanctæ Catholicæ atque
„ Apoſtolicæ Eccleſiæ, reuerendiſſimi Archimandritæ
„ ſanctorum Monaſteriorum, ſequentes Sanctitatem ve-
„ ſtram, & cuſtodientes ſtatum & VNITATEM ſanctarū
„ Dei Eccleſiarum, quam habent ab Apoſtolica veſtræ
„ Sanctitatis Sede: nihil penitus IMMVTANTES de Eccle-
„ ſiaſtico ſtatu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, vno
„ conſenſu confitemur.

„ Et paulo poſt: Omnes ergo ſacerdotes, ſequentes
„ doctrinam Apoſtolicæ Sedis veſtræ, ita credūt, & con-
„ fitentur, & prædicant. Vnde properauimus hoc ad no-
„ titiam deferre veſtræ Sanctitatis per Hippatium, & De-
„ metrium, beatiſſimos Epiſcopos, vt nec veſtram SAN-
„ CTITATEM lateat, quæ à quibuſdam paucis Monachis,
„ malè & Iudaicè ſecundùm Neſtorij perfidiam denegata
„ ſunt. Petimus ergo veſtrum paternum affectum, vt ve-
„ ſtras ad nos deſtinetis literas, & ad ſanctiſſimum Epi-
„ ſcopum huius almæ Vrbis (Cōſtantinopolitanæ,) & Pa-
„ triarcham veſtrum fratrem: quoniam & ipſe per eoſ-
„ dem ſcripſit ad veſtrā Sanctitatem, feſtinans in OMNI-
„ BVS SEQVI SEDEM Apoſtolicam BEATITVDINIS ve-
„ ſtræ. Petimus Beatitudinem veſtram orare pro nobis.

Dei

Deitas te conſeruet per multos annos SANCTE AC RELIGIOSISSIME PATER.

CANONES.

Diſtinct. 12. Can. Non decet à capite membra diſcedere: ſed, iuxta Scripturę teſtimonium, omnia membra caput ſequantur. Nulli ergo dubium eſt, quòd Apoſtolica Eccleſia mater ſit omnium Eccleſiarum: à cuius regulis nullatenus vos conuenit DEVIARE: & ſicut Dei Filius venit facere voluntatem Patris ſui; ſic & vos implete voluntatem matris veſtræ, quæ eſt Eccleſia: cuius CAPVT (vt prædictum eſt) Romana conſiſtit Eccleſia. Quicquid ergo ſine diſcretione iuſtitiæ, contra huius diſciplinam actum fuerit, ratum habere nulla ratio permittit. Clarius hoc in ſeq. Can. ſancit Gregorius Papa, omnes omninò Romanæ Eccleſię ſubiectos eſſe oportere.

Et 3. q. 6. Can. Dudum à ſanctis Apoſtolis ſucceſſoribusque eorum, in antiquis decretum eſt Statutis, (quæ hactenus ſancta & vniuerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia) non oportere præter conſcientiā Romani Pōtificis Cōcilia celebrari, vel Epiſcopū damnari; quoniā ſanctā Romanam Eccleſiam PRIMATVM omnium Eccleſiarum eſſe voluerunt. Et ſicut beatus Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum: ita Eccleſia ſuo nomini conſecrata (Domino inſtituente) prima ſit, & CAPVT cæterarum: & ad eam, quaſi ad matrem atque apicem, OMNES maiores Eccleſiæ CAVSAE & iudicia Epiſcoporum recurrant: & iuxta eius ſententiam terminum ſumant: nec extra Romanum quicquam ex his decerni debere Pontificem, &c. In eandem ſententiam extat Canon, Quis neſciat, Diſt. 11. & 3. q. 6. Can. Quamuis liceat.

THEOLOGIA

omnes Eccleſias Romanæ Eccleſiæ ſubijcit. Concilium Chalcedonenſe, Actione 1. 3. 16. In prima Synodo,

Actione 4. In ſexta, Actione 4. In ſeptima, Actione 2. In octaua, Actione 7. & Can. 21. Concil. Lateranenſ. Canon. 2. & 5. Concil. Lugdunenſe ſub Gregorio X. & Innocentio IV. in 6. Decretal. Concil. Florentinum, Concil. Trident. Seſs. 7. & 25.

LOCVS VII.

DE PONTIFICIS ROMANI PRIVILEGIIS, *& quòd ea Iuri ciuili non repugnent.*

I. Papalem poteſtatem & dignitatem praecellere Caeſarem.

CAp. Solitae, extra de Maioritate, & obedientia, Pontificalis auctoritas SOLI, & Regalis poteſtas Lunae comparatur. Huc faciunt quę SS. Patres ſcribunt de Sacerdotio, quod multis paſſibus Imperium terreſtre contendunt antecellere. Vide S. Chryſoſt. lib. 3. de dignit. Sacerdot. cap. 1. & cap. 5. & S. Ambroſium libro de dignit. Sacerdotali, capite 2.

II. Papam eſſe ſuperiorem omnibus Concilijs, & à nemine iudicari poſſe.

C. ſignificaſti, de Electione, Paſchalis Papa ante 700.
„ annos ita ſcripſit: Aiunt in Concilijs ſtatutum non in-
„ ueniri, quaſi Romanae Eccleſiae legem Concilia vlla
„ praefixerint, cùm omnia Concilia per Romanae Eccle-
„ ſię auctoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in
„ eorum ſtatutis, conſenſu Conciliorum, Pontifex non
„ ſit aſtrictus. Bonifacius VIII. in Extrauaganti, vnam,
„ ſanctam, Tit. de Maioritate & obedientia: Si deuiat, in-
„ quit, terrena poteſtas, iudicabitur à poteſtate ſpirituali.
„ Si deuiat ſpiritualis, minor à MAIORI. Si verò SVPRE-
„ MA, à Deo ſolo, non ab homine poterit iudicari. Vide

Can.

Digitized by Google

Can.Si Papa.Diſtinct.40. Hoc priuilegium confirmant multi alij Pontifices, S. Leo Epiſt. 84. ad Anaſtaſium: Gelaſius Epiſt.ad Epiſcopos Dardaniȩ:Nicolaus I.Epiſt. 1.ad Michaelem: S.Gregorius lib.9.Epiſt.39.ad Theoteſtam Patritiam.Innocent.III.Serm.2.de Conſecr. Pontificum.Et quid mirum? Cùm etiam Princeps legibus ſit ſolutus.ff.de legib.3.imperfecto: & in Auth.de Conſuli.§.fin.

III. *Papam habere poteſtatem ſuper omnia iura.*

C.1.de Conſtitutionib.lib.6.Romanus Pontifex omnia iura cenſetur habere in ſcrinio pectoris. Hoc idem ſenſerũt Honorius & Theodoſius Impp.Gloſſa in c.prȩterea,Diſt 23.dicit Papam habere omnia iura in ſcrinio pectoris PRAESVMPTIVè, ſeu per INTERPRETATIONEM. Nec mirum, cùm iuxta vulgatiſſimas leges ſub titulo ff.& c.de Legibus,Eius eſt interpretari; cuius eſt condere. Si Iuſtiniano Cæſari dicere licuit in Auth. de Conſulib.§.finali, Deum Principi LEGES ſubiecisse, & eum eſſe hominum legem animatam; cur non etiam Pontifici licet dicere, eum plenam poteſtatem habere ſuper leges? Huc faciunt,& pulchrè per conſequentiam trahi poſſunt,quæ ſcribuntur C.de le.& Conſtitut.l. digna, & C.de te.1.ex imperfecto, & ff.de le. & ſen. cõſ. l.Princeps,& de leg.3.ex imperfecto,& in Inſtit.qui moteſta.infir.§.1. Accurſ. Quod Princeps vult,hoc eſt lex, ff.de Conſtitutionib. Principum.l.1. Hoc etiam Papæ licet.

IV. *Papam nullis ſubiectum eſſe iuribus.*

25.q.1.Romana Sedes vim dat iuribus,ac nullis Papa ſubditus eſt iuribus. Idem ſentit ius Ciuile, Principem ſolutum eſſe legib. l. Princeps, ff.de legibus. Nihilominus Vrbanus,Zoſimus,Marcellus & Hormiſda Papæ in Epiſtolis Decretalib. profitentur,ſe leges Romanæ Eccleſiæ tenaciter ſeruare. Digna enim eſt vox maieſtate

regnan-

adiungere, propter eandem cauſam, ne videlicet contingeret Hæreticum, vel Schiſmaticum creari. Cæſar cùm ſentit commodum ab Eccleſia Romana, ſentiat & onus, iuxta Theorias Iurecōſſ. & iuxta aliam legem, pro arbitrio ſtatuere poteſt, qui in alium ius ſuum transfert. Item, Pacta ſunt ſeruanda. ff. de Pactis.

VIII. Papam iuſto titulo prouincias poſsidere.

Exſtat Diſtinct. 63. Conſtitutio Ludouici I. Cæſaris, Caroli Magni filij, qua Romanæ Eccleſiæ vrbem Romam, cum adiunctis ditionibus donauit: verba hæc ſunt; Ego " Ludouicus Imperator ſtatuo & concedo per hoc pa- " ctum confirmationis noſtrę, tibi beato Petro Principi " Apoſtolorum: & per te Vicario tuo, Domino Paſchali " ſummo Pontifici, & ſucceſſoribus eius in perpetuum, " ſicut à prædeceſſoribus veſtris vſque nunc in veſtra po- " teſtate & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis, ROMANAM " ciuitatem cum Ducatu ſuo, & ſuburbanis atque vicu- " lis omnibus, & territorijs eius montanis & maritimis, " littoribus & portubus, ſeu cunctis ciuitatibus, caſtellis, " oppidis, ac villis in Tuſciæ partibus. Hucuſque Ca- " non.

Papam eſſe in legitima poſſeſſione huius iuris probatur ex iure ciuili: quia per DONATIONEM iſtam Cæſaris dominium REI DATAE ſibi iure vendicat, C. de Donat. & ff eod. Tit. generaliter per totum, & maximè ff. eod. Tit. l. 1. Si dubitas de hoc Canone, exſtant Romæ harum & ſimilium donationum authentica inſtrumenta.

Papam optimo iure etiam Politicū eſſe Principem.

NB.

Ea dicuntur veritates apparentes, & probationes probatę, non probandę Bald. in l. Imperator. ff. de ſtatu ho. & in l. 2. c. quando Fiſc. vel priua. Præterea, etſi non donationis titulo poſſideret, tamen etiam 800. annorum PRAESCRIPTIONE hoc dominium Pontifex vſurpare poſſet; iuribus vulgatis, & ff de Vſucapionibus

C & Præ-

& Præſcriptionibus.Nam Pontifex per multorum ſeculorum interualla bona fide, & iuſto titulo continuè hoc ius poſſedit.Nam hę omnes conditiones requiruntur ad legitimam præſcriptionem. Vani ſunt Iurecōſſ. qui obijciunt Cæſari non licuiſſe, cùm augere deberet Imperium,non minuere,argumento l.cùm de indebito,ff.de probationibus,& actus illius ſucceſſori præiudicare nō debeat,nec poſſit,argumento l.digna vox, C.de legibus. Hi Iureconſſ. Imperio fideles eſſe videri volunt, at iuri diuino infideles eſſe comperiuntur: nam certum eſt, quæ intuitu Eccleſię ei donantur,vt inde eius ſtatus fiat melior, non amplius humanis, ſed diuinis legibus ſubiacere. Ea verò, quæ iuris diuini ſunt, (vt ſunt donationes dominiorum Eccleſiæ factæ) humanis nexibus non alligari ſanxit Iuſtinianus Imp. C. de ſacroſ.Eccleſ.l.ſancimus.Nam qui de rebus Eccleſiæ aliquid alienauerit, aut occupauerit, punitur de iure Canonico pro ſacrilego & excommunicato. c. omnes Eccleſiæ 17.q.4.Et ius ciuile ei hanc pœnam imponit,vt rem alienatam amittat, & Eccleſia eam ſibi vendicet pretio non reddito: Auth. Qui res,C.de ſacroſanct.Eccleſ.Licuiſſe autem Imperatori hoc ius in Papam transferre patet,quia is fuit dominus rei traditæ,id eſt,totius Imperij, & donationes eiuſmodi valere, conſtat ex l. Conſtantini Imper.quæ extat C.de ſacroſ. Eccleſ. Habeat,inquit, vnuſquiſque licentiam, ſanctiſſimo, Catholico venerabilique Concilio decedens, bonorum quod optauerit relinquere: & non ſint caſſa iudicia eius. Nihil eſt enim quod magis hominibus debeatur, quàm vt ſupremæ voluntatis,poſtquam iam aliud velle nō poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. Qui varias Iurecōſſ.diſceptationes de donatione Cōſtantini Magni,an ea valuerit, vel minus,auet cognoſcere; legat apud Bartolum & Baldum in prima Conſtitutione.

IX.Vacan-

Digitized by Google

IX. Vacante Imperio, Papam in adminiſtratione ſuccedere, & Imperiali vti poteſtate.

In Clement. Paſtorali de ſentent. & re iudicata, Papa " ait, nos ex ſuperioritate, quam ad Imperium non eſt " dubium nos habere, qua ex POTESTATE, inquam, VA- " CANTE Imperio, IMPERATORI SVCCEDIMVS. Idem " profitetur Innocentius III. c. licet de foro competenti. Quæ verba non ita intelligenda ſunt, vt nequiſſimus ſcurra Lutherus deprauat, in lib. cauſarum, cur Ius Canonicum combuſſerit, quaſi Pōtifex ad ſe iure HAEREDITARIO dicat Imperium pertinere; ſed quòd is ſuccedat Imperatori, non in omnibus rebus, ſed ſolùm in auctoritate iudicandi & terminandi eas cauſas, quæ à ſolo Imperatore iudicari ſolent. Cùm enim hę cauſæ non poſſint definiri per temporales Iudices, deuoluuntur ad Iudicem ſpiritualem. Vt & in alijs 4. caſibus Iudex Eccleſiaſticus poteſt ſe immiſcere ſeculari iuriſdictioni. Primò, cùm Iudex ſecularis non adminiſtrat iuſtitiam, vt in c. Licet, de foro competenti; & argumento 23. q. 5. Adminiſtratores. Deinde, cùm aliquid ambiguum fuerit & difficile, & inter Iudices variatur, in 4. Qui ſint legitimi, c. per venerabilem, circa medium. Tertiò, in omni crimine Eccleſiaſtico: puta vſura, ſacrilegio, & ſimilibus: vt vj. q. 2. c. 1. & XII. q. II. nulli liceat. Quartò, ratione connexitatis: vt in dote, Extra de donat. inter virum & vxor. c. de prudentia. Si etiam altera pars non vult Iudici parere, cauſa eiuſmodi deuoluitur ad iudicium Eccleſiæ per viam correctionis fraternæ, vt Innocent. III. docet c. Nouit, de Iudicijs.

Mendacium Lutheri.

NB.

Hęc poteſtas Papæ iuri ciuili non repugnat; nam qui in alterius locum ſuccedit, eodem iure vtitur. ff. de Succeſſionibus. Vacante autem Imperio, Papam in iuriſdictione ſuccedere, etiam Caroli IV. Bulla aurea concedit, quæ ab Imperio Romano ceu lex firmiſſima obſeruatur.

Digitized by Google

Hæc Lex hodie quidem eſt abrogata, vt notat Gloſſa xj.q.1.Can.omnes,tamē ex ea perſpicitur, quanta pietate Eccleſiam proſecuti fuerint pij Imperatores. Et in eo caſu, quem Innocentius modò poſuit,adhuc hodie valet. Quanquam huic priuilegio Theodoſiano renūtiaſſe videtur Alexander III.in cap. ſi duobus, Extra de Appellationibus,& cap.cauſam 2. Extra, qui filij legitimi,& ibid. cap.Venerabilem.

X I. Ad Papæ præceptum violentis ſeu intruſis dominis non obediendum, vt & iniqua præcipientibus.

Ita Florianus in l.ſeruitutes, ff.de ſeruitutibus,& Innoc. c.in literis, de rēſtit.ſpolia.Et Canoniſtæ in c.propoſuit de conceſs præbend.

XII. In certis caſibus Papam à Iuramento abſoluere poſſe.

C. debitores, de Iureiurando, & c. Quanto ibid. Nā & Iuramentum,quod eſt contra bonos mores, non obligat. l.quod eis, & ibi Barthol.c. de nuptijs.c.non eſt obligatorium, de Reg.iuris in VI. Deinde iuramētum metu,vel minis extortum,non obſtringit,iuxta c.ſi verò, c. Cùm contingat, de Iureiur.Neque iuramentum de peccato mortali committendo obligare poteſt, iuxta c.11. de pactis in VI. Imò quodcunque iuramentum,quod ad illicita tendit, vtroque iure nō obligat. Vt & iuramentū,quod pietatis opus excludit, non valet. l. nullum,ff.de obſequijs. Vt &, quod fit de non parendo ſuperiori, non obligat. Barthol. in l.finali,ff.ad municipia.Hinc apparet proterua calumniandi libido Sectariorum, qui Pontificem reprehendunt, quòd in certis caſibus homines à Iuramentis abſoluat. Sectariorū calumniæ.

X III. Papam vtrumque gladium, ſpiritualem & temporalem obtinere.

Summum Pontificem iure diuino habere pleniſſi-

Digitized by Google

mam poteſtatem in vniuerſum Orbem terrarũ; tum in rebus Eccleſiaſticis, tum in Politicis, docent hi Canoniſtæ. Hoſtienſis in cap. Quod ſuper his, de Voto & voti redemptione; Panormitanus in cap. nouit, de Iudicijs; Syluester in Summa de Peccatis, verbo Papa, §. 2. & alij non pauci. Quod idem Theologi nonnulli ſenſerunt, ceu Auguſtinus Triumphus in Summa de poteſtate Eccleſiæ, q. 1. artic. 1. & Aluarius Pelagius lib. 1. de Planctu Eccleſiæ, cap. 13.

Hoſtienſis etiam longius progreditur, & docet per Chriſti aduentum omne dominium Principum infidelium translatum eſſe ad Eccleſiã, & reſidere in Summo Pontifice, vt Vicario ſummi & veri Regis Chriſti, & ideo poſſe Papam regna infidelium iure ſuo donare quibus voluerit fidelium.

Catholici Theologi media incedunt via, & hanc ſententiam, ceu ad extremum declinantem, reuocant, & intra cancellos moderationis concludunt; ac tradũt Pontificem, vt Pontificem, non habere directè & immediatè vllam temporalem poteſtatem, ſed ſolùm ſpiritualem; tamen ratione ſpiritualis habere ſaltem indirectè poteſtatem quandam, eamque ſummam in temporalibus. Ita Henricus quodlibet. 6. q. 23. Ioannes Driedo lib. 2. de libertate Chriſtiana, cap. 2. Ioannes de Turre Cremata lib. 2. Summæ, cap. 113. & ſequentib. Albertus Pighius lib. 5. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Thomas VValdenſis lib. 2. Doct. fidei, art. 3. cap. 76. 77. 78. Petrus de Palude in lib. de poteſtate Eccleſiaſtica, Caietanus in Apologia cap. 13. ad 6. Franciſcus de Victoria q. 2. de poteſtate Eccleſiæ, Dominicus Soto in 4. d. 25. q. 2. art. 1.

Hæc ſententia eſt Bonifacij VIII. in Extrauaganti, Vnam, ſanctam, de Maioritate & obedientia: vbi ex arbitratu D. Bernardi lib. 4. de Conſiderat. ſibi vtrumque gladium attribuit. Verba Bernardi hæc ſunt, quæ Bonifacius imitatur: Quid tu (Papam alloquitur) denuò vſur-

vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic: *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan NVTV, etſi non tua manu euaginandus alioquin ſi nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apoſtolis: *Ecce duo gladij hic*: non reſpōdiſſet Dominus; *Satis eſt*, ſed; Nimis eſt. Vterque ergo Eccleſiæ, & Spiritualis ſcilicet GLADIVS, & MATERIALIS: ſed is quidē pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia EXERCENDVS eſt. Ille ſacerdotis, IS MILITIS MANV, ſed ſanè ad NVTVM SACERDOTIS, & iuſſum Imperatoris.

Hinc firmiter deducimus, Papā poſſe

1. Principes deponere, & alios inſtituere, ſi cum pernicie fidei Catholicæ & fidelium graſſarentur, ac tyrannidem exercerent. Poteſtas enim TEMPORALIS ſubiecta eſt Spirituali in ordine ad bonum Spirituale.
2. Leges Imperatorum religioni noxias abrogare, & iuſtitiæ ac fidei conſentaneas condere.
3. Controuerſias Regū, qui non agnoſcunt ſuperiorem, diſceptare, & de ijs ratam ſententiam ferre.
4. Exequi iuſtitiam, ſi patiatur detrimentum aut defectum.

Obiectio Iurecōſultorum.

Quæris, an præcellens hæc Papæ poteſtas etiam æquitate Iuris Ciuilis nitatur? Quidni? Si Iuſtiniano veſtro fas erat dicere: Omne ius, omnemq́ue Poteſtatem populi in Imperatorem tranſlatum eſſe, C. de veteri iure enucleando; cur non etiam eandem ſupereminentem poteſtatem Papæ tribuamus in rebus VNIVERSALIS Eccleſiæ diſponendis, qui eandem à Chriſto ſuſcepit, vt nempe PASCERET OVES eius; id eſt, ædificaret,

plan-

plantaret, deſtrueret, euelleret? Adde, quòd Principes non habent iuſtam cauſam conquerendi de gladio tẽporali Pontificis. Cùm enim ijs tradita erant Rerumpublicarum gubernacula, pacto tacito vel expreſſo ſceptra ſua ſubiecerunt Chriſto, & promiſerunt ſe Chriſti fidem, Eccleſiam Catholicam, & iuſtitiam defenſuros, etiam ſub pœna Regni perdendi: ergo quando non faciunt ſuum officium, atque promiſſis, pactis, atque conuentis teneri detrectant, vigore Pontificij gladij temporalis officio fungi, aut Principatu excidere coguntur.

Obiectio. At inquis, hoc non eſt iuris humani, vt Papa Principes in ordinẽ cogat, & imperio deturbet. Multò magis verò præpollet Ius diuinum, quod iubet veram fidem & religionem ſeruare, ac iuſtitiam adminiſtrare: Pontifici autem cura hæc commiſſa eſt, vt hæc ſarta tecta conſeruentur, & lupi à caulis ouium, ne eas diſpergant & dilacerent, repellantur.

THEOLOGIA

hæc priuilegia omnia deducit ex hiſce dictis Chriſti ad Petrum: *Quicquid ligaueris & ſolueris in terra, erit ſolutum & ligatum in cælis.* Item: *Petre paſce oues meas.* Hoc priuilegium fuit quidem perſonale, ſed publicum, non priuatum.

RESPONSIO.

AD Obiectionem Sectariorum Iureconss. de his Papæ PRIVILEGIIS.

Ad hos de præeminenti Pontificia poteſtate Canones reſpondent Sectariorum Iureconſulti, generatim ijs ſe non teneri, & huius immenſi imperij ſomnia in iure ciuili non reperiri; cuius ſolius auctoritati, & non Canonibus ad aſſentiendum ſint obſtricti. At quid ſi hac reſponſione eos à Iuſtiniano ſuo, cuius Leges, ceu Oracula, tam glorioſè detonare, ac ſubinde crepare ſolent, diſſentire, & velint nolint noſtræ ſententiæ ſubſcri-

Digitized by Google

ſcribere coactum iri, conuincere potuero? Quod nullo negotio breuiſſimis expediam.

In Authen. Quomodo oporteat Epiſcop. §. ſed etiam, collat. 1. ait ſacras Regulas (CANONES) pro LEGIBVS valere debere. Et eod. tit. ait: Bene vniuerſa geruntur & competenter, ſi rei principium fiat decens, & amabile Deo; hoc autem futurum eſſe credimus, ſi SACRARVM REGVLARVM OBSERVATIO CVSTODIATVR, quam iuſti, laudandi, & adorandi inſpectores, & miniſtri Verbi Dei tradiderunt Apoſtoli, & SANCTI PATRES cuſtodierunt, & explanârunt. Sed quid nobis cum Canonibus aiunt Sectarij? Reſpōdet Iuſtinianus in Authent. Vt Clerici apud proprios, § ſi verò, collat. 6. SACRAS & DIVINAS REGVLAS (CANONES, nam ibi de Iure Canonico & Papali loquitur) NOSTRAE SEQVI NON DEDIGNANTVR LEGES (ciuiles.) Quam ſententiā magno conſenſu Canoniſtæ ſequuntur; & ea recitatur c. vlt. in fin. Extra de ſecundis nup. & c. 1. Extra de noui oper. nun. & in c. Clerici de Iud.

LOCVS VIIJ.

Sub grauibus pœnis de fide coram vulgo non diſputandum eſſe, quibus de cauſis.

LEx eſt Martiani Imp. Lib. 1. Cod. l. Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuſlibet conditionis de Fide Chriſtiana publicè turbis coadunatis & aduenietibus tractare conetur in poſterum; ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam in contemptores huius Legis pœna non deerit; quia non ſolùm contra Fidem verè expoſitam veniunt, ſed etiam Iudæis & Paganis ex huiuſmodi certamine prophanant veneranda myſteria. Igitur ſi Clericus erit, qui PVBLICE TRACTARE de religione auſus fuerit, à conſortio Clericorum remo-

Optima Ratio huius Legis.

 uebitur,

Digitized by Google

„ uebitur, (per amiſſionem priuilegiorum:) ſi verò mi-
„ litia præditus ſit, cingulo ſpoliabitur. Cæteri etiam hu-
„ iuſmodi criminis rei, ſiquidem liberi ſint, de hac ſacra-
„ tiſſima vrbe repellantur, pro vigore Iudiciario etiam competentibus ſupplicijs ſubiugandi: ſi verò ſerui, ſeueriſſimis animaduerſionibus plectentur.

CANONES.

Canones Iuri Ciuili aſſentiuntur.

„ De Hæreticis in VI. c. Quicunque. Alexander IV. Papa
„ ait: Inhibemus, ne cuicunque laicæ perſonæ liceat pu-
„ blicè vel priuatim de Fide Catholica diſputare. Qui ve-
„ rò contra fecerit, Excommunicationis laqueo innodetur.

THEOLOGIA

idem ſentit. Vide D. Thomam 2.2. q.10. art.7.

Obiectionis Solutio.

At obijcis: Non conſultum videtur hæreticos non conuincere erroris, qui ſimpliciores ſolicitant, & eorum fidem corrumpere nituntur. Reſpondeo, ſi quis ſolida pollet eruditione Theologica, & dexteritate redarguendi hæreſes, nō ſolùm non eſt prohibitum, imò etiam neceſſarium diſputare, ne taciturnitas ſit confirmatio erroris. Huc facit l. quoniam, C. de Epiſc. & Cleric. & 23. q. 6. Vides. Coram inſtructis & firmis in Fide diſputare nihil prohibet, C. in mandatis, 43. Diſtinct. Vide quæ huc pertinent, 96 Diſtinct. nos in Gloſs. & Innocent. in c. 11. de ſumma Trinit.

LOCVS IX.

Vnam tantùm Religionem, Romano-Catholicam retinendam, & LIBERTATEM CREDENDI, ſeu varias Sectas non permittendas eſſe.

„ CVnctos populos, quos Clementiæ noſtræ re-
„ git Imperium, ſub tali volumus RELIGIONE
„ VERSARI, quam diuinum Petrum Apoſtolū
„ tradidiſſe Romanis, religio vſq; adhuc ab ipſo

INSI-

INSINVATA (docta) declarat, quamque PONTIFICEM "
Damaſum (Romanum) ſequi claret. Hanc LEGEM ſe- "
quentes Chriſtianorum CATHOLICORVM nomen iu- "
bemus amplecti. Reliquos verò dementes, veſanosque "
iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, di- "
uina primùm vindicta, poſt etiam motu animi noſtri, "
quem ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus, VLTIONE PLE- "
CTENDOS. "

C. De ſumma Trinit. l. prima, Lex eſt Imppp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij, qua libertatem credendi radicitus euulſerunt. Martianus quoque Cæſar C. eodem, l. Nemo, grauiter edicit, ne ea, quæ ſunt in Concilijs Epiſcoporum definita, quis REVOLVERE, aut de ijs publicè diſputare præſumat; tanto minus indulſit, vt quiuis crederet quod vellet. Antiquo Romanorum iure peregrinos DEOS, eorumque cultum in Vrbem introduci vetitum eſſe, nemo ignorat: id enim Ethnicorum complures teſtantur, tùm etiam Tertullianus ſcribit in Apologet. Recitat eam legem Cic. lib. 2. de Legib. quæ talis eſt: *Separatim nemo habebit Deos: neue* NOVOS, *ſed ne aduenas, niſi publicè adſcitos, priuatim colunto.* Lex eſt XII. Tabul. Quin & Mecœnas (vt Dio auctor eſt lib. 52.) non tantùm Deos peregrinos non inferendos in Vrbem, verùm etiam exteros homines, alienæ religionis cultores, ad Romanorum Deorum cultum vt colerent diris etiam ſupplicijs adigendos, Auguſto perſuaſit, eam potiſſimum rationem obtexens, vt ſecuritati Reipub. conſultum eſſet. At nec Imperatori liberum erat abſque Senatusconſulto Deos in Vrbem adſciſcere alienos, vt de Tiberio Auguſto teſtatur Tertullianus in Apologetico. NB.

Item C. de Hæretic. & Manich. l. 2. ita tres Imppp. loquuntur: *Omnes vetitæ legibus diuinis & Imperialibus Conſtitutionibus hæreſes* PERPETVO QVIESCANT: *& nemo vlterius conetur quæ reperit propha-*

Digitized by Google

na præcepta vel docere, vel diſcere, &c.

CANONES.

Extra de Hæretic. c. ad abolendam, ait Lucius III. Papa:
» Vniuerſos, qui de Sacramentis Eccleſiaſticis ALITER
» ſentire aut docere non metuunt, quàm ſacroſancta
» Romana Eccleſia prædicat & obſeruat: & generaliter
» quoſcunque eadem Romana Eccleſia, vel ſinguli Epi-
» ſcopi, per diœceſes ſuas cum conſilio clericorum, vel
» clerici ipſi ſede vacante, cum conſilio (ſi oportuerit)
» vicinorum Epiſcoporum hæreticos iudicauerint, vin-
» culo perpetui anathematis innodamus. Præſenti nihi-
» lominus ordinatione ſancimus, vt quicunque manife-
» ſtè fuerint in hæreſi deprehenſi; ſi clericus eſt, vel cu-
» iuſlibet religionis obumbratiõe fucatus, totius Eccle-
» ſiaſtici Ordinis prærogatiua nudetur: & ſic omni offi-
» cio & beneficio ſpoliatus Eccleſiaſtico, à ſecularibus
» puniatur.

Canones ſeuerè prohibent diuerſas religiones.

Et infra: Laici in his, quæ ſunt contra hæreticos inſtituta, Epiſcoporum ſubeant iudicium: & eis in hac parte, tanquam à Sedis Apoſtolicæ delegatis, non obſtantibus libertatis ſuæ PRIVILEGIIS OBSEQVANTVR.

THEOLOGIA.

Hanc quiduis credendi licentiam S. Scriptura & Patres improbant; Apocalyp. 2. Rom. 16. Galat. 5. Tit. 1. S. Auguſtinus Epiſt. 50. Complura in hanc ſententiam præclarè diſputat S. Leo Epiſt. 75. ad Leonem Auguſtum, Gelaſius II. Papa epiſt. ad Anaſtaſium Cæſarem, S. Gregorius lib. 9. epiſt. 60. ad Regem Angliæ, & lib. 11. Epiſt. 44. ad Leontiam Auguſtam, & Agatho epiſt. ad Conſtantinum IV.

Ex duobus locis refellitur LIBERTAS CREDENDI.

Hęc credendi libertas redarguitur etiam per ſequentes de SS. CONCILIIS Locos, ex Codice Iuſtinianæo excerptos. Vide etiam infra alias Leges, de Sectis, & earum miniſterijs non tolerandis.

LOCVS.

Digitized by Google

LOCVS X. DE CONCILIIS.

Decreta CONCILIORVM, *& præſertim quatuor priorum, inuiolabiliter eſſe ſeruanda, quæ ne in dubium reuocentur, & ab Hæreticis* OPPVGNENTVR, *prohibetur.*

INiuriam facit iudicio Reuerendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata ac RECTE DISPOSITA REVOLVERE, (in dubium reuocare,) & publicè diſputare contenderit. C. de Summa Trinit. l. Nemo.

C. de hæretic. & Manich. l. Quicunque: Nulli contra venerabilem Chalcedonenſem Synodum liceat vel aliquid dictare, vel ſcribere, vel edere, atque emittere; aut aliorum dicta vel ſcripta ſuper eadem re proferre. Quod ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur.

C. de ſumma Trinit. in Epiſt. Iuſtiniani: Suſcipimus SANCTA QVATVOR Concilia, id eſt trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, qui in Nicæna vrbe congregati ſunt: & centum quinquaginta ſanctorum Patrum, qui in hac regia vrbe conuenerunt: ſanctorum Patrum, qui in Epheſo primò congregati ſunt: ſanctorum Patrum, qui Chalcedone conuenerunt, ſicut noſtra Apoſtolica Sedes docet atque prædicat.

In Authent. de Eccleſiaſticis Titulis, §. 1. collat. 9. Sancimus vicem Legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor CONCILIIS expoſitæ ſunt aut firmatæ, hoc eſt, in Niceno 318, & in Conſtantinopolitano ſanctorum 150. Patrum: & in Epheſino primo, in quo Neſtorius eſt damnatus: & in Chalcedonia, in qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Præ-

Decreta Conciliorum idem valẽt quod Leges.

" dictarum enim quatuor SYNODORVM dogmata, ſicut
" SANCTAS SCRIPTVRAS accipimus, ET REGVLAS
" SICVT LEGES OBSERVAMVS.

Cùm igitur Iuſtinianus omnes ad obſeruationem quatuor primorum Conciliorum obſtrinxerit, Sectariorum Iureconſſ. cogente Iuſtiniano, credere debent. Primò, veram & realem pręſentiam Corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia: nam hoc dogma exſtat in actis Nicænæ Synodi. Deinde PRIMATVM Papæ ſuper omnes Orbis Eccleſias: nam is ei tribuitur in Concilio Nicæno, Can. 6. vt & in Concilio 2. teſte Theodoreto, lib. 5. hiſt. cap. 5. ac in Epheſino, narrante Euagrio lib. 1. hiſt. cap. 4. Tertiò, Synodus Chalcedonenſis Can. 16. coniugium interdicit Monachis, vt & Nicæna Sacerdotibus, Can. 3.

NB.

CANONES IDEM SENTIVNT.

Verba hæc ſunt D. Gregorij.

" Diſtinct. xv. Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic
" quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Ni-
" cænum ſcilicet, in quo peruerſum Arrij dogma deſtrui-
" tur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij
" & Macedonij error conuincitur: Epheſinum etiam
" primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur: Chalce-
" donenſe verò, in quo Eutychetis & Dioſcori prauitas
" eſt reprobata. Hæc tota deuotione amplector, & inte-
" gerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in
" quadrato lapide, ſanctę fidei ſtructura conſurgit, & cu-
" iuſlibet vitæ communis atque actionis norma conſiſtit.
" Et infra: Cunctas verò, quas pręfata veneranda Concilia
" perſonas reſpuunt, reſpuo: quæ venerantur, amplector.
" Quia dum vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu, ſe, non
" & illa deſtruit, quiſquis præſumit abſoluere quos ligāt,
" aut religare quos abſoluunt.

" Iterum ead. Diſtinct. Can. Sancta Romana: Sed & ſi
" quæ ſunt Concilia, à Sanctis Patribus hactenus inſtituta,
" poſt iſtorum quatuor auctoritatem, etiam cuſtodienda

& re-

Digitized by Google

& recipienda MANDAMVS,& decernimus. Et ibid.c. Ca- "
nones: Si quæ ſunt alia Concilia, quæ ſancti Patres Spi- "
ritu Dei pleni ſanxerunt, poſt iſtorum quatuor (Conci- "
liorum) auctoritates, OMNI MANEANT STABILITA "
VIGORE. "

THEOLOGIA

ſtatuit SS. Conciliorum decreta, vt Spiritus ſancti placita, eſſe tenenda. Actor. 15. & 16. Ruffinus lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 5. Damaſus in Epiſtola ad Aureliũ Carthagin. Sozom. lib. 4. cap. 18. Theodoretus lib. 1. cap. 10. Gregorius lib. 1. Epiſt. 24.

LOCVS XI. DE HÆRETICIS.

Qui ſint dicendi HAERETICI: *& quòd noſtri temporis* SECTARII *per Codicem Iuſtiniani hæreſeos ſint damnati.*

HAEreticorum vocabulo continentur, & latis aduerſus eos ſanctionibus debẽt ſuccumbere, qui vel LEVI argumento à IVDICIO CATHOLICAE religionis, & tramite detecti fuerint deuiare. C. de hæretic. & Manich. l. Omnes. Ibidem etiam l. Quicunque, aſſeritur, eos eſſe hæreticos, qui quatuor Oecumenicis Concilijs fidem adhibere detrectant. Quod idem repetitur in Authent. vt cum, de Ap. cog. §. generalem, collat. 8. Quibus præterea modis hæreticus quis dici queat, notatur extra de hæretic. c. vltimo. C de hæretic. Hæreſis nominatur publicum crimen, quod in omnium fertur iniuriam. l. 4. Cod. de hæretic. l. Damnato, vetatur, ne hæretici Chriſtiani appellentur, ſed à ſuis Hæreſiarchis & auctoribus, vt quorum ſcelera in Deo deſerendo ſunt imitati, eorum

Digitized by Google

rum etiam vocabulum ſortiantur.

NB. Oſtenditur ex Codice Iuſtiniani, noſtri temporis Sectarios eſſe hæreticos.

Manichaei damnantur Codice eod. l. Arriani; ergo ſimul etiam reprobantur Caluiniſtæ, qui cum ijs liberum impugnant hominis arbitrium. (S. Auguſtinus lib. de hæreſib. cap. 46.)

Eadem lege Donatistae cenſentur eſſe hæretici: cum quibus hodie Caluiniſtę docent, Eccleſiam viſibilem ante ipſorum aduentum de toto Orbe terrarum perijſſe, & in ſolis ipſorum cœtibus remanſiſſe. (S. Auguſtinus lib. de Vnitate Eccleſiæ, cap. 12.) & Caluinus libro 4. Inſtitut. cap. 2.

Iidem Donatiſtæ crudeliſſimè Eccleſiaſticos trucidârunt, altaria confregerunt, Eccleſias ſpoliârunt, Calices ſacros vendiderunt, Euchariſtiam canibus dederunt, ſacrum Chriſma proiecerunt. (teſte S. Auguſtino libro 2. cont. Petilianum cap. 51. & 61. lib. 3. cap. 40. & epiſt. 163. & Optato lib. 2. & 6. cont. Parmenianum.) Eadem ſcelera Caluiniſtæ hodie factitare ſolent.

Eadem lege Novatiani, & per conſequens cum ijs Caluiniſtæ hæretici appellantur, quia Sacramentum Pœnitentiæ & Chriſmatis abnegârunt. (Theodoretus libro 3. de hæreticis fabulis, & Caluinus libro 4. capite 19.)

Eadem lex Arrianos nominat hæreticos, cum quibus idem nomen merentur Caluiniſtæ, qui reijciūt Traditiones non ſcriptas, præceptores ſuos imitati. (Auguſtinus lib. 1. cap. 2. contra Maximinū. & Caluinus libr. 4. Inſtitut. cap. 8.

Eod. Cod. l. Damnato, Nestorium damnat hęreſeos, cum quo Sectarij noſtri temporis docent, in Euchariſtia non manere Corpus Chriſti, ſi ſeruetur in alteram diem. (teſte Cyrillo Epiſt. ad Caloſirium, & Caluino libro 4. Inſtitut. cap. 17.)

Cōſtat ex l. 54. de Hæretic. C. Theodoſ. Honorium Imperat. turpiſſimum Iouinianum Hæreſiarcham contuſum

ſum primò plumbo, vnà cum ſuis gregalibus damnaſſe exilio. Eius hæreſes hodie docent Sectarij: nam cum ipſo improbant votum Virginitatis, & eam Matrimonio poſtponunt, ac vitam Monaſticam damnant.

LOCVS XII.

Templa Sectarijs non concedenda, vt & Conuenticula eorum abroganda eſſe, ſub grauibus pœnis.

C. de ſumma Trinit. lege 2. ita loquitur Theodoſius Cæſar: Nullus hęreticis MINISTERIORVM LOCVS: nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiam ſi quid ſpeciali quolibet Reſcripto, per fraudem illicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratum ſit, nõ valere. Arceantur cũctorum hæreticorũ ab ILLICITIS congregationibus turbæ. Et paulo poſt: Qui verò iiſdem non inſeruiunt, deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere, & ſuis apertis criminibus denotentur; & ab omni SEMOTI Eccleſiarum limine, penitus ARCEANTVR. Cùm omnes hæreticos illicitas agere intra oppida CONGREGATIONES vetemus: ac ſi quid eruptio factioſa tentauerit, ab ipſis etiam vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus; vt cunctis Orthodoxis EPISCOPIS Catholicæ ECCLESIAE TOTO ORBE REDDANTVR. NB.

C. de hæretic. & Manich. lege 3. Cuncti hæretici procul dubio nouerint omnia ſibi LOCA adimenda, etiam ſiue ſub Eccleſiarum nomine teneantur, ſiue Diaconica appellentur, vel etiam Decanica: ſiue in priuatis domibus, vel locis, huiuſmodi COETIBVS copiam præbere videantur, his ędibus vel locis priuatis Eccleſiæ Catholicæ vendicandis. Ad hoc interdicatur his omnibus,

Digitized by Google

Mulcta impoſita Cõ-uenticulis. „ ad Letanias faciendas, noctu vel die prophanis coire
„ conuentibus, ſtatuta videlicet condemnatione centum
„ librarum auri, ſi quid huiuſmodi fieri vel in publicis, vel
„ in priuatis ædibus concedatur.

„ Eadem Conuenticula ſeuerè prohibentur etiam l.
„ Damnato cod. Cod. Nemo quibuſdam eorum, haben-
„ di CONCILII gratia, in ædibus, aut villa aut ſuburbano
„ ſuo, aut alio quolibet loco, Conuenticula clam aut a-
„ pertè præbeat; quos omnes cœtus celebrandi licentia
Pœna publicatio-nis bonorum. „ priuari ſtatuimus: ſcientibus vniuerſis, violatorem hu-
„ ius legis, PVBLICATIONE bonorum eſſe coercen-
„ dum.

„ Cod. cod. l. Quicunque, ita ſanciunt Valentinianus.
„ & Marcianus Cæſares: Apollinariſtæ, vel Eutychiani-
„ ſtæ non ECCLESIAS, non Monaſteria ſibi conſtruant,
„ & conuenticulum tam diurnum, quàm nocturnum
„ non contrahant: neque ad domum, neque ad poſſeſſi-
„ ones cuiuſquam, neque ad Monaſterium, vel quemcun-
„ que alterum locum operaturi, Sectæ funeſtiſſimæ con-
„ gregentur.

Pœna hæc confirmatur in Authent. De Interdictis Collegiis hæret. collat. 9. „ Quod ſi fecerint, & hoc factum fuiſſe domino vo-
„ lente conſtiterit, poſt rem in examine Iudicis approba-
„ tam, domum, vel poſſeſſionem eius, in qua cõuenerint,
„ vel Monaſterium, eius ciuitatis Orthodoxæ Eccleſiæ, in
„ cuius territorio eſt, iubemus addici. Si verò ignorante
Amiſſio domus. „ domino, ſciente verò eo, qui penſiones domus exigit,
„ vel actore, vel conductore prædij, conuenticulum in-
„ terdictum collegerint; conductor, vel procurator, ſiue
„ actor, vel quicunque eos in domum, vel in poſſeſſio-
„ nem, vel in Monaſterium receperint, ac paſſi fuerint il-
„ licitos CONVENTVS celebrari, ſi vilis & abiectæ ſint con-
Pœna. „ ditionis, fuſtibus publicè, & in pœnam ſuam, & in alio-
„ rum coerceantur exemplum: ſi honeſtę verò perſonę
Mulcta. „ ſunt, decem libras auri Fiſco noſtro cogantur in-
„ ferre.

Eaſi

Eaſdem pœnas ſanciunt Theodoſius & Valentinianus Cæſares, Cod. eod. l. Arriani. De priuatis ædificijs (ſtatuimus,) in quibus vnquam Domino permittente " vel conniuente conuenerint (Manichæi) venerandæ " nobis Catholicæ vindicandis Eccleſiæ: ſiue de procu- " ratore, qui hoc neſciente domino fecerit, decem libra- " rum auri mulctam; vel exilium, ſi ſit ingenuus, ſubitu- " ro: metallum verò poſt verbera, ſi ſeruilis conditionis " ſit. Ita vt nec in publicum conuenire locum, nec ſibi æ- " dificare Eccleſias poſſint, & cæt. "

C. de Epiſcop. & Clericis, l. Conuenticula illicita eti- Proſcriptionis pœna. am extra Eccleſiam, (Eccleſiaſticam religionem) in priuatis ędibus celebrari prohibemus; proſcriptionis do- " mus periculo imminente, ſi dominus eius in ea Cleri- " cos nouum ac tumultuoſum Conuenticulum extra " Eccleſiam celebrantes ſuſcepit. Hinc l. congruit, ff. de " officio Præſidis, iubetur Præſes, cùm ingreditur prouinciam, primùm omnium INQVIRERE DE SACRILEGIS, (in Conuenticula eorum, in quibus ALIA docetur à recepta religione.) Ad hoc ſpectat illud, vt Proconſul prouinciam ingreſſus, templa LVSTRET & circumeat. l. ſi in aliam, ff. de offic. Proc.

LOCVS XIII.

Sectarijs omnibus miniſterijs ſeu EXERCITIO *Sectarum interdicendum eſſe, ſub grauibus pœnis.*

C. de hæretic. & Manich. l. Quicunque Epiſco- " pos, Presbyteros, vel Diaconos, alioſque " Clericos creare & habere prohibemus, ſci- " entibus tam his Eutychianiſtis, vel Apollina- " riſtis, qui auſi fuerint cuidam Epiſcopi, vel Presbyteri, "

Priuatio omnium bonorum.

vel Clerici nomen imponere; quàm his, qui paſſi fuerint impoſitum ſibi nomen ſacerdotale retinere, pœ-
„ nam EXILII cum facultatum ſuarum amiſſione ſe ſu-
„ bituros. Et infra: Nulli inſuper Eutychianiſtæ, vel A-
„ pollinariſtæ, publicè, vel priuatim, conuocandi cœtus,
„ & circulos contrahendi, & de errore hæreticorum
„ DISPVTANDI, ac peruerſitatem facinoroſi DOGMA-
„ TIS ASSERENDI, tribuatur facultas. Et paulo poſt:

Mulcta impoſita diſcentibus.

Eos verò, qui diſcendi ſtudio adierint (hæreticos) vt de infauſta hæreſi diſputent, decem librarum auri,
„ quæ Fiſco noſtro inferendæ ſunt, iubemus ſubire diſ-
„ pendium.

„ Cod. eodem l. Omnes. Nemo vlterius conetur, quæ

Contra DOCTORES, & DISCIPVLOS.

reperit, prophana pręcepta, vel docere, vel diſcere: nec Antiſtites eorundem (hæreticorum) audeant fidem INSINVARE, quam non habeant: & MINISTROS
„ CREARE, qui non ſunt. (Qui enim Miniſter non eſt,
„ Miniſtrum creare non poteſt: vt ff. de neg. geſt. qui ali-
„ ena, §. quanquam.)

LOCVS XIV.

Sectarios omnibus PRIVILEGIIS, *ac beneficijs Ciuilibus priuandos eſſe.*

„ COd. de hæretic. & Manich. l. 1. Priuilegia, quæ
„ contemplatione RELIGIONIS indulta ſunt,
„ CATHOLICAE tantùm Legis obſeruatoribus
„ prodeſſe oportet. HAERETICOS non ſolùm
„ his PRIVILEGIIS alienos volumus, ſed ADVERSIS mu-
„ neribus conſtringi & ſubijci.

„ Ibid. l. Manichęos: Huic hominum generi, (hæreti-
„ corum) nihil ex moribus, nihil ex LEGIBVS SIT COM-
„ MVNE cum cęteris.

LOCVS

LOCVS XV.

I. Hæreticos
- Publici criminis eſſe reos, & poſt eorum mortem, in ipſos inquiſitionem inſtituendam.
- non habere poteſtatem
  - Succedendi in bona.
  - Hæreditatem adeundi.
  - Contrahendi.
  - Teſtandi.

I. Ex Theodoſij Imp. C. de hæreticis & Manichæis, Hæreticis omnibus priuilegijs ciuilibus interdicit, & permittit de crimine hæreſeos poſſe à quolibet accuſationem inſtitui: Reo damnato, publicari bona; memoriam defuncti damnari; nec ei SVCCEDERE filios, niſi ſint Catholici. Verba Legis huius Manichæos, hæc ſunt: Volumus publicum eſſe crimen (hæreſeos,) quos omnium bonorum publicatione perſequimur: ipſos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate, & ſucceſſione, quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, ac nõ emendi, non vendendi, non poſtremò contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortẽ quoque inquiſitio tendatur. Nam ſi in criminibus Maieſtatis (Cod. ad leg. Iul. Ma. l. fi.) licet memoriam accuſare defuncti, non immeritò & hic debet ſubire tale iudicium. Ergo & ſuprema illius ſcriptura irrita ſit, ſiue teſtamento, ſiue codicillo, ſiue epiſtola ſiue quolibet genere reliquerit voluntatem. Sed nec filios hæredes exiſtere aut adire permittimus, niſi à paterna prauitate deceſſerint; delicti enim veniã pœnitentibus damus.

II. Amittunt Priuilegia Dotis.

In Authen. de Priuil. Dot. collat. 8. Priuilegium do-

„ tis,(Cod.qui potior.in pign.hab. l.aſſiduis) quo mulier
„ creditoribus tempore prioribus anteponitur: nec non
„ de tacitis hypothecis, & omnia alia, lege mulieribus
„ data clauduntur his, qui CATHOLICAM non partici-
„ pant communionem.

III. Amittunt BONA.

Item Cod. de hæreticis, l. ſi qui, ſtatuitur, vt ſi in hæreticam perſonam alienentur prædia, in quibus ſunt Eccleſiæ, vel Oratoria Orthodoxæ fidei, prædia illa à Fiſco eſſe vindicanda; vt cultus diuinus ibi reparetur & conſeruetur. Legem eam, quia longiſſima eſt, ſyllabatim adſcribere ſuperſedeo.

IV. Repelluntur à Succeßionibus, & hæreditatibus.

Eod. Cod. l. Cognouimus. Iuſtinianus ſancit, vt liberi duntaxat Orthodoxi vendicent ſibi ius ſuccedendi in bonis parentum (hæreticorum,) ſiue ex teſtamento, ſiue ex inteſtato: adhæc, vt ij dotes & donationes propter nuptias petere poſſint; quibus etiam vt parentes alimenta ſubminiſtrent, compelli queant. Legis verba vide in loco citato. Authentica, vt cùm de Appellatione cognoſcitur, §. generalem, collat. 8. confirmat hanc legem, & addit; vt hæreticorum Catholici liberi retineant legitimam aliorum liberorum etiam hæreticorum; quòd ſi hi reſipuerint, eam ipſis reſtituendam eſſe, tamen abſque ratione fructuum & adminiſtrationis. At ſi liberi omnes ſint hæretici, ſucceſſionem defert proximis cognatis, & agnatis.

Lex Iuſtiniani corrigitur.

Fridericus Cæſar in Conſtitutionib. hanc legem corrigit: nam bona hæreticorum omnia Fiſco ſubijcit, ne ad eos vltra reuertantur: & filijs etiam ORTHODOXIS ſucceſſionem in bona paterna denegat; cùm longè, vt ait, grauius ſit æternam, quàm temporalem offendere maieſtatem. In Authentic. Gazaros C. de hæretic.

V. Arcentur ab actibus Iudiciarÿs.

Præ-

Præterea ad teſtimonium iudiciale contra Chriſtianos non admittitur hæreticus; at in contractibus, vel vltimis voluntatibus non repellitur, ob vtilitatem vſus neceſſarij, & ne probationum facultas præcidatur. Atque hæc eſt ſumma legis, Quonian multi, Cod. codẽ.

VI. Deueuentur EXILIO, *& excidunt poſſeſsionibus:*

L. Arriani, C. de hæreticis. Manichæi nuſquam in ſo- "
lo Romano conueniendi morandique habeant facul- "
tatem. Manichæis etiam de ciuitatibus EXPELLENDIS, "
& vltimo ſupplicio tradendis, C. legem ferimus.

In Conſtitutionib. Friderici Imp. Gazaros, Patarenos, Leoniſtas, Speroniſtas, & Arnoldiſtas, Circumciſos, & omnes hæreticos vtriuſq; ſexûs, quocunque nomine cenſeantur, perpetua damnamus infamia atque BANNIMVS. Habetur in C. de hæreticis.

In iiſdem Friderici Imp. Conſtitutionibus ita legitur: Si dominus temporalis, requiſitus & admonitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, poſt annum à tempore admonitionis elapſum, terram ipſius exponimus Catholicis occupandam; qui eam, EXTERMINATIS hæreticis, abſque vlla contradictione poſſideant, & in fidei puritate conſeruent, &c. in Authen. Si verò, C. de hæreticis.

VII. Omnibus his pœnis ſubiacent Adhærentes Hæreticorum, & ſuſpecti de hæreſi.

In Conſtitutionibus Friderici Imp. Credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautores hæreticorũ damnamus; firmiter ſtatuẽtes, vt ſi poſtquam quilibet talium fuerit EXCOMMVNICATIONE damnatus, ſatisfacere contempſerit intra annum, ex tunc ipſo iure ſit factus infamis: nec ad publica officia, ſeu conſilia, vel ad eligendũ aliquos adhiberi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, nec teſtãdi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat.

» dat. Nullus præterea ei ſuper quocunque negotio, ſed
» ipſe alijs reſpondere cogatur. Quòd ſi fortè Iudex ex-
» titerit, eius ſententia nullam obtinet firmitatem; nec
» cauſæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si verò
» Aduocatus fuerit, eius patrocinium nullatenus admit-
» tatur. Si verò tabellio, inſtrumenta confecta per ipſum
» nullius penitus ſint momenti. In Authentic. Creden-
» tes, C. de hæreticis.

» Et paulo poſt: Si qui inuenti fuerint ſola SVSPICIO-
» NE notabiles, niſi ad mandatum Eccleſiæ, iuxta conſi-
» derationem ſuſpicionis, & qualitatem perſonæ, pro-
» priam innocentiam congrua purgatione monſtraue-
» rint, tanquam infames & banniti ab omnibus habean-
» tur. Item, ſi ſic per annum permanſerint, ex tunc eos
» ſicut hæreticos condemnamus. Hæc omnia repetuntur
» & approbantur extra de Hæretic. C. Excommunicamus.
» Iſti omnes ADHAERENTES hæreticis, ijſdem pœnis ci-
» uilibus & Canonicis puniuntur; iuxta vſitatam Regu-
» lam iuris, faciens & conſentiens pari pœna plectũtur.

LOCVS XVI.

HAERETICOS à Magiſtratibus MORTIS ſupplicio eſſe afficiendos.

LEx eſt Impp. Valentiniani & Marciani, lata
circa Annum Domini 454. de hæreticis OC-
» CIDENDIS. C. de hæretic. l. quicunque. VL-
» TIMO SVPPLICIO coerceantur, qui illicita
» DOCERE tentauerint. (loquuntur ibi de hæ-
» reticis) Et Cod. eod. l. Arriani: Manichæi ciuitatibus
» expellendi, & VLTIMO SVPPLICIO tradendi.

Ex his legibus apparet, Chriſtianos Cæſares initio leniter & manſuetè egiſſe cum hæreticis, donec graſſantibus eorum erroribus, & creſcente audacia, & ipſi pœnas augere, & acuere coacti erant ad frangendam eorum

rum

rum proteruiam, & diſſipandam ac eneruandam ipſorum diſciplinam. Cùm tandem in profundum malorũ deueniſſent hæretici, & varijs pœnis politicis emendari non poſſe viderentur; neceſſitatem attulerũt Chriſtianis Magiſtratibus, ad extremum ſupplicium mortis in eos ſtatuendi; quò mundus tam noxijs erroribus & hominibus purgari poſſet, & in eo VNICA, SANA, & CATHOLICA, ac à perturbantium oppugnationibus libera Religio vigere. Paulus I. C. lib. 5. Sent. tit. 21. ita reſpondit: Qui nouas, & vſu & ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moueantur, honeſtiores deportentur, humiliores CAPITE PVNIANTVR.

LOCVS XVII.

Anabaptiſmum non permittendum, & Anabaptiſtas, ſeu Rebaptizatores, mortis ſupplicio afficiendos eſſe. Confutantur etiam Lutheranorum Iureconſſ. deprauationes.

COd. Ne ſanctum Baptiſma, l. 1. Antiſtitem, qui « ſanctitatem Baptiſmatis illicita vſurpatione « geminauerit, ſacerdotio indignum eſſe cenſe- « mus. Eorum enim condemnamus errorem, « qui Apoſtolorum præcepta calcantes, Chriſtiani no- « minis Sacramenta ſortitos, alio rurſus Baptiſmate nõ « purificant, ſed inceſtant, lauacri nomine polluentes. «

Ibid. l. 2. Si quis rebaptizare quempiam de miniſtris Catholicæ ſectæ fuerit detectus, vnà cum eo, qui piacu- lare crimen commiſit, ſi tamen criminis per ætatem capax ſit, cui perſuaſum ſit, VLTIMO SVPPLICIO « PERCELLATVR. «

Scienter rebaptizans, & rebaptizatus, punitur capite.

VVeſenbecius & Vigelius Sectariorum Iureconſſ. ridiculos ſe præbent, dum negant per VLTIMVM SVPPLICIVM hîc MORTEM denotari: nam ipſorummet

Deprauatio VVeſenbecij & Vigelij.

F Digeſtis

Digeſtis repugnant, quæ VLTIMVM SVPPLICIVM MORTEM interpretantur vt ff. de pœn. l. vltimum. Hinc etiam eniteſcit corruptela Schnedevvini VVittenbergenſis Iurecons. qui duas ſuperius allegatas leges de VLTIMO SVPPLICIO hæreticis infligendo, de EXILIO exponit. At ex qua lege euincet hic hæreticorum patronus, per VLTIMVM SVPPLICIVM, EXILIVM intelligendum eſſe? nullam proferet: at ad noſtram interpretationem corroborandã, innumeras in promptu habemus.

Nota, antiquitus hanc in Anabaptiſtas pœnam decretam, noſtris temporibus renouatam eſſe in Comitijs Imperij Romani, vt ex eorum Actis & decretis Anni 1529. & 1530. conſtat, quibus gladio in ipſos animaduerti mandatur.

Rebaptiſmum etiam impugnant CANONES.

" De Conſecrat. diſt. 4. Can. Rebaptizare hæreticum ho-
" minem, qui Sanctæ Trinitatis ſigna ſuſceperit, quę Chri-
" ſtiana tradit diſciplina, omnino peccatum eſt: rebaptizare autem Catholicum, immaniſſimum ſcelus eſt. Idẽ repetitur ead. Diſt. Can. eos quos. & 23. q. 7. Can. Quemadmodum membrum. Vide etiam extra de Apoſtatis & reiterantibus Baptiſma, c. ex literarum.

CONSENTIT ETIAM THEOLOGIA.

Scholaſtici Doctores in 4. Senten. diſt. 4. Durandus ibi q. 1. Scotus diſt. 6. q. 9. Gabriel Biel q. 2. Concilium Florentin. Trident. Seſs. 7. Can. 9. & 11. cauſam non reiterandi Baptiſmi eſſe aiunt impreſſionem characteris. Qua de ſententia, vide eoſdem in locis citatis.

LOCVS XVIII.

Hæreticorum libros ſub grauiſſimis pœnis abolendos & exurendos eſſe.

Ne:

Digitized by Google

NE impios libros nefandi & ſacrilegi Neſtorij, ad- "
uerſus venerabilem Orthodoxorum Sectam, "
decretaque ſanctiſſimi cœtus Antiſtitum Ephe- "
ſi habiti ſcriptos, HABERE, vel LEGERE, aut DESCRI- "
BERE quiſquam audeat: quos diligenti ſtudio requiri, "
ac PVBLICE COMBVRI decernimus. C. de hæretic. & "
Manich. l. Damnato. "

Eod. Cod. l. quicunque: Omnes huiuſmodi chartæ "
ac LIBRI, qui funeſtam Eutychetis & Apollinaris com- "
plexi fuerint doctrinam ſeu dogmata, incendio CON- "
CREMENTVR; vt facinoroſæ peruerſitatis veſtigia flam- "
mis combuſta pereant. Æquum namque eſt, vt imma- "
niſſima ſacrilegia par pœnæ magnitudo percellat. "

Prior Lex ſancita eſt à Theodoſio Imp. Iuniore, ſtatim poſt Epheſinam Synodum, anno Domini 435. vt Liberatus refert, cap. 10. Breuiarij. Poſteriorem tulerūt Valentinianus & Martianus Impp. ſecuti mandatum Concilij Chalcedonenſis, poſt cuius exitum hoc Edictum promulgatum fuit, circa annum Domini 456.

Additur ibid. l. Quicunque: Nemo huiuſmodi LIBROS (contra Chalcedonenſem Synodum) habere, & ſacrilega ſcriptorum audeat monimēta ſeruare. Quod ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur.

Circa annum Domini 437. prodijt lex Honorij & Theodoſij, qua ſeuerè iubentur Mathematici omnes ſuos libros, in quibus aliquid eſt aduerſum Catholicæ religioni, in oculis Epiſcoporum cremare, l. Mathematicos, C. de Epiſcopali audientia. Verba legis hæc "
ſunt: Mathematicos, ſi non parati ſunt codicibus er- "
roris proprij ſub oculis Epiſcoporum incendio concrematis, Catholicæ religionis cultui fidem tradere, nunquam ad errorem præteritum redituri, non ſolùm vrbe Romana, ſed etiam omnibus ciuitatibus pelli decernimus. Quod ſi hoc non fecerint, & contra Cle-

Digitized by Google

LOCVS XIX.

CONSENSVS Iuris ciuilis & Canonici, in omnibus pœnis, quibus coerceri debent hæretici, declaratur per XVI. Puncta.

I.

LEges ciuiles omni conſortio & commercio hæreticorum Chriſtianis interdicunt. C. de hæretic. l. Manichęos. Hoc idem Canones ſtatuunt; vt extra de Hæreticis, c. ſicut ait: Defenſores & „ receptores hæreticorũ anathemati decernimus ſubia- „ cere. Et ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in do- „ mo, vel in terra ſua tenere, FOVERE, aut negotiatio- „ nem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc pec- „ cato deceſſerit, neque ſub priuilegiorum noſtrorum „ quibuscunque indultorum obtentu, neque ſub alia „ quacunque occaſione, inter Chriſtianos accipiat ſepul- „ turam. „

II.

Leges ciuiles publicant bona hæreticorum, & ea Fiſco ſubijciunt; l. Manichæos, C. de hæretic. hoc idem Canones ſentiunt in VI. de Hæretic. c. Cùm ſecundùm: Bona hæreticorum ipſo IVRE decernimus CONFISCATA. „ Additur ibi hæc cautela: Confiſcationis huiuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per Principes aut alios dominos temporales, antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. Et ſi poſt mortem hæreticorum lata fuerit ſententia de crimine, nihilominus bona iubētur Fiſco applicari, in 6. c. 11. de Reſcriptis, & ibid. de Hæretic. c. Accuſatus.

Cautela.

Sic etiam ſtatuitur l. Manichęos, C. de hæretic.

Canones hac in re diſſident à legibus ciuilibus, quòd bona hæreticorum etiam filijs Catholicis & agnatis ſubtrahunt; vt extra de hæretic. c. vergentis, & ſecun-

matrimonium cum hæreticis contraxerũt. In Authentic. collat. 8.

Hoc etiam ratum habent Canones, qui addunt, non confiſcari dotes vxorum innocentum propter hæreſin maritorum. In vi. de Hæretic. c. Decreuit.

VI.

Leges ciuiles non permittunt hęreticis actum iudicialem exercere. C. de hæretic. l. Quoniam. Et ibi in Authentic. credentes.

Eoſdem, vt & credentes, receptatores, fautores, & defenſores eorum, ab APPELLATIONIBVS faciendis prohibent Canones. In vi. de hæretic. c. Vt inquiſitionis negotium.

VII.

Leges ciuiles ſanciunt hæreticos non poſſe inſtitui hęredes. l. Manichæos, C. de Hæretic.

Idem Canones fatentur extra de Hæretic. c. Si quis. Si quis Epiſcopus hæredes inſtituerit extraneos à conſanguinitate ſua, vel hæreticos etiam conſanguineos, aut paganos pertulerit, ſaltem poſt mortem, ei Anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei ſacerdotes nullo modo recitetur. Idem legitur in ſeq. Can.

At obijcis, cur poſt MORTEM in eum Anathema denuntiari debeat. Hoc idem ſtatuitur C. de hæretic. l. Manichæos, & 24. q. 2. ſanè profertur. Obijcis, crimina morte extinguuntur, 23. Diſt. Quorundam: 24. q. 2. c. 1. Et crimen cum pœna ſit extinctum. C. Si reus, actorque mort. fuer. l. 2. Excipitur tamẽ crimen hæreſeos, quod factum ſit in eius deteſtationem. Solutio obiectionis.

VIII.

Leges ciuiles Vaſallos hęreticorum, & quoſcunque alios ipſis OBLIGATIONE aliqua obſtrictos, vt famulos, libertos, & huiuſmodi ipſo facto LIBERANT. In Auth. C. de Hæretic.

Idem admittit Canon finalis extra de Hæretic. Abſolutos

lutos ſe nouerint à debito fidelitatis, dominij, & totius
„ obſequij, quicunque lapſis manifeſtè in hæreſin ali-
„ quo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur
„ aſtricti.

Addit Gloſſa ibid. Si quiſpiam hæreticis promiſiſſet ſoluere ſub pœna vel iuramento certo die; quòd non teneatur; quia hæc intelliguntur obligatoria tantiſper, dum quis talis permanſerit, cui communicare liceat. 2.2.q.2. Ne quis arbitretur.

IX.

Leges ciuiles nulla beneficia ciuilia hæreticis impertiuntur. l. Manichæos, C. de hæretic.

Ita etiam Canones ijs ſubtrahunt ſpiritualia beneficia, nempe Sacramenta Eccleſię, & ſepulturam, eleemoſynas aut oblationes. Extra de Hęretic. c. Excommunicamus. Et in vi. de Hęret. c. Quicunque.

X.

Leges ciuiles ſanciunt, nullum tabellionem publica inſtrumenta pro hæreticis, credentibus, fautoribus, & cæteris facere poſſe, nec Aduocatum in aliqua cauſa, vel facto eis patrocinium præſtare poſſe. In Authentic. credentes, C. de Hæretic.

Idem Canones fieri præcipiunt. Extra de Hæretic. Ca-
„ non ſi aduerſus, ita loquitur: Vobis Aduocatis & Scri-
„ niarijs firmiter inhibemus, ne hæreticis, credentibus,
„ fautoribus, vel defenſoribus eorundem, in aliquo præ-
„ ſtetis auxilium, conſilium, & fauorem. Nec eis in cauſis,
„ vel in factis, vel aliquibus litigantibus, ſub eorum exa-
„ mine veſtrum patrocinium præbeatis; & pro ipſis pu-
„ blica inſtrumenta, vel ſcripta facere nullatenus atten-
„ tetis: quod ſi præſumpſeritis, ab officio veſtro ſuſpen-
„ ſos, perpetuæ vos decernimus infamię ſubiacere.

XI.

Leges ciuiles nulla hæreſeon Exercitia ſeu miniſteria exercere permittunt. C. de Hæretic. l. Quicunque.

Itidem

Digitized by Google

Itidem Canon Excommunicamus, extra de Hęreticis, vetat, cuius hæc verba ſunt: Quia nonnulli ſub ſpecie pietatis, *virtutem eius*, iuxta quod Apoſtolus ait, *abnegantes*, auctoritatem ſibi vendicant prædicandi; cùm idem Apoſtolus dicat *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* omnes, qui prohibiti, vel non miſſi, præter auctoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel priuatim Pręḍicationis officium vſurpare præſumpſerint, Excommunicationis vinculo innodentur, & niſi quàm citius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur.

XII.

Leges ciuiles omnia Conuenticula hęreticorum abroganda eſſe ſeuerè iubent. In Authent. De interdictis colleg. hæreticorum, collat. 9.

Hoc idem fieri mandat c. Excommunicamus, Ext. de hæretic. Si quis ibidem hæreticos ſciuerit, vel aliquos occulta CONVENTICVLA celebrantes, ſeu à communi conuerſatione fidelium vita in moribus diſſidentes, eos ſtudeat Epiſcopo indicare. Ipſe autem Epiſcopus ad præſentiam ſuam conuocet accuſatos, qui niſi ſe ab obiecto reatu purgauerint, vel ſi poſt purgationem exhibitam in priſtinam fuerint relapſi perfidiam, Canonicè puniantur.

XIII.

Leges ciuiles Politicos Magiſtratus deuinciunt, vt Catholicam fidem conſeruent, ac propugnent. In Authentic. Si verò, C. de Hæretic.

Ita ſancit etiam c. Excommunicamus, Extr. de Hæretic. Si neceſſe ſit, (ait) per Cenſuras Eccleſiaſticas compellantur ſeculi Poteſtates, quibuſcunque fungantur officijs, vt ſicut reputari cupiũt, & haberi fideles, ita pro defenſione fidei præſtent iuramentum.

XIV.

Leges ciuiles pœnitentes Hæreticos in gratiam recipiunt.

Digitized by Google

piunt.l.Manichęos,C.de Hæretic.

NB. Eandem benignitatem ipſis Canones impertiuntur, ſed quatuor annexis conditionibus: de quibus ita ſtatuit c ad abolendam, Ext.de Hęretic. Hæreticus erit puniendus, niſi continuò poſt deprehenſionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem ſponte (I.) recurrere, & errorem ſuum ad arbitrium Epiſcopi publicè (II.) conſenſerit ABIVRARE, & (III.) ſatisfactionem congruam exhibere. Laicus autem, niſi ABIVRATA hæreſi, & ſatisfactione exhibita, confeſtim ad fidem confugerit Orthodoxam, ſecularis Iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem. Qui verò inuenti fuerint (IV.) ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad arbitrium Epiſcopi, iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam congrua purgatione monſtrauerint, ſimili ſententię ſubiacebunt.

Hæc publica abiuratio & reuocatio hæreſis Clericis imponitur etiam 1.q.7. Saluberrimum.

XV.

Leges ciuiles pertinacibus hæreticis pœnam gladij conſtituerunt.l.Quicunque,C.de Hæretic.

Canones, etſi in neminem mortis ſententiam pronuntiare ſoleant, tamen hanc pœnam ipſis non diſplicere facto ipſo declarant; nam hæreſeos damnatos Politicis Magiſtratibus, ex præſcripto legum, vt in eos animaduertant, tradunt puniendos. In quorum numero ſi Eccleſiaſtici ſunt, officio ſacerdotali & beneficijs prius priuantur, & ſacris exuuntur. c. ad abolendam, Ext. de Hæretic. Et in VI. de Hęretic c. Quoniam.

XVI.

RELAPSI QVI DICENDI.

RELAPSI. De RELAPSIS in hæreſin in huncmodum pronuntiant Canones, Ext. de Hæretic. c. ad abolendam. Illos „quoque, qui poſt abiurationem erroris, vel poſtquam ſe „proprij Antiſtitis examinatione purgauerint, deprehenſi fuerint in abiuratam hæreſim incidiſſe, ſecula-

rii iu-

Digitized by Google

tri iudicio ſine vlla penitus audientia decernimus relin- "
quendos. "

I. Eos in numerum RELAPSORVM etiam referũt Canones, qui poſt abiurationem hæreſis, de qua conuicti fuerant, hæreticis factis vel verbis communicant. In VI. de Hæretic. c. Accuſatus.

II. Qui vnum articulum hæreſis abiurauit, ſi poſt in alium articulum ſeparatum committit, relapſus dicitur. Ibid.

III. Abiurans in iudicio hæreſin propter vehementem præſumptionem, ſi iteratò labitur, licet non fuiſſet probatum plenè, RELAPSVS dicitur: ſecus ſi leuis erat præſumptio. Ibid.

EPILOGVS de Hæreticorum POENIS, contra Sectariorum Iureconſſ.

Has Hęreticorum pœnas ex Iure ciuili & Canonico tanto fuſius perſequi placuit, vt Iureconſſ. Weſenbecij, (in Commentarijs Iuſtinianæi Codicis,) Vigelij, (lib. de Practica forenſi,) & Scurffij, (in Voluminib. Conſiliorum) improbos clamores & inſolentem intemperiem ſedarem, qui de Canonum TYRANNIDE (ſic enim loquuntur) in hæreticis puniendis, graues promunt querelas: quos tamen ſumma ſapientia & mirabili decoro conditos, iuſtè nequeunt reprehēdere, niſi LEGES ipſorum CIVILES, (quas ceu Oracula ſuſpicere, & glorioſè crepare ſolent,) damnent. Nam ſingulas hæreticorum pœnas, à me expoſitas, mirabili Legum & Canonum CONSENSV vident eſſe comprobatas. Eant iam Epicurei Iureconſſ. & INQVISITIONEM Hiſpanicam, ceu crudelem, barbaram, & tyrannicam inuidioſè traducant; ac interim LEGES ſuas reſcindant & abnegent, quarum præſcripto & pœnis laudatiſſimum hoc & ſaluberrimum Inquiſitionis inſtitutum dirigitur, & gubernatur. Eadem Legum Ciuilium ac Canonum æquitate (quam modò expoſui) nituntur EDICTA, graui-

Digitized by Google

bus exacuta ſupplicijs, de coercendis & extirpandis hæreticis, quæ Carolus V. pientiſſimus per ditiones Belgicas, & Franciſcus I. ac Henricus II. Gallorum Reges in Regno Franciæ propoſuerunt. Iurecconſſ. qui multa in ijs carpere & deſiderare ſolent, vt Leges ſuas reprehendant, neceſſe eſt.

THEOLOGIA

quid de his pœnis ſentiat, non opus eſt multis percenſere: nam eam de puniendis hæreticis Leges & Canones conſentientes approbare, vel hoc luculento eſſe poteſt documento, quòd hæreticis omne pietatis & communionis Eccleſiaſticę negat officium, Tit. 3. 2. Ioann. 2. 2. Timoth. 2. Rom. 16. Matth. 7. Sancti quoque Patres omni hæreticorũ colloquio & conſortio Catholicis interdixerunt. Vide S. yprianum Epiſt. 3. lib. 1. S. Leonem Serm. 18. de Paſſione Domini, Irenæum libro 3. cap. 3. Theodoretum lib. 4. Hiſt. cap. 14. D. Auguſtinus multorum Imperatorum ſeueriſſimas leges in hæreticos diffusè laudat, Epiſt. 166. ad Donatiſtas.

Eoſdem etiam pœna gladij plectendos eſſe ſentit D. Gregorius, lib. 1. Epiſt. 72. ad Gennadium Exarchum, Optatus Mileuitanus libro 3. S. Bernardus Sermone 66. in Cantica, S. Leo Epiſt. 91. ad Turbium, S. Cyprianus lib. de Martyrio, cap. 5. S. Auguſtinus aliquando quidem ſenſerat, hæreticos non eſſe vi cogendos ad fidem, & ſupplicio mortis afficiendos, (lib. 2. Retractat. cap. 5. & Epiſt. 48. ac 50.) poſtea tamen retractauit hanc opinionem, & in peruulgatam noſtri temporis Theologorum ſententiam conceſſit. Vide eundem lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani, cap. 7. Tractat. 11. in Ioannem, & Epiſt. 50. ad Bonifacium.

LOCVS

Digitized by Google

LOCVS XX.

Qui CATHOLICOS *in ſuo cultu diuino perturbauerint, aut concuſſerint, grauiſsimis plectendos eſſe pœnis. Item,* CANONES *Eccleſiaſticos eſſe obſeruandos à* LAICIS, *& eorum conſtitutionem ac interpretationem ad Papam pertinere.*

IN Authentic. de ſanctis Epiſcop. collat. 11. Si " quis cùm ſacra myſteria celebrantur in ſan- " ctam Eccleſiā ingrediens, Epiſcopo, aut Cle- " ricis, aut miniſtris alijs Eccleſiæ, iniuriam ali- " quam inferat, iubemus hunc verbera ſuſtine- " re, & in exilium mitti. Si verò & hæc ſacra myſteria " CONTVRBAVERIT, aut CELEBRARI PROHIBVERIT, " CAPITALITER puniatur. Hoc ipſum & in Letanijs, in " quibus Epiſcopi aut Clerici reperiantur, cuſtodiendo. " Et, ſiquidem iniuriam ſolam fecerit, is verberibus exi- " lioque tradatur: ſi verò Letaniam concuſſerit, capitale " periculum ſuſtinebit, & vindicare iubemus non ſolùm " ciuiles, ſed etiam militares Iudices. "

Interpretationem CANONVM vel Statutorū, de quorum mente dubitatur, pertinere ad conditorem; & Canones in ſeculari foro eſſe ſeruandos, decernit l. omni Nouatione, C. de Sacroſanctis Eccleſijs, his verbis: NB. Canones priſtinos Eccleſiaſticos per omnes Illyrici " prouincias ſeruari præcipimus: vt ſi quid dubietatis " emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia viri Reue- " rēdiſſimi, ſacroſanctæ legis Antiſtitis vrbis Cōſtantino- " politanæ, CONVENTVI ſacerdotali, ſanctoque iudicio " reſeruari. Si enim Imperatori condere leges licet, & " eas ei ſoli licet interpretari, C. de Legibus, & Conſtitutionibus, l. ſi Imperialis; cur non etiam Eccleſiaſticis liceat Canones ferre, & eos interpretari? Hinc etiam

 elici-

LOCVS XXI.

Templa ideo ſanctiora eſſe alijs locis, quòd non niſi in ijs, & neutiquam in priuatis ædibus S. Miſſæ officium celebrare liceat.

ET priſcis ſancitum eſt legibus, nullam eſſe penitus licentiam, DOMI quæ SACRATISSIMA ſunt agere, ſed publicè ſincere procedere Dei culturam: & nos in præſenti hanc ponimus legem, quam cum omni cautela teneri volumus. Omnibus enim interdicimus magnæ huius ciuitatis habitatoribus, magis autem etiam totius noſtræ ditionis, in domibus ſuis habere quaſdam quaſi ORATIONVM Domus, & in his ſacra celebrare myſteria, & hinc fieri quædam Catholicæ & Apoſtolicæ traditioni extranea. Sed ſiquidem in domibus ita ſimpliciter aliqui habere putant oportere ſacra ſua, oratorijs videlicet ſolius orationis gratia, & nullatenus celebrando penitus horum quæ ſacri ſunt myſterij, hoc eis permittimus. Et infra: Domus, in quibus tale aliquid agitur, & publicè fiet, ſub ærarium noſtrum deducentur. Authen. vt in priuatis domibus, collat. 5. in Authen. de Eccleſiaſticis titulis, §. ſi quis, collat. 9. præuaricator huius legis dominium loci amittit, qui Eccleſiæ cedere debeat.

Contra Cõuenticula.

Templa eſſe loca ſanctiora alijs.

CANONES

etiam vetant in priuatis locis ſacra facere. De Conſec. Diſt. 1. Can. Vnicuique fidelium in domo ſua oratorium licet habere, & ibi orare: MISSAS autem ibi celebrare non licet. Vide plura ead. Diſt. Can. ſicut non. & Can. Hic ergo.

THEOLOGIA

conſentit, ne quis ſacra Miſſarum ſolennia alibi, quàm in locis Deo ſacratis celebrare præſumat. Quod Felix IV. Papa in Epiſt. decretali, de Eccleſiarum & altarium con-

deant, quæ ad publicas cauſas, vel ad populi oblecta- "
menta conſtructa ſunt. Cùm enim religioſæ AEDES "
(templa) non deſunt, poſſunt ibi, cōſultis prius, vt opor- "
tet, religioſiſſimis Epiſcopis, RELIQVIAS Martyrum, "
non quorundam vſurpatione, ſed arbitrio reuerendiſ- "
ſimorum Antiſtitum COLLOCARE. "

Conſtitutio hæc Leoni Imp. tribuitur, quæ emanaſ-ſe videtur circa annum Domini 465. Caluiniſtarū Iureconss. quid ad eam reſpondere poſſint, cōſiderandum relinquo.

CANONES

Reliquias Sanctorum honorificè in templis cuſtodiri iubent. De conſecrat. d. 1. Corpora Sanctorum de loco "
ad locum nullus transferre præſumat, ſine conſilio "
Principis, vel Epiſcoporū, ſanctaque Synodi licentia. "

Hic Canon editus in Concilio Moguntinenſi, habito anno 813. ad honorem non exiguum SS. Reliquiarū pertinet. Ext. de Reliquijs & Sanctorum Veneratione c. vlt. Præſenti Decreto ſtatuimus, vt antiquæ RELI- "
QVIAE amodò extra capſam nullatenus oſtendantur, "
nec exponantur venales: inuentas autem de nouo ne- "
mo PVBLICE VENERARI præſumat, niſi prius aucto- "
ritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. "

THEOLOGIA

præcipit, SS. Reliquias, ceu fontes ſalutares, in templis cum honore tractandas eſſe. Exod. 13. Deut. vlt. 4. Reg. 13. & 23. Euſeb. lib. 7. Hiſto. cap. 15. S. Baſilius in Pſal. 115. Nyſſenus oratione in Theodorum. S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum Apoſtatā. Euſebius Emiſſenus Homilia de ſancta Blandina. S. Cyrillus Catecheſi 18. S. Chryſoſtomus Ser de Sanctis Iuuentio & Maximo, & Homilia 61. ad populum. Theodoretus lib. 8. ad Græcos de Martyribus. Damaſcenus lib. 4. cap. 16. de fide. S. Ambroſius Serm. 93. de Sanctis Nazario & Celſo in fine. S. Paulinus Natali 3. ſancti Felicis. Prudentius in

Digitized by Google

Hymno de S. Laurentio. S. Hieronymus lib. contra Vigilantium. S. Auguſtinus epiſt. 103. ad Quintianum. S. Leo Serm. de S. Laurentio. S. Gregorius lib. 5. epiſt. 50. ad Palladium, &c.

LOCVS XXIIJ.

Signum S. Crucis in templis habendum, & religioſo cultu venerandum eſſe; cum confutatione Lutheranorum Iureconſſ.

Signum Crucis non debere ſculpi vel pingi in loco, qui poſſit pedibus calcari, ſancitur in C. quòd nemini liceat ſignum Saluatoris, &c. Tit. 8. lib. 1. Codic. Cùm ſit nobis cura dili-
» gens per omnia ſuperni numinis religionem tueri, ſi-
» gnum Saluatoris Chriſti (CRVCEM,) nemini licere vel
» in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis
» inſculpere, vel pingere, ſed vbicunq; reperitur TOLLI,
» grauiſſima pœna (mortis, vt exponit Gloſſa) mulctādo
» eum, qui CONTRARIVM ſtatutis noſtris tentauerit, ſpe-
» cialiter imperamus.

Auctores legis huius (promulgatæ circa annum Domini 391.) Theodoſius & Valentinianus Impp. ſi hodie viuerent, grauiſſimas pœnas (vt ſanxerunt) exigerent de Sectariorum Iureconſs. qui Crucem Chriſti nō modò fœdè conſpuūt, & pedibus calcant, ſed & flammis abſumere iubent, aut alijs indignis modis irreuerenter tractari permittunt.

Deprauatio huius legis vindicatur & detegitur.

Ab iiſdem Legiſlatoribus etiam grauiter mulctarentur, ac criminis falſi damnarentur quidam Caluiniſtarum Iureconſulti, (quorum de numero eſt Franciſcus Hottomannus) qui hanc legem ita corruperunt, quaſi

NB. ea prohiberet imaginem Crucis in marmora incidi, vel alio modo ſculpi, aut pingi: cùm hæc lex ſalutare ſignum Crucis humi TANTVM vetet ſculpi, vel pingi, ne irreli-

Digitized by Google

irreligioſè pedibus tereretur. Itaq; hanc legē,quæ ſummam reuerentiam ſacro ſigno cōciliat, iſti execrabiles falſarij ad eius deſpectum detorquent. Erubeſcimus ſine lege loqui,ait ille: at noui iſti Leguleij & feroces rabulæ non erubeſcunt cum lege blaſphemè, deprauatè, & falſariè loqui.

In Authen.de Sanctis Epiſc.§.ſi quis cum,collat.9.Laicis facere Litanias interdicimus ſine Clericis, quæ ſine orationibus & CRVCE fieri non debent. "

In Authent.de Eccleſ.titulis,§.ſi quis,collat.9. Si quis voluerit fabricare venerabile Oratorium aut Monaſterium, non aliter inchoabit, niſi locorū Epiſcopus orationem ibi fecerit,& VENERABILEM fixerit CRVCEM. "

Hoccine eſt, heus Hottomanne, figuram Crucis abolere, è templis eliminare, aut vetare, ne ea ſculpatur aut pingatur? Sed adhuc fortiori te nodo conſtringam ex Auth. de Monachis,in initio,collat.1.Epiſcopus per orationem LOCVM (templum) CONSECRET Deo, FIGENS in eo ſalutis noſtræ SIGNVM: dicimus autem ADORANDAM,& honorandam VERE CRVCEM. "

NB. Crux adoranda.

Concludo ergo contra Hottomannum, id quod contra legem fit,pro infecto habendū eſſe. C.de ſanct. Eccleſ.l.iubemus.

CANONES

imaginibus Sanctorum,& per conſequens etiam ſanctę CRVCIS, honorem deferunt, & in templis collocari nullibi vetant. Qua de re ita loquitur Can.Perlatum, Diſtinct.3. Quòd eas (imagines)adorari vetuiſti laudamus; fregiſſe verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum eſſe ſacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti; aliud enim eſt picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere,&c. "

Ibid.in ſeq.Can.Venerabiles imagines Chriſtiani nō Deos appellant, neque ſeruiunt ijs vt Dijs, neque ſpem ſalutis ponunt in ijs, ſed ad memoriam & recordatio- "

Digitized by Google

nem primitiuorum VENERANTVR eas, & ADORANT.

THEOLOGIA

Signum Crucis tum in templo, tum alibi magna veneratione colere iubet. Vide S. Chryſoſtomum in lib. Quòd Chriſtus ſit Deus. S. Auguſtinum Tract. 36. in Ioann. & in Pſal 36. Cyrillum lib. 6. in Iulianum. Bedam lib. 1. Hiſt. Anglorum cap. 25. S. Gregorium lib. 7. epiſt. 5. S. Leonem ſerm. 8. de Paſſione Domini. Tertullianum in Apologetico cap. 16. S. Athanaſium quæſt. 16. ad Antiochum, & Lactantium in carmine de S. Cruce, &c.

LOCVS XXIV.

Loca Deo conſecrata non eſſe alienanda, & in profanos vſus conuertenda.

IN Authent. de non alienandis rebus Eccleſiaſticis §. Quia verò veriſimile, collat. 2. res immobiles Eccleſiarum ALIENARI prohibentur omni priuilegio ceſſante, &c. & deinde ſubiungit Imp.

„ Quia cognouimus aliquod PESSIMVM delictum „ factum & apud Alexandrinos & Aegyptios, iam autē „ & in alijs quibuſdam Imperij locis quoſdam præſume- NB. „ re, & ipſa venerabilia MONASTERIA VENDERE, aut „ permutare, aut donare, in quibus & ALTARE colloca- „ tum eſt, & ſacrum exhibitum myſterium, quale moris „ eſt in ſanctiſſimis locis CELEBRARI, ſacris quippe le- „ ctis Scripturis, & ſacroſancta ac ineffabili Communio- „ ne tradita, & Monaſtica illic facta habitatione, ita vt ni- „ hilominus hæc mutarentur ex ſacro & Deo amabili „ ſcemate, ad PRIVATAM manſionem & ſtatum: hæc „ omnino de cætero fieri PROHIBEMVS, nulli hominum „ permittentes hæc cōmittere, ſed etiam factum, infirmū „ eſſe omnibus declaramus modis.

CANONES

idem

idem ſentiunt, RES ſemel Deo dicatas, non eſſe ad vſus humanos vlterius transferendas. In vi. de Regul. Iuris. Et xix. q. 3. Quæ ſemel ſunt Deo DEDICATA Monaſteria, conſilio Epiſcoporum maneant perpetuò Monaſteria, & res, quæ ad ea pertinent, Monaſterijs reſeruari oportet, nec poſſe ea vltra fieri SECVLARIA HABITACVLA. Qui verò permiſerint hoc fieri, ſubiaceant his condemnationibus, quæ per Canones conſtitutæ ſunt. In hunc ſenſum occurrunt alij Canones, De conſecrat. Diſt. 1. c. veſtimenta. & xii. q. 2. c. nulli. Quicquid Domino ſemel erit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino; propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui quę à Domino & Eccleſia, cui competunt, aufert, vaſtat, & inuadit, vel ERIPIT; & vſque ad emendationem, Eccleſięque ſatisfactionem vt ſacrilegus iudicetur, & ſi emendare noluerit, excommunicetur.

Ibid. c. In antiquis: Qui res Eccleſię inuadit, quadruplum reſtituere iubetur.

THEOLOGIA

ſentit, loca Deo conſecrata tantùm diuinis cultibus inſeruire debere, ideoque nefas eſſe, ea ad profanos vſus transferre. Pſal. 5. 28. 92. Eſaiæ 56. Hierem. 7. 1. Mach. 9. 2. Machab. 3. Matth. 21. Mar. 11. Lucæ 19. Ioann. 2. Baſil. in Pſalmum 18. & quæſt. 40. diffusè explicata. S. Chryſoſtomus Homil. 38. 40. 79. ad popul. Antioch. 3. De incomprehenſibili Dei natura, contra Anomæos, & in Serm. contra eoſdem. Item Homil. 36. in 1. Epiſt. ad Corinth. Homil. 9. in 1. ad Timoth. Homil. 20. & 74. in Matthæum Hom. 1. de Verbis Eſaię, *Vidi Dominum*. Homil. 24. in Acta Apoſtol. & Homil. 6. in Geneſin. Auguſtin. Serm. 215. & 251. de Tempore. Theodoretus in Philothæo, ſiue in hiſtoria Patrum.

Digitized by Google

LOCVS XXV.

Bona Eccleſiaſtica nullo titulo poſſe ac debere ALIENARI, *ac in Seculares vſus conuerti.*

COd. de Sacroſ. Eccleſijs l. Sancimus, decernitur vaſa ſacra, & veſtes ſacras non poſſe pignorari, vel alienari, prçterquam in redemptionem captiuorum; aliâs à recipiente vendicari, omni Exceptione remota.

Verba legis hæc ſunt; Sancimus nemini licere ſacratiſſima atque arcana vaſa, vel veſtem, cæteraque donaria, quæ ad diuinam religionem neceſſaria ſunt, alienare. Cùm etiam veteres leges, ea quç iuris diuini ſunt, humanis nexibus NON ALLIGARI SANXERVNT; vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere; ſed ab his, qui hæc ſuſcipere auſi fuerint, modis omnibus vendicari, tam per religioſiſſimos Epiſcopos, quàm œconomos, nec non & ſanctorum vaſorum cuſtodes, nulla eis actione relinquenda ſuper recipiendo pretio, vel fœnore exigendo, pro quo res pignoratæ ſunt, ſed omnibus huiuſmodi actionibus reſpuendis, ad RESTITVTIONEM EORVM, omnibus modis COARCTARI, & cæt. Plura vide ibid. Hæc lex totidem ferè verbis repetitur, XII. q. 2. Can. Apoſtolicos.

NB. Iureconſ. Principum Gnathones, & Aulici.

In Conſtitutionibus Friderici Imp. Nulla communitas, vel perſona publica INVADERE BONA ECCLESIASTICA PRAESVMAT. Quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia, vel Imperio emendare contempſerint, triplũ refundant, & nihilominus BANNO Imperiali ſubiaceant, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur. Authentica Item nulla, C. de Hæreticis.

CANONES

direptores bonorum Eccleſiaſticorum magnopere impro-

probant,& execrantur. xii.q.2. Can. Prædia, diuinis vſibus tradita, quidam humanis vſibus applicant, & Deo noſtro, cui TRADITA ſunt, ea ſubtrahunt, vt ſibi inſeruiant. Quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus ſacratorum CAELESTIVM DICATA, à quibuſdam irruentibus VEXENTVR: quod ſi quis præſumpſerit, vt SACRILEGVS iudicetur.

Et in Can. ſeq. ibid. Qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, vel fraudat, homicida eſt.

Et Can. ſeq. ibid. Quadruplum reſtituat, qui res Eccleſiæ inuadit; & ibid Can. In legibus, decuplum reſtituere iubetur, quod quis Eccleſiæ abſtulit. Additur ibidem, ſi quis Eccleſiaſticas oblationes, & quod Deo CONSECRATVM EST, RAPVERIT, vel conſenſerit facientibus, vt SACRILEGVS iudicetur, & Canonicè pœnitcat.

Ibid. Can. non liceat, ſtatuitur Papæ non licere prędia Eccleſiæ alienare.

Seq. ibid. Canon ita loquitur: Indignè ad altare Domini properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas audet inuadere, aut INIVSTÈ poſſidere, aut iniqua, vel iniuſta defenſione in eis perdurare. De quibus debet eſſe tanta prouiſio, vt vindictam admonitio pręcedat, & res vſurpatas iniuſtè quæ abſtulit, aut iniuſtè ablatas qui retinet, æquitate patrocinante legibus reſtituat. Quod ſi neglexerit, & neceſſitas compulerit, demum prędonem ſacerdotalis diſtrictio maturata percellat. Valde enim iniquum & ingens ſacrilegium eſt, vt quæcunque vel pro REMEDIO PECCATORVM, vel pro SALVTE ac REQVIE ANIMARVM ſuarum vnuſquiſque venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus maximè ſeruare conuenit, id eſt, Chriſtianis, & Deũ timentibus hominibus, in ALIVD TRANSFERRI, vel conuerti permittatur, & cæt. NB.

Sequen-

Sequentis pulcherrimi Canonis hæc ſunt verba: De rebus, quæ ſemel Deo dicatæ ſunt, & poſtea ſub occaſione conceſſionis PRINCIPVM, à quibuſdam inuaduntur atque DIRIPIVNTVR, ſancimus vt prius conſulatis Principem ad reſecandam tam præſumptiuam factionem, & cognoſcendum, vtrum illius ſit conceſſio, an inuaſoris præſumptio. Quod ſi PRINCIPIS inordinata fuerit LARGITIO, & ipſe Princeps ſit pro emendatione REDARGVENDVS. Si autem inuaſoris declaratur præſumptio, vſque ad emendationem, excommunicationis ſit vindicta coercendus.

NB. Cõtra Principes, occupatores bonorum Eccleſiaſticorum.

Vide in hanc ſententiam plurimos Canones 17. quęſtione 4.

THEOLOGIA

homines à diripiendis bonis ſacris abſterret, exemplo Balthaſar Regis Chaldęorum, Dan. 5. qui ea nocte, qua ſacra vaſa alienauit, & in profanos vſus conuertit, & regnum, & vitam amiſit. Vide Concilium Toletanum 4. Chalcedonenſe, Aurelianenſe, & Ancyranum.

LOCVS XXVI.

Populum Chriſtianum ritè ita diſtingui, vt alij CLERICI, *alij* LAICI *appellentur.*

NEque enim ex idiota, & his, qui vocantur LAICI, exiſtens, mox ad Epiſcopatum aſcendens, imaginariam ſuſcipiat ordinationem, tanquam modò quidem IDIOTA, mox autem CLERICVS, deinde paruum aliquod tempus præteriens, Epiſcopus appareat. In Authent. Quomodo oporteat Epiſcopos, collat. 1.

C. de Epiſcop. & Cleric. l. Placet. Nihil commune CLERICI cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non ſunt annexi, habeant.

Ibid.

Digitized by Google

Ibid. Si quis Curialis CLERICVS fuerit ordinatus, nec ſtatim conuentione præmiſſa priſtinæ conditioni reddatur, is vigore & ſolertia iudicantium, ad priſtinam ſortem mox reuocetur. CLERICIS enim vlterius legem prodeſſe non patimur, quę ceſſione patrimonij ſubſecuta, decuriones CLERICOS eſſe non vetabat.

In Authent. quomodo oporteat Epiſcopum, §. Hæc autem, collat. 1. Si tale aliquid elegerit, & ad ſecundas veniens nuptias, ad maiorem gradum venire feſtinauerit, exinde IDIOTA erit, & LAICVS, omnino ſacro miniſterio cadens.

CANONES

etiam paſſim diſtinguunt populum Chriſtianum, vt alios CLERICOS, alios LAICOS nominent. Diſtinct. 77. Can. Monachus. Ne per occaſionem ſupplendæ penuriæ, CLERICATVS vitia potius diuinis cultibus intuliſſe, non legitimæ familiæ Domini computemur procuraſſe compendia, quorum promotionibus ſuper anni metas, nihilominus ſex menſes ſubrogamus: quoniam diſtare debet inter perſonam diuino cultui dedicatam, & de LAICORVM conuerſatione venientem, & cæt.

Et 8 q. 1. Can. qualis: Vehementer hoc Eccleſiam Dei deſtruit, meliores LAICOS eſſe, quàm CLERICOS. Et paſſim locis innumeris occurrunt eiuſmodi appellationes.

THEOLOGIA

conſentit, quæ non niſi Ordines Eccleſiaſticos CLERICOS nominandos eſſe cenſet. Hierem. 32. *Cleri eorum non proderunt eis.* Canones Apoſtolorum, Can. 12. 13. 1 . Concil. Nicæn. Can. 1. 3. 8. 17. 18. & 19. Tertullianus libro de Monogamia.

LOCVS XXVII.

Lectores & Oſtiarios, eſſe peculiares Clericorum Ordines.

Digitized by Google

LOCVS XXVIII.

Non licere Clericis Ordinem ſuum deſerere, & ſecularem ſtatum complecti.

SEmel autem factos Diaconos, aut Presbyteros, " nullo modo derelinquere Sacerdotium, quod " non ſolùm in Presbytero & Diacono ſancimus: " ſed etiam ſi Subdiaconus, aut fortè LECTOR fiat aliquis, " hunc relinquere priſtinum ſcema, & ad alteram migra- " re vitam prohibemus. Scientes quòd ſi tale aliquid ege- " rit, ſecundùm quod à nobis iã ſancitũ eſt, aut in Curiam " cum ſubſtantia, aut ſub inopia degens, ad officialem de- " ponitur fortunam. In Auth. Quomodo oporteat Epi-ſcop. §. Semel autem, collat. I.

In Authent. de ſanctis Epiſcop. §. Hoc autem, collat. 9. Generaliter ſancimus, nulli licere in quolibet Eccle " ſiaſtico gradu conſtituto diſcedere ab eo, & SECVLA- " REM fieri. "

CANONES

etiam cauent, ne ſacris Ordinibus initiati, ad ſecularem ſtatum, ſeu officia profana retrahantur. 21. q 3. Hi" qui in Eccleſia Domini, ad ordinationẽ CLERICORVM" promouentur, in nullo ab adminiſtratione diuina" AVOCENTVR: nec moleſtijs & ſecularibus negotijs al-" ligentur: nec ab altaribus & ſacrificijs RECEDANT," ſed die noctuque cæleſtibus rebus & ſpiritualibus de-" ſeruiant. "

THEOLOGIA

dehortatur ſeruos Dei, ne deſerto eius cultu, ſecularibus negotijs ſe dedant ac mancipent. Actor. 6. 1. Tim. 2. Vide etiam D. Cypriani Epiſtolam, ad Presbyteros, & Diaconos, ac plebem Furenſem.

Digitized by Google

cos CANONES, de Clero eum amoueat, curiæ ciuitatis, cuius Clericus erat, tradendo. Epiſcopum verò nullam penitus mulierē habere, aut cum ea habitare permittimus.

Conſimilis Lex exſtat in C. de Epiſcopis & Clericis, l. eum qui. Eum, qui probabilem ſeculo diſciplinam elegit, (Clericū) decolorari (diffamari,) conſortio SORORIAE (mulieris, quam retineat & dicat ſororem,) appellationis non decet. Quicunque igitur, cuiuſcunque GRADVS ſacerdotio fulciuntur, vel CLERICATVS honore cenſentur, extranearum ſibi mulierū interdicta conſortia non cognoſcant: hac tantùm eis facultate conceſſa, vt matres, filias, atque germanas intra domorum ſuarū ſepta contineant. In his enim nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit. Illas enim non relinqui caſtitatis hortatur affectio, quæ ante ſacerdotium maritorum legitimum meruêre coniugiū. Neque enim Clericis incompetenter adiunctæ ſunt, quæ dignos ſacerdotio viros ſui cōuerſatione fecerūt.

Inſulſam & ridiculam interpretationem harum duarum legum confinxit Hottomannus Iureconſs. Nam eas concubinis tantùm, non vxoribus Clericis interdicere contendit. At nulla hîc vxorum fit mentio, quæ tamen primo loco poni debuerunt, ſi cum iis habitare liceret. Deinde, cur prohibetur Clericis cohabitatio mulierum, ſi vxorati eſſe poſſunt? Nónne vxores ancillas habere poſſunt in eadem domo? Patet igitur, nō cum vxoribus, ſed proximis conſanguineis Clericos habitare debere.

Confutatio Hottomanni Iurecōſ.

Authent. De Monachis, §. ſi verò, Collat. 1. Cantoribus tantùm & Lectoribus (in minoribus conſtitutis Ordinibus) VXORES ducere permittimus. Alijs enim OMNIBVS (Clericis maiorū Ordinū) NVPTIAS, ſecundùm ſacras regulas, penitus interdicimus, aut CONCVBINAS habere, aut luxurijs tradere vitā. Vides hîc pul-

chrè elidi Hottomanni friuolam & ineptam interpretationem; nam & coniuges,& concubinas,Clericos habere Lex vetat.

Authent.Quomodo oporteat Epiſcopum,§.Hæc au-
„ tem, Collat.1. Si aliquis Preſbyter, aut Diaconus,aut
„ Subdiaconus poſtea ducat vxorem, aut concubinam,
„ aut palam, aut occultè, ſacro ſtatim cadat Ordine.

Cōtra VVeſenbecium Iurecons.

VVeſenbecius Iurecons. contra Authenticas Iuſtiniani inſcitè deblaterat, eas vetare tantùm, ne Clerici poſt Ordinationem vxores ducant; at maritis in coniugio exiſtentibus, Clericorum ſeu Sacerdotum Ordine non interdicere, ſi vxores duxerint ante ordinationem. Hunc morem eſſe Græcorum ſcio ex cap. cùm olim, de Clericis coniugatis.

Fatetur igitur VVeſenbecius,ſocios ſuos Prædicantes in Legem Iuſtiniani committere,q̃ poſt ſuſceptum officium,plures ſibi iungant cōiuges.Quod addit,coniugatos à Iuſtiniano non arceri à ſtatu Clericorum,ex tribus prioribus legibus citatis apparet falſum eſſe.Quibus coniungo Authentic. de Epiſcopis §. ſancimus er-
„ go,collat.9.vbi præcipit Epiſcopum eligi, qui nec VXO-
„ REM, nec filios, neque concubinam habeat. Eos tamen, qui mariti fuerant, non repellit à ſacerdotio, ſed hac conditione, vt vxorem habuerint VNAM,(non plures ſimul,)primam,(nō plures ſucceſſiuè,)& non viro coniunctam, aut viduam.

In Authent.Quomodo oporteat Epiſcopum,§.Hæc autem Deo,collat.1.vult Clericos aſſumi, qui caſtè viuant,(ait enim ibi, caſtitatem eſſe principium & fundamentum aliarum virtutum) & ſi habeāt vxores, cum ijs non COHABITENT.

CANONES

idem ſentiunt, in ſacris Ordinibus conſtitutos nefas
„ eſſe vxores ducere, Diſt. 27. Can. Presbyteris: Presby-
„ teris, Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis CON-

CVBI-

Digitized by Google

cvbinas habere, ſeu matrimonia contrahere pe- "
nitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab "
huiuſmodi perſonis, diſiungi, & perſonas ad pœniten- "
tiam redigi debere, iuxta ſacrorum Canonum definiti- "
onem, iudicamus. "

Diſtinc.32. Can. Eos qui: Eos, qui poſt Diaconatum "
vxoribvs vacare voluerint, ab omni sacro ordi- "
ne remouemus, officioque atque beneficio Eccleſiæ "
carere decernimus. Quòd ſi ab Epiſcopo commoniti "
ſe non correxerint, Principibus indulgemus licenti- "
am, vt eorum fœminas mancipent ſeruituti. Si verò "
Epiſcopi conſenſerint eorum prauitatibus, ipſius offi- "
cij interdictione mulctentur. "

Ead. Diſt. Can. Placuit. Placuit Epiſcopos, Presbyte-
ros, Diaconos, Subdiaconos, ſecundùm priora conſti-
tuta, etiam abſtinere ab vxoribus. Quod niſi fecerint, ab
Eccleſiaſtico remoueantur officio.

Diſtinct.28. Can.2. Nullum facere Subdiaconum præ-
ſumant Epiſcopi, niſi qui ſe caſtè victurum promiſe-
rit. Et ſeq. Can.3. Decernimus, vt hi, qui in Ordine Sub-
diaconatus, & ſupra, vxores duxerint, aut concv-
binas habuerint, officio atque Eccleſiaſtico benefi-
cio careant. Cùm enim ipſi templum, & vaſa Domini,
ac ſacrarium Spiritus S. debeant eſſe & dici, indignum
eos cubilibus & immunditijs deſeruire.

Ead. Diſtinct. Can.6. Aſſumi aliquem ad ſacerdotiũ in conivgii vinculo conſtitutum non oportet, niſi promiſſa fuerit conuerſio. "

Cõtra errorem Græcorum.

Sequens Canon, in Diſtin.33. pulchrè conſentit cum l. eum qui, C. de Epiſcop. & Cleric. quam ſupra recitaui. Interdixit per omnia S. Synodus, (Nicæna) non Epiſco-
po, non Presbytero, non Diacono, non Subdiacono,
nõ alicui omnino, qui in Clero eſt, licere svbintro-
dvctam habere mulierem, niſi fortè aut matrem, aut
ſororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas perſonas,

quæ

quæ fugiant ſuſpiciones.

In hanc ſententiam complures occurrunt Canones per Diſtinct. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 33.

THEOLOGIA

etiam, ante & poſt ordinationem ſacrorum maiorum Ordinum, Clericis coniugio interdici. S. Paulus Tit. 1. 2. Timot. 2. Concilium Ancyranum Can. 10. Neocæſariense cap. 1. Nicænum I. Can. 3 Trullanum Can. 6. & 48. Carthaginenſe II. Can. 2. Romanũ ſub Sylueſtro I. Can. 8. Arelatenſe II. Can. 2. Aurelianenſe III. Can. 2. Eliberinum Can. 33. Toletanum II. cap. 1. & Toletanum IV. cap. 26. & Toletanum VIII. cap. 6. Moguntinũ cap. 10. &c. Siricius epiſt. ad Himericum, cap. 7. Innocentius I. epiſt. ad Victricium, cap. 9. Leo I. epiſt. 82. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicæ, cap 4. & in epiſt. 90. ad Ruſticum Narbonenſem, cap. 3. Gregorius I. epiſt 42. lib. 1. & epiſt. 34. lib. 3.

Non licitum eſſe ducere vxores, nec vxoribus antea ductis vti poſt ordinationem, ſeu ſuſceptionem SS. Ordinum, hi SS Doctores & Patres docuerunt; Epiphanius ad finem operis cõtra hæreſes, & hæreſi 59. S. Chryſoſtomus Hom. 2. de patientia Iob. Nyſſenus lib. de Virginitate, cap. vltimo. Cyrillus Catecheſi 12 Oecumenius in cap 3. primæ ad Timoth. Cyprianus lib. de ſingularitate Clericorum. S. Ambroſius lib. 1. de Officijs cap. vlt. & epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellẽſem. Hieronymus lib. in Vigilantium, & in fine libri Apologiæ pro libris contra Iouinianum. S Auguſtinus libro 2. de adulterinis coniugijs, cap. 20 Gregorius Turonicus lib. 4. hiſto. cap. 4. Iſidorus lib. 2. de Officijs, cap 10. 5. & 8. S. Anſelmus epiſt 8. &c.

LOCVS XXX.

Quouis modo BIGAMOS *in Clericorum Ordinem non allegandos eſſe.*

Si

SI Laicus ad ordinationem Subdiaconi, Diaconi, aut Presbyteri venire voluerit, deinde appareat mulierem habẽs non ex VIRGINITATE ſibi copulatam, ſed aut diſiunctam à marito, aut aliter, non autem ab initio mox ſibi legitimè coniunctam, aut etiam ipſe ad SECVNDAS venerit nuptias, NON IMPETRABIT SACERDOTIVM: & licet latenter ad hoc venerit, OMNINO EO CADET. Authen. de nuptijs, §. ſed & ſi quis. Collat. 4.

Epiſcopus eligatur ſi vxorẽ habuit VNAM, & PRIMAM, & neque viduam, neque viro coniunctam. Authen. De ſanctis Epiſcopis, §. 1. Collat. 9.

Auth. Quomodo oporteat Epiſcopum, §. Hæc autẽ de, Collat. 1. ſtatuitur, vt Clerici Ordinandi non habeãt concubinam, nec habuerint plures, ſed vnam vxorem, & eam virginem.

CANONES

etiam non concedunt quempiam SS. Ordinibus initiari, qui duas vxores, & vnam non virginem habuit. Diſtinct. 34. Can. 9. Curandũ in primis eſt, ne ad ſacros Ordines quiſpiam, qui vxorem nõ duxit VIRGINEM, aſpiret. Ibid. ſeq. Can. Præcipimus, ne vnquam illicitas ordinationes facias: nec BIGAMVM, aut qui virginem nõ eſt ſortitus vxorem, ad ſacros Ordines permittas accedere, ſed ſi quos huiuſmodi repereris, non audeas promouere.

Eadem Diſtinct. Si quis viduam duxerit vxorem, ſeu ante baptiſmum, ſeu poſt, non admittatur ad Clerum. Seq. Can. ibid. Cognoſcamus non ſolùm de Epiſcopo & Preſbytero Apoſtolum ſtatuiſſe, ſed etiam Patres in Concilij Nicęni tractatu addidiſſe, Clericum quempiam non debere eſſe, qui SECVNDA coniugia ſit ſortitus. Plures Canones vide ibidem in Decreto, Diſtinct. 26. & in Decretalibus Tit. de Bigãmis.

Ibid. Diſtinct, 34. Si quis de Laicis, poſt vxorem ſuam,

aliam cuiuſcunque conditionis cognouerit, in Clerum nullatenus admittatur.

THEOLOGIA

etiam vetat, eos in Ordinem Clericorum cooptare, qui quouis modo bigami fuerint. 1. Timoth. 3. & Tit. 1. Tertullianus lib. 1. ad vxorem, lib. de Monogamia, & lib. de Exhort. caſtitatis. S. Epiphanius hæreſ. 59. Catharorum. S. Ambroſius libro 10. epiſt. 82. ad Eccleſiam Vercellenſem, & libro 1. de Officijs cap. vlt. & lib. de dignitate Sacerdotali, cap. 4. S. Hieronymus in Comment. 1. capitis epiſt. ad Titum. S. Auguſtinus libro de bono coniugali, cap. 18. S. Chryſoſtomus Homil. 2. in Epiſt. ad Titum. Papa Siricius epiſt. 1. ad Himericum, cap. 11. Leo I. epiſt. 85. ad Epiſcopos Africæ, cap. 1. Gelaſius I. in epiſt. 1. ad Epiſcopos Lucaniæ, Brutij, & Siciliæ, cap. 5. Canones Apoſtolorum, Can. 17. & 18. Concilium Neocæſarienſe, Can. 8. & Nicænum I. teſte S. Ambroſio, in epiſt. 82.

LOCVS XXXI.

Cauſas Eccleſiaſticas, à ſolo Eccleſiaſtico, non ſeculari Iudice cognoſcendas & decidendas eſſe.

Authent. Vt Clerici apud proprios, Collat. 6. „ Si Eccleſiaſticum ſit delictum, egens CASTIGATIONE ECCLESIASTICA & mulcta, „ EPISCOPVS hoc diſcernat, nihil communi„cantibus prouinciæ Iudicibus: neque enim „ volumus talia negotia omnino ſcire CIVILES Iudices; „ cùm oportet talia & Eccleſiaſticè examinari, & emen„dari animas delinquentium per Eccleſiaſticam mulctã, NB. „ ſecundùm SACRAS & diuinas REGVLAS, (Canones,) quas etiam NOSTRAE NON DEDIGNANTVR LEGES SEQVI.

Si cauſa Eccleſiaſtica eſt, nullam communionẽ habeant iudices ciuiles circa talem examinationem, ſed ſanctiſſi-

ctiſſimus Epiſcopus ſecūdùm ſacras regulas (Canones) "
cauſæ finem imponat. Authent. de ſanctis Epiſcopis, "
§. ſi quis contra, Collat. 9. "

CANONES

etiam, in cauſis Eccleſiaſticis Clericos eximunt è Magiſtratuum Secularium poteſtate. Qua de re pulcherrimus Canon extat, Diſtinct. 96. c. ſi quis. Ad ſacerdotes Deus voluit quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt pertinere, nō ad SECVLI POTESTATES: quas (ſi fideles ſunt) Eccleſiæ ſuæ ſacerdotibus voluit eſſe ſubiectas. Non ſibi vendicent alienum ius & miniſterium, quod alteri deputatum eſt; neque contra eum contendant abrumpi, à quo omnia conſtituta ſunt: & contra illius beneficia pugnare videantur, à quo propriam conſecuti ſunt poteſtatem. Non à legibus publicis, non à poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & diſcuti, & recipi de errore remeantes. "

(Hinc elicitur, Clericos Politicis Magiſtratibus non ſubiectos fuiſſe, antequam Conſtitutiones huius priuilegij ſancirentur: nam eæ non ius conſtituerunt, ſed tantùm iuris declarationem.) NB.

Ead. Diſtinct. Can. ſicut quæuis: Qualeſcunque Pontifices ſunt, & ſi errore humanitus accedente, non tamen contra religionem vllatenus excedentes, nullatenus videntur à ſeculari poteſtate poſſe percelli. "

Iterum xij. q. 2. Si qua de rebus Eccleſiæ (cùm Epiſcopus non adeſt) Presbyteri vendiderint, placuit reſciſſo contractu, ad IVS ECCLESIASTICVM reuocari. "

THEOLOGIA.

Apoſtolus 1. Cor. 6. iubet lites etiam ciuiles Chriſtianorum non deferri ad iudicium paganorum, an permiſiſſet ad eos deferri lites ECCLESIASTICAS? Quod idem vetat fieri Concilium Mileuitanum Can. 13. & Matiſconenſe Can. 8. S. Martinus apud Sulpitium lib. 2. Hi-

Digitized by Google

num Imperium; quam hodie tanta impunitate deſpiciunt & præuaricantur in aulis Principum Iureconſſ. Sectariorum. Si adhuc hodie viueret Iuſtinianus, acerrimis pœnis hoc ſuum Edictum tueretur, & flagitioſam hanc proteruiam, qua Eccleſiaſtici ad tribunalia laicorum trahuntur, ſeuerè vlciſceretur.

Authent. de ſanctis Epiſcop. §. Si quis, collat. 9. Si quis " contra aliquem Clericum, aut Monachum, aut Diaco " niſſam, aut Monaſtriam, aut Aſſiſteriã habeat aliquam " ACTIONEM, ADEAT prius ſanctiſſimum Epiſcopum, " CVI HORVM VNVSQVISQVE SVBIACET. ILLE verò " cauſam inter eos DIIVDICET: & ſi quidem vtraque " pars his, quæ iudicata ſunt, acquieuerit, IVBEMVS per " loci Iudicem hoc EXECVTIONI perfectè tradi. Hæc " Conſtitutio nominatim repetitur, XI. quæſt. I. Can. de perſona.

Authent. Vt Clerici apud proprios, §. I. coll. 6. Si quis " habet aduerſus eos (Clericos) quamlibet pecuniariam " cauſam, prius ad Deo amabilem Archiepiſcopum per- " gat, ſub quo conſtitutus eſt, & interpellet eum, & ex non " ſcripto iudicium mereatur. Si hæc fiant, nec inquietet " eum, nec TRAHAT AD AVDITORIA CIVILIA, & cæt. "

CANONES

omnibus modis obſiſtunt, ne Eccleſiaſticæ perſonæ ad ſecularis Magiſtratus tribunalia trahantur. XI. q. I. Can. I. Nemo vnquam Epiſcopum, aut reliquos Clericos apud " Iudicem SECVLAREM accuſare præſumat. "

Ibid. Can. Continua: Sancimus, vt nullus Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſię neceſſitatibus ſeruiunt, ad iudicia ſiue ordinariorum, ſiue extraordinariorum Iudicum protrahatur. Habent enim illi ſuos Iudices, " nec quicquam his commune eſt cum legibus (ci- " uilibus.) " Hæc Lex ibi Theodoſij & Arcadij Impp. eſſe aſſeritur.

Ibid. Si qui ex fratribus (Clericis) negotia habent in- " ter ſe, apud cognitores SECVLI non iudicentur, ſed a- "

„ pud Presbyteros Eccleſiæ quicquid illud eſt dirimatur.
„ Ibid. Nullus Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter
„ propter quamlibet cauſam intret in Curiam, nec ante
„ ciuilem Iudicem ſuam præſumat DICERE cauſam.
„ Ibid. Placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum,
„ & Diaconorum, ſeu Clericorum, cùm in Eccleſia
„ ei crimen fuerit intentatum, vel CIVILIS fuerit cau-
„ ſa commota, derelicto ECCLESIASTICO IVDICIO,
„ publicis iudicijs (laicorum) voluerit purgari, etiam ſi
„ pro illo lata fuerit ſententia, locum ſuũ amittat, & hoc
„ in CRIMINALI actione. In ciuili verò perdat quod eui-
„ cit, ſi locum ſuum obtinere maluerit. Siquidem ad eli-
„ gendos iudices iniquè de Eccleſiæ conſortio iudicat,
„ qui de vniuerſa Eccleſia malè ſentiendo, de iudicio
„ SECVLARI poſcit AVXILIVM; cùm priuatorum etiam
„ cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibidem
„ determinari præcipiat. Plurimi hac de re ibi occur-
runt Canones.

THEOLOGIA

nefas eſſe ducit, Eccleſiaſticos ad ſecularia tribunalia ſiſti, & ibi iudicari. Vide Concilium Chalcedonenſe, Canone 9. Agathenſe Can. 32. Carthaginenſe III. Can. 9. Toletanũ III. Can. 13. Vide Pontificum Decreta; Caij Epiſt. ad Felicem Epiſcopum, Marcellinum Epiſt. 2. Gregorium lib. 11. Epiſt. 14. ad Ioannem defenſorem.

Ne Clericis ſolidum hoc priuilegium conſtet, id impugnare, & ſubuertere conatur ex Authentica quadam Iuſtiniani Ioannes Sichardus Iureconſ. Tubingenſis, (lib. de Politico Magiſtratu,) opinor vt ſuis confœderatis Prædicantibus gratum faceret, ipſoſque conſolaretur, ne SOLI, ſed Clericis comitati ad Politica iudicia ſiſti cogerentur.

Fateor Iuſtinianum in quadam Cõſtitutione, (quam Sichardus obijcit) Clericos & Monachos in cauſis CRIMINA-

Digitized by Google

MINALIBVS ſeculari iudicio ſubiecisse; easque à Prætore voluiſſe cognoſci. Sic enim legitur Authent. Vt Clerici apud proprios Epiſcopos, collat.6. Si de CRIMINIBVS CIVILIBVS conueniantur (Clerici,) hîc quidem competentes iudices in prouincijs, aut earum PRAESIDES ſint IVDICES, non tranſcendente lite menſium duorum ſpatium, ex quo litis conteſtatio fiat, quatenus breuis imponatur cauſę terminus. Confutatio Sichardi Iureconſ. " " " " " "

Ad hanc Sichardi Obiectionem reſpondeo quinque. Primò, ſi vult hanc Authenticam valere in vno, ſinat etiam valere in altero; non enim lex pro parte acceptanda, & pro parte repudianda eſt; vt ſentit Gloſſa ff. de legibus. Duo autem ibi ſunt, quę Sichardi, aliorumque Lutheranorum oppugnant opiniones; nam ibi in cauſis CIVILIBVS, ceu pecuniarijs, & alijs, Clerici non ad Prætorem, ſed Epiſcopum controuerſias ſuas referre iubentur. Itaque in hoc caſu ſimpliciter Clerici declarantur liberi eſſe à Laicorum iudicijs, & ſolis Epiſcoporum tribunalibus ſubiecti: quam Authent. paulò ante ſyllabatim recitaui. Alterum eſt, vt non condemnentur in criminalibus Clerici, niſi prius ab Epiſcopo fuerint degradati. Sic enim in ead. Authent. legitur; Illud palam eſt, ſi prouinciæ PRAESES reum eſſe putauerit eum, qui conuenitur, & pœna (criminali) iudicauerit dignum, prius hunc (Clericum) ſpoliari ab Epiſcopo ſacerdotali dignitate, & ita ſub legum fieri manu.

Hanc conſuetudinem adhuc hodie vigentem approbant etiam Canones, quos vide extra de Hæretic. in plurimis capitulis.

Secundò reſpondeo; notum eſt poſteriorem legem derogare priori, vt legitur C. de conſtitutionib. Principum. Hanc verò Iuſtiniani Authenticam alia Authentica abrogauit; Friderici Imper. Conſtitutio, cuius hæc ſunt verba: Statuimus, vt nullus Eccleſiaſticam perſonam, in CRIMINALI quæſtione, vel CIVILI trahere ad Authent. Statuimus C. de Epiſcopis & Clericis.

Digitized by Google

„ SECVLARE iudicium præſumat,contra Conſtitutiones
„ IMPERIALES & CANONICAS ſanctiones. Quod ſi fe-
„ cerit, actor à iure ſuo cadat, iudicatumque non te-
„ neat: & ſic Iudex ex tunc officio iudicandi priuatus
„ ſit.

Tertiò, lex Canonica exemit ſimpliciter Clericos etiam in cauſis criminalibus, cui CEDERE debet lex Imperialis, cùm poſſit Papa Imperatoribus mandare in ijs,quæ ad Eccleſiæ auctoritatem ſpectant.

Quid? quòd ipſemet Iuſtinianus Leges ſuas per Canones DIRIGI,ac corrigi poſſe conſenſit,in eadem Au-
NB.
„ thentica,quæ nobis à Sichardo obijcitur? Sacras & diui-
„ nas(ait) REGVLAS (Canones) NOSTRAE SEQVI NON
„ DEDIGNANTVR LEGES.

Quartò, in eadem Authent. vult Iuſtinianus, vt ſi Clericus enorme quoddam Eccleſiaſticum crimen admiſerit,id à ſolo cognoſci & caſtigari Epiſcopo; quod tamen omnibus diſplicet Sectariorum Iureconſſ.

Canones autem vetaſſe Criminales cauſas Clericorum à ſeculari Magiſtratu cognoſci & decidi, conſtat
„ ex XI.q.1.vbi Canon Marcelli Papæ ita loquitur: Nullus
„ Epiſcopus, neque pro ciuili, neque pro CRIMINALI
„ cauſa apud quemuis iudicem, ſiue ciuilem,ſiue milita-
„ rem producatur,vel exhibeatur. Magiſtratus enim,qui
„ hoc iubere auſus fuerit, amiſſione rerũ, & cinguli con-
„ demnatione plectetur.

Obijcit Sichardus,Eccleſiaſticum Iudicem laicũ non poſſe priuare ſua dignitate; at contrarium ſtatuitur 32. q.5 Pręceptum,in fin.

Hinc conſtat, Clericum ob haſce cauſas à ſeculari Iudice citatum,non teneri venire, & allegare forum: vt extr.de Appellat Cùm parati. Nam citatio nulla eſt: vbi enim quis citari non poteſt vel ratione perſonę, vel ratione temporis, vel ratione cauſæ, non tenetur venire: vt notatur 3. quæſt.2.& quęſt.1.c.11.& ff.de Fer.l.1.

Quintò,

Digitized by Google

Quintò, vtinam tam laudatos agerent Iureconſſ. iſti Sectarij, quàm laudatum Cæſarem ſe præbuit Conſtantinus Magnus Imperat. At is Clericos à nemine iudicari voluit (Politicorum;) ſed ad ſolius Dei iudicium pertinere. Quæ memorabilis vox conſignata eſt à Ruffino, libr. 10. Hiſt. cap. 2. & S. Gregorio lib. 4. Epiſt. 75. ad Mauritium: & repetitur xi. q. 1. continua. Hinc liquet, iſtos Sectariorum Iureconſſ. vt tantùm Prædicantibus ſuis placeant, à quorum nutu & arbitrio pendent, Canones, Leges, & Theologiam fermentis Sectarum reſpergere, & ceu fœtidas Harpyias fœdè contaminare, ac diripere. NB.

LOCVS XXXIII.

Bona Eccleſiæ, eiuſque Miniſtros, ac ipſorum facultates immobiles, à TRIBVTIS *ſecularium Magiſtratuum immunes eſſe; cum confutatione quatuor Iureconſſ. Lutheranorum.*

COd. de Sacroſanct. Eccleſijs, l. Sancimus: Sancimus RES ad venerabiles ECCLESIAS, vel XENODOCHIA, vel MONASTERIA, vel ORPHANOTROPHIA, vel Geronthocomia, vel PHTOTROCHOPHIA, vel in NOSCOMIA, vel BEPHOTROPHIA, vel ſi quid aliud tale conſortiũ, DESCENDENTES ex qualicunque curiali liberalitate: ſiue inter viuos ſiue mortis cauſa, ſiue in vltimis voluntatibus habita, LVCRATIVORVM inſcriptionibus liberas IMMVNESQVE ESSE, lege ſcilicet, quæ ſuper huiuſmodi inſcriptionibus poſita eſt, in alijs quidem perſonis ſuum robur obtinente. In parte autem ECCLESIASTICA, vel aliarum DOMVVM, quæ PIIS conſortijs deputatæ ſunt, ſuum vigorem pietatis intuitu MITIGANTE. Cur enim non facimus diſcrimen inter res diuinas & humanas? & NB.

Attendite ô Iureconſſ. Sectariorũ. quare non COMPETENS PRAEROGATIVA CAELESTI FAVORI conſeruetur? Quæ oportet non ſolùm in caſibus, quos futurum tempus creauerit; ſed etiam in adhuc pendentibus, & iudiciali termino, vel amicabili compoſitione necdum ſopitis, obtinere.

Nota, lucratiuas deſcriptiones fuiſſe quartam partem bonorum, quæ dabatur Curiæ; à quo tributo vt Eccleſię, omniaque pia loca exempta & immunia eſſent, hîc ſancit Iuſtinianus. Vide lib. 10. Codicis de imponenda lucritiua deſcript. l. 1.

Obijcit Hottomannus in Comment. Codic. hac lege, immunia tantùm declarari pia loca, non ipſas perſonas, ſeu Eccleſiaſticos exemptos pronuntiari. Reſpõdeo: Res Clericorum eodem gaudent priuilegio, quo res Eccleſię. XII. q. 2. Eccleſiarum, & Diſtinct. 87. Eos Et dicuntur bona Clericorum res Eccleſiæ, quoad defenſionem: quia Eccleſia debet eas defendere ſicut ſuas. XII. q. 11. De Laicis, & 87. Diſtinct. Eos, Aut ideò; quia ſi damnum infert Eccleſiæ Epiſcopus, ea habet recurſum ad res Epiſcopi; vt XII. q. 4. Quicunque. Nam omnes res Clerici ſunt obligatę Eccleſiæ, cui deſeruit, ceu res mariti vxori: vt ext. de pignor. ex liter. & C. qui potior. in pignore, l. vlt. ſicut & res tutoris pupillo.

NB.

Confutatio Hottomanni.

XII. q. 1. Similiter, indubitanter aſſeritur, res Epiſcoporum patrimoniales eſſe Eccleſiæ, & ſi quis eas inuaſerit, ceu ipſæ ſanct res Eccleſiæ rapuiſſet, excommunicandum eſſe. Si hoc dicitur de rebus Epiſcoporum; quid vetat idem de rebus omnium Clericorum intelligi?

Sed quia Sectarij Canones flocci pendunt, & aſſiduè leges flagitant; vt deſiderio ipſorum obſequar, alias leges, quę Clericos à Politicis tributis immunes eſſe permittunt, adſcribam.

„ C. de Epiſcop. & Clericis l. 2. Omnis à Clericis INDEBITAE CONVENTIONIS (id eſt, extraordinariæ collectæ, ſeu impoſitio tributorum) iniuria, & iniquæ EXA-

CTIO,

ACTIONIS repellatur improbitas. Nullaque conuentio ſit circa eos MVNERVM SORDIDORVM, & cùm negotiatores ad aliquam PRAESTATIONEM competentem (id eſt, tributum, ſeu collectam ordinariam) vocantur, ab his vniuerſis (id eſt, Clericorum Ordinibus) iſtiuſmodi ſtrepitus conquieſcat. Si quid enim vel parſimonia, vel prouiſione, vel mercatura, honeſtati tamen conſcia, congeſſerint, id in vſum pauperum atque egentium miniſtrari oporteat: aut id, quod ex eorundem ergaſterijs, vel tabernis cõquiri potuerit & colligi, collectum id, religionis ęſtiment lucrum. Verùm etiam hominibus eorundem, (id eſt, familiaribus & ſeruis) qui operam in mercimoniis habent, Diui Principis mei genitoris ſtatuta multimoda obſeruatione cauerunt, vt ijdem Clerici PRIVILEGIIS pluribus redundarēt, tanquam EXTRAORDINARIORVM MVNERVM prædictis neceſſitas atque omnis MOLESTIA CONQVIESCAT, AD PERANGARIAM (NB. Notat Gloſſa, in l. Neminem, C. de Sacroſanctis Eccleſijs, Perangariam, eſſe opera perſonarum & rerum impendia, & Angarias eſſe ſolùm opera perſonarum; vult igitur Imper. Clerum nullis neque perſonalibus, & realibus oneribus grauari) quoque præſtationem non vocentur, nec EORVNDEM FACVLTATES ATQVE SVBSTANTIAE. (Vides hîc, Clericos, & eorum Bona ab omnibus tributis Secularium eximi.) OMNIBVS Clericis huiuſmodi pręrogatiua ſuccurrat. Vt coniugia Clericorum ac liberi: eorum quoque miniſteria, id eſt, matres pariter ac fœminæ, eorumque etiam filij & filiæ, immunes ſemper ab huiuſmodi muneribus perſeuerent. (NB. Quod hîc de coniugibus & filijs Clericorum loquitur, intelligendum eſt, eos ſuſcepiſſe ante ſuſceptionem ſacrorum Ordinum)

NB.

NB.

Priuilegiũ datum etiã familijs Clericorum.

Nota, hoc priuilegium lex extendit etiam ad ſeruos, vxores, & filios Clericorum. Quod idem Canones ap-

probant.XII.q.2. Eccleſiarum ſeruos, Extr. de immunitate Eccleſiarum, c. non minus.

Authent. nulla communitas, C. de Epiſcopis & Clericis.

Hanc Conſtitutionem Friderici Imp. Edictum magna ſeueritate, & ſubcomminatione atrocis pœnæ ſeruare iubet. Nulla (ait) communitas, vel perſona publica, vel priuata, Collectas, vel EXACTIONES, ANGARIAS, vel PERANGARIAS Eccleſijs, vel pijs locis, aut Eccleſiaſticis PERSONIS imponant. Quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia, vel Imperio, emendare contempſerint, triplum refundant, & nihilominus banno Imperiali ſubiaceant; quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur.

Abrogatur lex Iuſtiniani per Authenticā Friderici.

Per hanc Friderici Authentic. videmus legem quandam Iuſtiniani, C. de Epiſcop. & Clericis, l. De his Clericis, ſublatam eſſe; per quam Clerici de proprijs prædijs tenebantur ſoluere Fiſcalia, (id eſt, tributa,) alioqui patiebantur translationem. Hinc facilè corruit Sichardi Iureconſ. cauillatio, qui hac vrtica Clericos etiam vrere voluit.

In hanc ſententiam plurimę Imperatorum extant leges, quæ Clericorum Eccleſiaſtica, & ſecularia bona à tributis eximunt. Vide in Codice Theodoſiano libr. 16. Tit. 2. Legem 16. & 26.

Reſponſio ad obiectionem Sichardi.

At obijcit Sichardus, ea priuilegia reuocârunt, & reſciderunt Cæſares nonnulli. At ego contendo ea ita confirmata eſſe, vt nulli infringere liceat; quod duabus Conſtitutionibus doceo; quarum prima eſt Valent. & Marci Impp. C. de Sacroſanct. Eccleſ. l. priuilegia. Priuilegia, quæ generalibus Conſtitutionibus vniuerſis Sacroſanctis Eccleſijs Orthodoxæ religionis retro Principes præſtiterunt, firma & illibata, & in PERPETVVM cuſtodiri volumus. Omnes ſanè Pragmaticas Sanctiones, quæ CONTRA CANONES ECCLESIASTICOS interuentu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuas, ceſſare præcipimus.

Alte-

Alteram Sanctionem edixit Fridericus Imp. in Conſtitutionibus: Caſſa & irrita eſſe, ac denuntiari per to- “ tam Italiam præcipit, omnia ſtatuta & conſuetudines “ contra LIBERTATES ECCLESIAE, earumque PERSO- “ NAS, inductas [aduerſus CANONICAS vel IMPERIA- LES SANCTIONES: & ea de Capitularibus (id eſt, libris ſtatutorum) penitus ABOLERI mandat noua conſtitu tio. Et de cætero ſimilia attentata ipſo iure NVLLA eſſe “ decernit. Si quid contra fiat, pœnæ, quæ ſtatutæ ſunt, “ imminebunt. Sed ſi per annum huiuſmodi nouellæ “ Conſtitutionis aliqui inuenti fuerint contemptores, “ bona eorum per totum noſtrum Imperium impunè “ ab omnibus occupentur. “

In Authentica Caſſa, C. de Epiſcopis & Cler.

CANONES

de immunitate & libertate Eccleſiaſtica ſancitos, quia Imperialia Edicta à me recitata confirmant, huc adſcribere nō grauabor; vt perſpiciamus, quàm dulcem concentum efficiant Iura Ciuilia & Canonica.

De Cenſib. in lib. 6. C. Quanquam, edicit Bonifacius VIII. Si Vniuerſitas, vel ſingularis perſona Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas compulerit ſoluere PEDAGIA, (id eſt, vectigalia,) vel GVIDAGIA, (id eſt, quæ dātur pro ducatu per alicuius terram, vt eò ſecurius proficiſcatur,) vel exactiones pro rebus ſuis, quas cauſa negotiationis non deferunt, vel pro perſonis, ſingulares ſunt excommunicati, & Vniuerſitas interdicta, nec prodeſt contraria conſuetudo.

Verba Canonis hæc ſunt: Quanquam Pedagiorum “ exactiones tam iure Canonico, quàm ciuili regulari- “ ter meritò ſint damnatæ, tantò tamen diſtrictius, ne “ ab Eccleſijs & PERSONIS Eccleſiaſticis talia exigantur, “ prohiberi oportet; quantò, ſi id fiat, maioris inde tranſ- “ greſſionis reatus incurritur, & offenſa euidētior com- “ probatur. Cùm igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſo- “ næ, ac RES ipſarum, non ſolùm iure humano, quin “

Digitized by Google

ſuo parum ſano cerebro confinxit? Cedo locum vni-"
cum ſacræ Scripturæ, quo fictitia hæc libertas doceri"
queat. Miror cur tam contumelioſè in ſolum Pontifi-"
cem ſtomachetur Schurffius,cùm eius ſentẽtia multorum Canoniſtarum ſuffragijs nitatur, qui exemptionẽ Clericorum iuris DIVINI eſſe arbitrantur; vt etiam docet Gloſſa in Can.tributum,23.q.8.& in c. Quamuis,de Cenſibus in VI. Deinde, nomine Iuris DIVINI forſan Pontifex intelligit exemplum ſacræ Scripturæ Geneſ. 47.Id quia flagitat Schurffius, vt ei gratũ faciam, & importunè ac impetuoſè flagitanti obſequar, explicabo. Ioſeph ſubiecit Pharaoni omnes Aegyptios,voluitque eos certum tributum pendere, exceptis ſolùm SACERDOTIBVS, quos immunes & liberos eſſe debere iudicauit. Si hæc exemptio iuri diuino repugnaret, eam nunquam ſtatuere auſus fuiſſet Ioſeph. Nam hanc Clericorum prærogatiuam ei ſuggeſſit Lex naturæ, & dictamen rationis.Pręſertim cùm perſuaſum haberet,bona Eccleſiaſtica eſſe Deo CONSECRATA; ne igitur Deus ipſe ſoluere tributa Regibus videretur, ea eximi voluit ab ipſorum exactionibus Nam, teſte Iuſtiniano,(C. de ſacroſanct.Eccleſ.l.Sancimus)veteres leges ea, quæ iuris"
diuini ſunt, (id eſt, Deo conſecrata,de quibus ibi loqui-"
tur) humanis nexibus non alligari ſanxerunt."

Præterea, Pontifex fortè huic dicto Matth.17. innixus eſt: *Quid tibi videtur* (ait Chriſtus) *Simon? Reges gentium à quibus accipiunt tributum,à ſuis;an ab alienis?* Reſpondit Simon: *Ab alienis.* Ait Dominus:*Ergo liberi ſunt filij.* Quem locum ita explicat S. Auguſtinus lib.1. Quæſt. Euangelic. q.23.vbi ſic loquitur: In omni regno intelligendum eſt liberos eſſe filios, id eſt, non eſſe vectigales: multo ergo magis liberi eſſe debent in omni regno terreno FILII regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terræ. Quare ex ſententia S. Auguſtini, ex hoc loco Euangelij, Clerici, qui ſunt maximè FILII & DOMESTICI

Digitized by Google

SVMMI REGIS, liberi erunt. Accedat etiam S.Hieronymi ſententia, qui in Commentario huius loci indicat Clericos, tanquam regni filios, immunes eſſe à tributis. Neque verò verba mea ita accipi velim, quaſi cenſeam hæc Euangelij verba neceſſariò intelligenda eſſe de iure diuino, quo Clerici à vectigalibus liberi pronuntientur: nam hoc indè colligo ſolùm per conſequentiam probabilem. Deinde ipſe Dominus videtur indicare, ſolùm ex vſu hominum filios regum liberos eſſe à tributis.

At inquis, quid fiet de Pontifice Bonifacio, qui expreſsè hoc dixit, iuris diuini eſſe? Ego verò ex citato eius Canone elicere non poſſum, ipſum rem hanc definiuiſſe, ſed tantùm aperuiſſe ſententiam ſuam: nam non loquitur per modum definientis rem controuerſam, ſed ſimpliciter, obiter, & incidenter id aſſerit. Ait enim: Cùm iure diuino ſint immunes Clerici. Vel etiam ſenſit, immunitatem Clericorum ad minus non repugnare diuino iuri.

Aliam litem nobis intendit, & obgannit Nicolaus „ Vigelius in Volumine anni 11. ante Iuſtiniani tempora „ Clericos à tributis, quæ pendi ſolent ratione poſſeſſi„ onum, liberos non fuiſſe. Quod vt euincat, varia obtendit teſtimonia. Ne ſe inani labore multum defatiget, eo à nobis leuabitur: nam hac in ſententia ei aſſentimur. Scio enim ſcriptum eſſe 23 q.8. Can. Tributum: vbi Vrbanus Papa ita ait: Tributum, inquit, in ore piſcis piſcāte Petro inuentum eſt, quia de exterioribus ſuis Eccleſia tributum reddit. S. Ambroſius in oratione de tradēdis Baſilicis: Si tributum, ait, petit, non negatur, agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Valētinianus Senior in epiſt. ad Epiſcopos Aſiæ, teſte Theodoreto lib.4. Hiſt. cap.7. dicit bonos Epiſcopos tributa penſitare Regibus.

Confutatio Vigelij.

Sed quid hinc extorquere moliatur Vigelius, conijcere non poſſum; & miror cur hoc ingerat, quod à nobis

bis dubitatum fuit nunquam. Quantum diuinare poſſum, huc tendit, vt nos fateri cogat, immunitatem Clericorum non eſſe iuris diuini. Hoc enim ſubinnuit in fine diſputationis, vbi ita concludit: Hinc deducitur, " immunitatē Papiſtici Cleri nō Iure diuino niti, ſed tan- " tùm Papiſticis Canonibus. At neque ego, neque mecū " ſanior pars Theologorum, & Canoniſtarum hanc ſententiam tuetur, iure diuino Clericos eſſe liberos à tributis. Viderit igitur quos oppugnet Vigelius; an non aerem verberet, & cum laruis luctetur. Nos enim hanc aſſertionem ſuſtinemus; immunitatem Clericorum, vt diſertè ex iure diuino probari nequeat: ita eam ipſi non repugnare euidenter comprobari poſſe. Quod de Iuſtiniano garrit, friuolum eſt & non ſolidū: etſi enim concedo, ante eius tempora Clericos pependiſſe ratione bonorum tributa, tamē hoc aſtutè ab eo obticetur, ante eius gubernationem legibus piorum Principum cautū fuiſſe, vt immunes eſſent Clerici à tributis PERSONALIBVS. Quod expreſsè indicat D. Hieronymus in Commentario, ad cap. 17 Matth.

Regerit Vigelius, ſi hæc Clericorum exceptio diuino iure non fulciatur, poſſe hodie Principes contrarium ſtatuere, & antiquorum Cæſarum priuilegia reuocare & abolere; vt Prędicantium Magiſtratus fecerunt, qui ipſis & leges Politicas, & tributa exoluenda impoſuerunt.

NB. Reſponſio ad aliā obiectionem Vigelij.

Cùm dudum non ſolùm Pontifices & Concilia, ſed etiam potior pars orbis terræ, per tot ſeculorum decurſus in hanc Clericorum exemptionem conſenſerint, miror cur Sectarij maiorem numerum mortaliū, qui Politicis Magiſtratibus contulit eam, quam habent poteſtatem, ab hac inueterata conſuetudine retrahere, & abſterrere conentur. Non dubium, quin hac peruicacia ſua laterem lauabunt; & quanta promptitudine ipſi Clericorum priuilegia diſturbare & euellere, tan-

M to ma-

to maiori propenſione Catholici eadem defendere,& ſarta tecta conſeruare conabuntur.

Mendacium Vigelij.

Quod addit Vigelius, immunitatem Clericorũ tantùm Canonibus Paparũ inniti, improbo ſe obſtringit mendacio: nam paulo ante eam Imperatorum Edictis propugnauimus, quæ laudabili more viguerant, antequam hac de re à Pontificibus decreta erant lata.

Progredior ad alios Canones, qui hanc exemptionem Eccleſiaſticorum valere iubent. Cap Quia nonnulli, de immunitate Eccleſiarum in VI. ibi Canon „ Alexandri IV. ita habet: Quia nonnulli abſentes tem„ porale dominium, vel poteſtatis gerentes officium ſe„ cularis, LIBERTATEM & IMMVNITATEM Eccleſiaſti„ cam lædere ac minuere, tanquam honoris & priuile„ gij Eccleſiarum inuidi, moliuntur; expedit, vt per dili„ gentiam & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, quæ curam „ habet Eccleſiarum omnium & tutelam, contra talium „ auſus & conamina opportunum remedium appona„ tur; vt Eccleſiæ ipſæ, in plenitudine iuris ſui & liberta„ tis integritate lætentur, ac deteſtabilis malignorum au„ dacia, & inſolentium nefaria temeritas propulſetur. „ Sanè intelleximus, quòd in Regno Franciæ communi„ tatis Scabini, ſeu Conſules, & alij domini temporales, & „ hi, qui iuriſdictionem in ipſis communitatum ciuitati„ bus, caſtris, & villis temporalem exercent, vel quibus „ in illis commiſſa eſt executio iuſtitiæ ſecularis, moleſti „ ſunt nimium ECCLESIIS ſuper pluribus, & infeſti: & in„ ter cætera nituntur & ſtudent, vt illis COLLECTAS, & „ TALLIAS, & alia huiuſmodi, eædem Eccleſiæ, prætextu „ bonorum, quæ acquiſiuerunt, tribuant, & perſoluant: „ vel extra manum ſuam ponant huiuſmodi acquiſita. „ Volentes igitur ſuper his omnibus, prout expedit, ſo„ licitè prouidere, totque temerarijs auſibus congruis „ præſidijs obuiare, auctoritate Apoſtolica præfata, cum „ fratribus noſtris diligenti deliberatione præhabita, de-

Digitized by Google

ternimus, non licere præfatis Communitatibus, Scabinis, & his, qui in eis iuriſdictionem obtinent temporalem, vel iuſtitiam ſecularem exercent, TALLIAS, vel COLLECTAS, ſeu exactiones quaſcunque, ECCLESIIS vel PERSONIS ECCLESIASTICIS imponere, vel exigere ab eiſdem pro domibus, prædijs, vel quibuſcunq; poſſeſſionibus, ab eiſdem Eccleſijs, vel PERSONIS Eccleſiaſticis legitimè hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirendis; etiamſi ipſæ Eccleſiæ, vel perſonæ, vel res huiuſmodi ſint infra illorum diſtrictum vel territorium conſtitutæ. Nec etiam liceat illis ipſas Eccleſias, vel perſonas ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum, acquiſita iam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.

In eod. Titulo cap. Clericis Laicos, legitur Bonifacij VIII. Lex, quam ſummatim tantùm perſtringam, ne ſingula verba, vtpote prolixi, Canonis percenſendo, & tranſcribendo Lectori faſtidium pariam. Primò recenſet facinera Laicorum cum Eccleſiæ inſtitutis pugnantia, qui CLERICIS COLLECTAS, TALLIAS, aliaque onera impoſuerant, quibus Clerici, proprij ipſorum hoſtes, conſenſerunt. Deinde, ſeuerè ipſis mandat, vt pro ipſorum, aut Eccleſiarum bonis Laicorum Magiſtratibus nihil dependant citra licentiam Apoſtolicæ Sedis. Adhæc interdicit, ne ſubtili quadam ac vafra interpretatione huic legi illudant, ac alium colorem obducant, quaſi Laicis hæc largiantur ſub ſpecie Mutui, ſubuentionis, doni, vel alio modo. Quòd & Laicis illicitum ſit talia exigere, aut recipere, vt & depoſita Eccleſiarum, vel ipſis ſeruientium, ad ſe rapere. Præuaricatoribus huius Sanctionis ſacris interdicit; Communitates verò interdicto ſubijcit. Quas pœnas valere iubet in ijs caſibus & promiſſionibus, quę acciderunt antequam hæc cōſtitutio emanauit. Si poſt eius promulgationem iſti contractus ex pacto ſoluantur

tur & recipiantur. Solus Papa ſibi reſeruat huius criminis abſolutionem, præterquam in mortis articulo. Cæterùm, omnia priuilegia, quæ quocunque modo hanc Decretalem infringere & eneruare videntur, irrita eſſe pronuntiat.

Hic Canon vt robur ſuum obtineat, grauiter edicit Benedictus XI. in Extrauaganti, Quod olim, de Immunitate Eccleſiarum. Pœnas autem mitigat, & declarat vt eas incurrāt tantùm exigentes eiuſmodi tributa, vel qui ad exigendum auxilium, fauorem, & conſilium ſuggerunt. Liberos autem eos eſſe vult, qui ſoluunt, aut qui recipiunt à ſponte dantibus.

Reſponſio, ad aliā obiectionem.

Sed obijcis, an non etiam ſumma neceſſitate vrgente, cùm Laicorum non ſufficiunt facultates, licebit etiam ab Eccleſijs, & earum miniſtris exigere, ac recipere eiuſmodi tributa, quibus communem Regni ac Eccleſiæ hoſtem forſan retundere & repellere poſſemus?

In hoc caſu immunitatem Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum ſolui & relaxari affirmamus, de aſſenſu & decreto Concilij Lateranenſis, ſub Innocentio III. Sed hanc cautionem, quæ ibi additur, ſeruare addecet; vt nimirum res ad Pontificem Romanum referatur, cuius eſt communi commodo prouidere, & an vrgentes ſubſint cauſæ Eccleſiarum facultates diſtrahendi & erogandi, expendere. Huius Pontificiæ relaxationis ac conſilij veſtigia ac monita ſecuti nōnulli Romanorum Impp. à Clero Germaniæ ſubſidia & tributa receperūt, ad infringendas ingruentes vires Turcicas, eumque hæreditarium hoſtem à ceruicibus noſtris depellēdi. Eiuſmodi ſubſidia & tributa, de aſſenſu Pontificis, decreta erāt in Comitijs Romani Imperij anno 1529. cùm Turca vaſtârat Auſtriam. Anno 1532. 1542. 1543. 1566. & nuper Anno 1594. Anno 1530. in frequentiſſimo & celeberrimo Comitio Auguſtano, Papa Clemens VII. Ferdinando, Regi Romanorum & Bohemorum, poteſtatem fecit

Cur in Comitijs Romani Imperij tributa Clero Germaniæ impoſita ſint.

cit totius Germaniç templorum ornamenta, & quicquid eſſet auri atque argenti ſumendi, & conuertendi in bellum Turcicum, Eccleſiaſticis quoque tributum imperandi. E Proteſtantium numero nonnulli Magiſtratus minimè aſſentientes, Cæſarem Carolum V. pientiſſimæ memoriç, vt reſcinderet hoc decretum, interpellârunt. Quid ipſos mouerit, me clam eſt, nec eſt meum curioſè Principum arcana ſcrutari. Certum eſt, Catholicos Proceres huic Conſtitutioni obſequentes, præclara hac pietatis beneficentia, Deum & Eccleſiam ſibi demeruiſſe.

Aurum enim (vt habetur XII. q. 2. Can. aurũ) Eccleſia « habet, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſ- « ſitatibus. Quid eſt opus cuſtodire, quod nihil adiuuat? « an ignoramus quantum auri atque argenti templo Do- « mini Aſſyrij ſuſtulerint? Nonne melius conflat Sacer- « dos pro alimonia pauperum, (vel ad liberandos fideles « è iugo Turcico,) ſi aliqua ſubſidia deſunt, quàm ſi ſacri- « legus contaminat & aſportat hoſtis? (Turca, aut Calui- « niſta?) Nonne dicturus eſt Dominus, cur paſſus es tot « inopes fame mori? Certè habebas aurum, vnde mini- « ſtraſſes alimoniam. Cur tot captiui in captiuitatem du- « cti, (à Turca,) nec redempti ab hoſte occiſi ſunt? Melius « fuerat vt vaſa viuentium ſeruares, quàm metallorum. « Verè illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas à « morte. Ille verus eſt theſaurus Domini, qui operatur « quod ſanguis eius operatus eſt. Et paulo poſt: Nemo « poteſt dicere cur pauper viuit: nemo poteſt queri, quia « captiui redempti ſunt: nemo poteſt accuſare, quia tem- « plum Dei eſt ædificatum: nemo poteſt indignari, quia « humandis fidelium reliquijs ſpatia laxata ſunt: nemo « poteſt dolere, quia in ſepulchris Chriſtianorum requies « defunctorum eſt. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ « etiam initiata confringere, conflare, vendere licet, & « cæt. Quid D. Ambroſio, (lib. de Officijs,) ex quo hæc ver- «

„ ba tranſcripta ſunt à Gratiano, Sectarij reſpondere que-
„ ant, ipſis meditandum relinquo.

THEOLOGIA

ſentit, decuiſſe vt Clerici, eorumque bona libera eſſent à poteſtate Secularium. Vide cap. Geneſis 47. & Matth. 17. & ibi Commentarium D. Hieronymi. Concilium Lateranenſe, ſub Alexandro III. par. 1. cap. 19. & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 46. D. Thomam 2. 2. q. 104. art. 6. & ibid. Caietanum in Commentarijs. Legendi ſunt etiam recentiores ſcriptores, qui magno conſenſu huic ſententiæ ſubſcribunt; Turrecremata lib. 4. Summæ Eccleſiæ, parte 2. cap. 37. Franciſcus Victoria relectione 1. q. vlt. de Poteſtate Eccleſię. Dominicus à Soto in 4. d. 25. q. 2. art. 2. Couarruuias in lib. Practicarum quæſtionum, cap. 31. Alphonſus Toſtatus q. 191. in cap. 17. Matth.

LOCVS XXXIV. DE VITA MONASTICA.

Monaſticen, ob pia opera eſſe laudabilem, & Deo gratam.

„ COnuerſationis Monachalis vita ſic eſt honeſta,
„ ſic commendare nouit DEO ad eam venien-
„ tem, vt omnem quidem eius MACVLAM deter-
„ gat: (id eſt, à peccato purget,) PVRVM (à peccato) au-
„ tem declaret, ac RATIONABILI NATVRA decentem,
„ & plurima ſecundùm MENTEM (id eſt, rationem, inſi-
„ tam menti à Deo,) operantem, & humanis cogitatio-
„ nibus CELSIOREM, (quia vita contemplatiua præcellit
„ actiuam, & hominem Angelis æquat.) Si quis igitur fu-
„ turus eſt Monachus, & PERFECTVS eſſe indiget, diui-
„ norum eloquiorum eruditione & conuerſationis inte-
„ gritate polleat, vt tanta dignus factus ſit MVTATIONE.

Inten-

Intendimus igitur & nos explanare quid agendum eſt "
ab ijs,& DECERTATORES eos(contra Diabolum & car- "
nem)veros ad SACRAM VIAM CONSTITVERE. "

Quod aſſeritur,per Monaſticen omnem MACVLAM abſtergi,quidam Canoniſtæ per eam intelligunt IRREGVLARITATEM, quæ per ingreſſum religionis tollatur,vt notat Gloſſa,in c.final. extra de filijs Presbyterorum,& in cap. Deputati,de Iudicijs,& xix.q.vlt. Can.finali,aſſeritur,ingratitudinem filij aboleri per ſuſceptionem Monaſtices. Contrarium tamen ſtatui quibuſdam videtur Diſtinct.lv.1.q.7.c 2.mea tamen ſententia, videtur hæc Authentic,ſentire, per Monaſticen homines LIBERARI A PECCATIS.

CANONES

xvi. q. 1. Monachus non docentis, ſed plangentis habet "
officium;qui vel ſe,vel mundum lugeat,& Domini pa- "
uidus præſtoletur aduentum. Et Can.ſeq. Si cupis eſſe "
quod diceris Monachus,id eſt, ſolus: quid facis in vrbi- "
bus? quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula,ſed mul- "
torum. Habeto ſimplicitatem columbę,ne cuiquam "
machineris dolos; & ſerpentis aſtutiam, ne aliorũ ſup- "
planteris inſidijs, & cæt. "

THEOLOGIA

docet, Monachos bonis operibus ſuis ſatisfacere pro peccatis, ad abolendam pœnam temporalem ipſis debitam. Hinc SS. Patres Monaſticen comparant cum Baptiſmo. Vide S. Hieronymum Epiſt.25.de obitu Bleſillę: D.Bernardum lib.de præcepto & diſpenſat.non procul à fine. D. Thomam 2.2.quæſt.vlt.art.30. D. Bernardus ſentit(Serm.30.in Cantica) laborem Monaſticum eſſe genus Martyrij: Videndus eſt etiam D.Athanaſius in vita S.Antonij.

LOCVS.

Digitized by Google

LOCUS XXXV.

Illicitum eſſe, Monaſticas perſonas VOTVM CASTITATIS *violare; & qui cum ijs contrahunt, easq́ rapiunt coniugij ineundi cauſa, capitali pœna feriendos eſſe.*

„ SI quis non dicam RAPERE, ſed ATTENTARE tā-
„ tummodò iungendi cauſa MATRIMONII SA-
„ CRATISSIMAS VIRGINES auſus fuerit, capi-
„ tali pœna feriatur. C. de Epiſcopis & Clericis.

Cauſa legis huius ferendæ hæc erat: Cùm tempore Iuliani Apoſtatæ cœpiſſent quidam ſacras Virgines in coniugium petere, Iouinianus Chriſtianus pientiſſimus Imperator, qui Iuliano ſucceſſit, ſanctionem hanc Anno 367. edidit, vt CAPITE PLECTERETVR, qui ſacram Virginem vel ad coniugium petere, vel etiam IMPVDICÈ ASPICERE auſus fuiſſet. Sic enim refert Sozomenus lib. 6. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 3.

Contra Iureconſ. Sectariorum.

Hîc ſciſcitari lubet à Sectariorum Iureconſſ. an coram hoc capitali iudicio ſacrilegis ſuis nuptiatoribus, & deploratiſſimis Monaſtices Apoſtatis, qui tot Deo dicatas, & æternùm deuotas Virgines inceſtis nuptijs polluerunt, patrocinium præſtare, & ipſorum cauſam orare velint.

Non dubium eſt, ſi zelo pietatis & iuſtitiæ flagrantiſſimus hic Cęſar adhuc hodie viueret, quin non ſolùm huius nefarij facinoris reos, ſed & hoſce eorum patronos & aduocatos, qui legem hanc Imperialem aboleri ſinunt, & non defendunt, capitis damnaret. Nam & ij, qui ſacrilegum nefas non vlciſcuntur, vt faciunt Sectariorum Iureconſſ. qui ſe Iuſtitię ac legum cuſtodes eſſe profitentur, ęquè in legem committunt, & ideo pari cum reis ſupplicio percellendi ſunt; iuxta vulgatam Regul. iuris, faciens & conſentiens pari pœna plectuntur.

Quid

Quid per vocabulum, ATTENTARE iungendi matrimonij cauſa, intelligatur, hoc loci ambigitur inter interpretes. explicationem meam per diſtinctionem proponam. Aut quis cogitauit tantùm delictum hoc committere, & ad actum non proceſſit, & is vigore huius legis non punitur, vt conſtat ex ff. de pœnis, l. cogitationis nemo pœnam patitur. Aut ad actum proceſſit, & eum ad effectum deduxit, & is indubiè hanc pœnam incurrit: ſiue vtatur, ſiue non: vt ff. quod quiſque iuris, l.3. in princ. Aut non perduxit, & tunc aut quia noluit, quo caſu ei parcitur: vt in ſimili caſu loquitur ff. ad l. Corn. de fal. l. qui falſam: aut QVIA NON POTVIT, tum in hoc, ceu ATROCIORI delicto, punitur, ac ſi id ad effectum perduxiſſet. In quo caſu vides puniri delictum, etiam ſi non ſequatur effectus. Vt etiam in alijs atrocibus delictis iura ſtatuere ſolent. C. ad legem Iul. Maieſt. l. quiſquis, & ff. de ex̨or. cri. l. 1.

Cod. de Epiſcop. & Clericis l. Raptores. Sanctimonialium raptores puniuntur pœna capitis, & omnium bonorum amiſſionis; & deprehenſi in crimine OCCIDI poſſunt impunè ab his, quorum intereſt. Vbi etiam ſtatuitur, ſi aufugerint raptores, eos capiendos & remittendos eſſe ad locum delicti, ibique poſt probationes legitimas puniendos. Qua pœna puniri vult etiam eos, qui tempore rapturæ auxilium pręſtiterunt. Conſcij verò ac miniſtri, licet capite ſint mulctandi, ijs tamen bona non vult adimi. Legem hāc, quia multa memorabilia continet, totidem verbis adſcribam.

Raptores VIRGINVM, DIACONISSARVM, VEL VIDVARVM, quæ DEO FVERINT DEDICATAE, peſſima " criminum peccantes, CAPITIS SVPPLICIO plectendos " eſſe decernimus: quod non ſolùm ad iniuriam hominum, ſed ad ipſius omnipotentis Dei IRREVERENTIAM committitur. Qui itaque huiuſmodi crimē commiſerint, & qui eis auxilium tempore inuaſionis præbuerint,

NB. Parce, parce Iuſtiniane Lutheraniſmi & Caluiniſmi Præconibus.

N

„ buerint, vbi inuenti fuerint in ipſa rapina, & adhuc fla-
„ granti crimine depreheñſi, à parentibus SANCTIMONIA-
„ LIVM Virginum, vel viduarum, vel Diaconiſſarum, aut
„ earum conſanguineis, vel tutoribus ſeu curatoribus
conuicti, INTERFICIANTVR. Sin autem poſt commiſ-
ſum tam deteſtabile crimen, aut potentatu raptor ſe de-
fendet, aut fuga euadere potuerit, cuiuslibet ordinis
iudices, qui in OMNIBVS LOCIS inuenti fuerint, ſimile
ſtudiũ cũ magna ſolicitudine adhibeant, vt eos poſſint
comprehendere, & comprehenſos in tali crimine, poſt
legitimas & iuri cognitas probationes, ſine fori præſcri-
ptione, duriſſimis pœnis afficiant, & mortis condem-
nent ſupplicio. Bona autem eorum, ſi hoc commiſſum
fuerit vel in SANCTIMONIALEM Virginem, quæ in Aſ-
„ ſiſterio, vel Monaſterio degit, ſiue eadem virgo Diaco-
„ niſſa conſtituta ſit, vel non, eidem Monaſterio vel Aſſi-
„ ſterio, vbi CONSECRATA eſt, addicantur; vt ex his rebus
„ & ipſa ſolatium habeat dũ viuit ſufficiens, & res omnes
„ ſacroſanctum Aſſiſterium ſeu Monaſterium pleno ha-
„ beat DOMINIO. Si autem Diaconiſſa cuiuſcunque Ec-
„ cleſiæ ſit, nullo tamen Monaſterio conſtituta, ſed per ſe
„ degit, raptoris eius ſubſtantia Eccleſiæ, cuius Diaconiſſa
„ eſt, aſſignetur; vt ex his facultatibus ipſa quidem vſum
„ fructum, dum ſupereſt, ab eadem Eccleſia conſequa-
„ tur. Eccleſia verò omnem proprietatem, & plenam
„ poſſeſſionem earundem rerum noſtro habeat benefi-
„ cio, nemine vel iudice, vel quacunque alia perſona hęc
„ audente contemnere. Pœnas, quas conſtituimus, mor-
„ tis nempe & bonorum amiſſionis, conſtituimus non
„ tantùm aduerſus raptores, ſed etiam contra eos, qui
„ hos comitati fuerint in ipſa inuaſione & rapina. Cæte-
NB. „ ros autem omnes, qui conſcij & miniſtri huius criminis
„ reperti & conuicti fuerint, vel eos ſuſceperint, vel
„ quamcunque opem eis tulerint, ſiue maſculi, ſiue
„ fœminæ ſint, cuiuſcunque conditionis, vel gradus, vel
digni-

Etiam licet adulteram cum adultero in ipſo actu priuatæ perſonæ occidere ff. de adul. l. nec cui eo. & C. de Adult. l. Gracchus. De iure Canonum ſecus eſt.

dignitatis, pœnæ CAPITALI tantummodò ſubijcimus. "
Vt huic pœnæ omnes ſubiaceant, ſiue VOLENTIBVS, ſi- "
ue NOLENTIBVS Sanctimonialibus Virginibus, ſiue ali- "
js ſupradictis mulieribus, tale facinus fuerit perpetra- "
tum, decernimus. Hucuſque verba legis. "

Dubiũ hîc oritur, cur Lex pœnã ſumere iubeat de ijs, qui etiam VOLENTIBVS & conſentientibus Sanctimonialibus eas rapuerint. Nam vt dicitur de Regul. Iuris in VI. Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus, præſertim ſi inuicem pepigerint de coniugio ineundo, & ob hanc cauſam raptus committatur. Qua ratione Panormitanus in c. cùm cauſa, extra de Raptoribus inductus, nullam pœnam capitalem arbitratur incurri de iure Canonum; & addit, Raptoris propoſitum eſſe raptam in honeſtum ſtatum, quantum in ipſo eſt, adducere. Solutio Dubij.

In foro autem contentioſo ſecus videtur: nam leges ciuiles RAPTAM, licet conſentientem, PRAESVMVNT eſſe ſeductam, quia ſi non eſſent hominis inſidiæ, tantum facinus non patraſſet, vt dicit Text. in l. vnica, C. de raptu Virginum. In quo caſu etiam Canones exigunt pœnas à raptoribus. 27. q. vlt. lex illa. & 36. quæſt. 1.

Ego ſententiæ eorum ſubſcribo, qui ſentiunt legem hanc Iuſtiniani, de Sanctimonialium raptu, in ſuo vigore permanere cum annexa pœna; at ea, quæ modò protuli accipienda eſſe de raptu vulgarium, non DEO DICATARVM VIRGINVM.

Cæterùm, vt hoc obiter (pro captu rudiorum) admoneam, quid ſibi velit Iuſtinianus per vocem ASSISTERIAM, cuius aliquoties iam mentionem feci, ſciendum, eam ſumptam eſſe ex D. Baſilij Sermonibus Aſceticis. Nam in ijs Monachus & Sanctimonialis vocatur ἀσκητὴς, quæ vox ſignificat pugilem vel exercitatorem;

Digitized by Google

eò quòd Deo conſecratæ perſonæ ſemper pugnent, & luctentur cum Diabolo, carne, & mundo: ac ſe in pijs operibus, ieiunijs, vigilijs, orationibus, & meditationibus EXERCEANT. Hinc eorum Loca, vbi exercentur, appellantur ἀσκητήρια, quaſi dicas palæſtras, & loca ſpiritualibus pugilibus ſeu exercitatoribus deſtinata.

» Authent. de Sanct. Epiſcopis, §. Si quis autem, col-
» latione 9. Iubemus VIROS à fœminis ſeparari, & fœ-
» minas quidem in quo ſunt Monaſterio REMANERE:
» VIROS autem aliud Monaſterium ſibi facere, &cæt. Si
» verò plura ſunt Monaſteria, vt neceſſe non ſit noua
» Monaſteria ædificare, Epiſcopus Monachos cum Mo-
» nachis, & FOEMINAS cum FOEMINIS SEPARET, & in
» alijs Monaſterijs congregare procuret.

Redarguuntur duo Caluini mendacia.

Ex hoc loco Iuſtiniani redarguitur impudens Caluini mendacium, qui libro quarto Inſtitutionum capite decimo tertio, §. 19. ſcribere auſus eſt; Mulieres olim ad profeſſionem continentiæ non admiſſas fuiſſe ante annum ſexageſimum. *Si hoc verum eſt*, fruſtra hoc loci Iuſtinianus tanta ſolicitudine eorum pudicitię proſpexit, cùm eas omnibus modis à viris ſeparari voluit. *Si enim omnes exceſſerunt annum ſexageſimum*, non tanta cuſtodia & ſeparatione induit illarum pudicitia.

NB.

Aliud mendacium Caluini, ibidem §. decimoquar-
» to refellitur per hanc Authenticam: Veterum, ait,
» Monaſteria non habuiſſe proprias Eccleſias & altaria,
» ſed cum cæteris laicis ad communia conueniſſe tem-
» pla Monaſtices cultores.

Cùm verò in fine huius Authenticę Iuſtinianus optionem det Monialibus eligere & aſciſcere, quem velint Presbyterum, qui in eorum Monaſterijs ipſis ſacra miniſtret, cuius momenti ſit hoc dictum, cuiuis in promptu eſt æſtimare.

Eodem

Digitized by Google

Eodem modo Iuſtinianus etiam DIACONISSIS indixit continentiam. Eæ erant viduæ pauperiores, quarum certus numerus Eccleſiæ eleemoſynis alebatur, vt colligitur ex 1. ad Timoth. 5. cap. interpretibus S. Chryſoſtomo, Ambroſio, & D. Hieronymo. Vel etiam Diaconiſſæ dicebantur Monaſteriorum diſpenſatrices, & curam rei familiaris, ſeu œconomiæ habentes, vt colligitur ex Caſſiano, collat. 21. cap. 1. 8. & 9. Tertullianus lib. 1. ad vxorem, & lib. de velandis virginibus dicit, Diaconiſſas delectas fuiſſe ad quandam præfecturam & ordinem. De ijs ita ſcribit Iuſtinianus in Authen. Quomodo oporteat Epiſc. §. Quanta igitur, Collat. 1. Diaconiſſas oportet conſtituere circa quinquaginta annos, easque ſic ſacram promereri ORDINATIONEM: & aut Virgines conſtitutas, aut vnius VIRI quæ FVERANT vxores. Non enim permittimus neque SECVNDAS contrahentibus NVPTIAS, neque vitam non habentibus irreprehenſibilem. Si verò quædam neceſſitas fiat, minorem ab hac ætate ordinari Diaconiſſam contigerit, liceat eam in aliquo venerabilium Aſſiſteriorum ordinari, & in illo HABITARE, nequaquam VIRIS ADMIXTAM. Volumus autem illas non cum aliquo degere aut cognatorum, aut eorum quos appellāt dilectos. Talibus enim nominibus vtentes, maligna ſuſpicione ſuam replent vitam; ſed aut SOLAE habitent, aut cum parentibus ſolis, & filijs, aut verè fratribus, aut his, de quibus ſi quis ſuſpicari aliquid præſumpſerit, malignū, inſipientem & impium ſe ſit proditurus. Si erubeſcentes ordinationem DERELIQVERINT miniſteriū, & ad NVPTIAS venerint, aut ALIAM omnino elegerint VITAM, obligatæ efficiuntur MORTI, (NB. quidam hîc MORTEM intelligunt animæ, alij vltimum ſupplicium; quæ ſit verior ſententia eligat Lector) & ſubſtantia earum applicabitur ſanctiſſimis Eccleſijs, aut Monaſterijs, in quibus ſunt. Qui verò eas CORRVMPERE (pudici-

NB.

DIACONISSARVM ORDO.

Digitized by Google

tiam eorum violare) præſumpſerint, GLADIO ferientur, & ſubſtantia eorum applicabitur Fiſco.

Hęc conſtitutio repetitur in Authen. de Sanct. Epiſc. §. Si quis, Collat. 9. Verba hæc ſunt: Si quis RAPVERIT aut SOLICITAVERIT (ad impudicitiam,) aut CORRVPERIT Aſſiſteriã, DIACONISSAM, aut MONASTRIAM, aut quamlibet aliam fœminam, venerabilem habitum habentem, EIVS FACVLTATES iubemus venerabili loco, in quo talis fœmina habitat, per locorum ſanctiſſimos Epiſcopos, & Oeconomos eorum, nec non etiam cuiuſliber prouinciæ Iudices, & eorum officia, vendicari.

Eos, qui talia deliquerint, & PARTICIPES huius ſceleris fuerint, CAPITALE PERICVLVM ſuſtinere decernimus. Mulier autem vbique inueſtigetur, & cum ſuis rebus Monaſterio cautiori tradatur. Si autem Diaconiſſa fuerit, legitimos habens filios, pars legitima liberis eius præſtetur.

Ex hac Authentica explicatur modò præcedẽs, cùm enim hîc mortis ſupplicium VIOLATORIBVS ſacrarum Virginum & Diaconiſſarum conſtituerit, non dubium, quin prior etiam ita intelligenda erit.

CANONES

peſſimum flagitium & grauiſſimum peccatum eſſe decernunt, ſi perſonæ ſemel Deo conſecratæ, & perpetuam continentiam profeſſæ, EANDEM VIOLANT.

Diſtinct. 27. Can. 4. Vouentibus virginitatem non ſolùm NVBERE, ſed etiam VELLE, damnabile eſt. Et Can. ſeq. *Si nupſerit virgo non peccat*, non illa virgo, quæ ſemet cultui DIVINO dedicauit. Harum enim ſi quæ nupſerit, *habebit damnationem, quia primã* FIDEM IRRITAM *fecit*. Et Can. vlt. Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quàm inceſtæ. 27. q 1. Sciendum eſt omnibus, quòd Deo conſecratarum fœminarum corpora, per votum propriæ ſponſionis & verba ſacerdotis

Digitized by Google

dotis Deo conſecrata templa eſſe, Scripturarum teſtimonijs comprobãtur: & ideo violatores earum ſacrilegi, & iuxta Apoſtolum *filij perditionis* eſſe noſcuntur. Ibid. Si qua virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptijs iungi. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant EXCOMMVNICATI: ſtatuimus verò, poſſe eis fieri humanitatem, ſi ita probauerit Epiſcopus loci.

Ibid. Diaconiſſam non debere ante annos 40. ordinari ſtatuimus, & hoc cum diligenti probatione: ſi verò ordinationem ſuſceperit, & quantocunque tempore obſeruauerit miniſterium, & poſtea ſe nuptijs tradiderit, iniuriam faciens gratiæ Dei, hæc anathema ſit, etiam CVM EO, CVM QVO in nuptijs illius conuenerit.

Ibid. Can. Vt Lex: Vt lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, præcipimus, quatenus Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, MONACHI, atque CONVERSI profeſſi, qui ſacrum tranſgredientes propoſitum, vxores ſibi copulare præſumpſerint, SEPARENTVR. Huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, MATRIMONIVM non eſſe cenſemus. Qui etiam ab inuicem ſeparati, pro tantis exceſſibus condignã pœnitentiam agant. Idipſum quoque de Sanctimonialibus fœminis, ſi (quod abſit) NVBERE attentauerint, obſeruare decreuimus.

Ibid. Moniales in vitiũ carnis prolapſæ grauiter puniuntur, ac peccantes cum ipſis Excõmunicationi ſubijciuntur.

THEOLOGIA

conſentit; nempe tum alia, tum caſtitatis vota eſſe licita, non violãda, ac à Monaſtices profeſſoribus ſub pœna ſeruanda. Matth. 19. 1. ad Timoth. 5. Concilium Ancyranum, Can. 18. Chalcedonẽſe, Can. 16. Carthaginenſe

III. cap.

„ ba tranſcripta ſunt à Gratiano, Sectarij reſpondere que-
„ ant, ipſis meditandum relinquo.

THEOLOGIA

ſentit, decuiſſe vt Clerici, eorumque bona libera eſſent à poteſtate Secularium. Vide cap. Geneſis 47. & Matth. 17. & ibi Commentarium D. Hieronymi. Concilium Lateranenſe, ſub Alexandro III. par. 1. cap. 19. & Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 46. D. Thomam 2. 2. q. 104. art. 6. & ibid. Caietanum in Commentarijs. Legendi ſunt etiam recentiores ſcriptores, qui magno conſenſu huic ſententiæ ſubſcribunt; Turrecremata lib. 4. Summæ Eccleſiæ, parte 2. cap. 37. Franciſcus Victoria relectione 1. q. vlt. de Poteſtate Eccleſię. Dominicus à Soto in 4. d. 25. q. 2. art. 2. Couarruuias in lib. Practicarum quæſtionum, cap. 31. Alphonſus Toſtatus q. 191. in cap. 17. Matth.

LOCVS XXXIV. DE VITA MONASTICA.

Monaſticen, ob pia opera eſſe laudabilem, & Deo gratam.

„ COnuerſationis Monachalis vita ſic eſt honeſta,
„ ſic commendare nouit DEO ad eam venien-
„ tem, vt omnem quidem eius MACVLAM deter-
„ gat: (id eſt, à peccato purget,) PVRVM (à peccato) au-
„ tem declaret, ac RATIONABILI NATVRA decentem,
„ & plurima ſecundùm MENTEM (id eſt, rationem, inſi-
„ tam menti à Deo,) operantem, & humanis cogitatio-
„ nibus CELSIOREM, (quia vita contemplatiua præcellit
„ actiuam, & hominem Angelis æquat.) Si quis igitur fu-
„ turus eſt Monachus, & PERFECTVS eſſe indiget, diui-
„ norum eloquiorum eruditione & conuerſationis inte-
„ gritate polleat, vt tanta dignus factus ſit MVTATIONE.

Inten-

Intendimus igitur & nos explanare quid agendum eſt "
ab ijs, & DECERTATORES eos (contra Diabolum & car- "
nem) veros ad SACRAM VIAM CONSTITVERE. "

Quod aſſeritur, per Monaſticen omnem MACVLAM abſtergi, quidam Canoniſtæ per eam intelligunt IRREGVLARITATEM, quæ per ingreſſum religionis tollatur, vt notat Gloſſa, in c. final. extra de filijs Presbyterorum, & in cap. Deputati, de Iudicijs, & xix. q. vlt. Can. finali, aſſeritur, ingratitudinem filij aboleri per ſuſceptionem Monaſtices. Contrarium tamen ſtatui quibuſdam videtur Diſtinct. lv. 1. q. 7. c 2. mea tamen ſententia, videtur hæc Authentic. ſentire, per Monaſticen homines LIBERARI A PECCATIS.

CANONES

xvi. q. 1. Monachus non docentis, ſed plangentis habet "
officium; qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini pa- "
uidus præſtoletur aduentum. Et Can. ſeq. Si cupis eſſe "
quod diceris Monachus, id eſt, ſolus: quid facis in vrbi- "
bus? quæ vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed mul- "
torum. Habeto ſimplicitatem columbę, ne cuiquam "
machineris dolos; & ſerpentis aſtutiam, ne aliorũ ſup- "
planteris inſidijs, & cæt. "

THEOLOGIA

docet, Monachos bonis operibus ſuis ſatisfacere pro peccatis, ad abolendam pœnam temporalem ipſis debitam. Hinc SS. Patres Monaſticen comparant cum Baptiſmo. Vide S. Hieronymum Epiſt. 25. de obitu Bleſillę: D. Bernardum lib. de præcepto & diſpenſat. non procul à fine. D. Thomam 2. 2. quæſt. vlt. art. 30. D. Bernardus ſentit (Serm. 30. in Cantica) laborem Monaſticum eſſe genus Martyrij: Videndus eſt etiam D. Athanaſius in vita S. Antonij.

Quid per vocabulum, ATTENTARE iungendi matrimonij cauſa, intelligatur, hoc loci ambigitur inter interpretes. explicationem meam per diſtinctionem proponam. Aut quis cogitauit tantùm delictum hoc committere, & ad actum non proceſſit, & is vigore huius legis non punitur, vt conſtat ex ff. de pœnis, l. cogitationis nemo pœnam patitur. Aut ad actum proceſſit, & eum ad effectum deduxit, & is indubiè hanc pœnam incurrit: ſiue vtatur, ſiue non: vt ff. quod quiſque iuris, l. 3. in princ. Aut non perduxit, & tunc aut quia noluit, quo caſu ei parcitur: vt in ſimili caſu loquitur ff. ad l. Corn. de fal. l. qui falſam: aut QVIA NON POTVIT, tum in hoc, ceu ATROCIORI delicto, punitur, ac ſi id ad effectum perduxiſſet. In quo caſu vides puniri delictum, etiam ſi non ſequatur effectus. Vt etiam in alijs atrocibus delictis iura ſtatuere ſolent. C. ad legem Iul. Maieſt. l. quiſquis, & ff. de extor. cri. l. 1.

Cod. de Epiſcop. & Clericis l. Raptores. Sanctimonialium raptores puniuntur pœna capitis, & omnium bonorum amiſſionis; & deprehenſi in crimine OCCIDI poſſunt impunè ab his, quorum intereſt. Vbi etiam ſtatuitur, ſi aufugerint raptores, eos capiendos & remittendos eſſe ad locum delicti, ibique poſt probationes legitimas puniendos. Qua pœna puniri vult etiam eos, qui tempore rapturæ auxilium prę̄ſtiterunt. Conſcij verò ac miniſtri, licet capite ſint mulctandi, ijs tamen bona non vult adimi. Legem hāc, quia multa memorabilia continet, totidem verbis adſcribam.

„ Raptores VIRGINVM, DIACONISSARVM, VEL VIDVARVM, quæ DEO FVERINT DEDICATAE, peſſima
„ criminum peccantes, CAPITIS SVPPLICIO plectendos eſſe decernimus: quod non ſolùm ad iniuriam hominum, ſed ad ipſius omnipotentis Dei IRREVERENTIAM committitur. Qui itaque huiuſmodi crimē commiſerint, & qui eis auxilium tempore inuaſionis præbuerint,

NB. Parce, parce Iuſtiniane Lutheraniſmi & Caluiniſmi Præconibus.

„ buerint, vbi inuenti fuerint in ipſa rapina, & adhuc fla-
„ granti crimine deprehēſi, à parentibus SANCTIMONIA-
„ LIVM Virginum, vel viduarum, vel Diaconiſſarum, aut
„ earum conſanguineis, vel tutoribus ſeu curatoribus
conuicti, INTERFICIANTVR. Sin autem poſt commiſ-
ſum tam deteſtabile crimen, aut potentatu raptor ſe de-
fendet, aut fuga euadere potuerit, cuiuslibet ordinis
iudices, qui in OMNIBVS LOCIS inuenti fuerint, ſimile
ſtudiũ cũ magna ſolicitudine adhibeant, vt eos poſſint
comprehendere, & comprehenſos in tali crimine, poſt
legitimas & iuri cognitas probationes, ſine fori præſcri-
ptione, duriſſimis pœnis afficiant, & mortis condem-
nent ſupplicio. Bona autem eorum, ſi hoc commiſſum
fuerit vel in SANCTIMONIALEM Virginem, quæ in Aſ-
„ ſiſterio, vel Monaſterio degit, ſiue eadem virgo Diaco-
„ niſſa conſtituta ſit, vel non, eidem Monaſterio vel Aſſi-
„ ſterio, vbi CONSECRATA eſt, addicantur; vt ex his rebus
„ & ipſa ſolatium habeat dũ viuit ſufficiens, & res omnes
„ ſacroſanctum Aſſiſterium ſeu Monaſterium pleno ha-
„ beat DOMINIO. Si autem Diaconiſſa cuiuſcunque Ec-
„ cleſiæ ſit, nullo tamen Monaſterio conſtituta, ſed per ſe
„ degit, raptoris eius ſubſtantia Eccleſiæ, cuius Diaconiſſa
„ eſt, aſſignetur; vt ex his facultatibus ipſa quidem vſum
„ fructum, dum ſupereſt, ab eadem Eccleſia conſequa-
„ tur. Eccleſia verò omnem proprietatem, & plenam
„ poſſeſſionem earundem rerum noſtro habeat benefi-
„ cio, nemine vel iudice, vel quacunque alia perſona hęc
„ audente contemnere. Pœnas, quas conſtituimus, mor-
„ tis nempe & bonorum amiſſionis, conſtituimus non
„ tantùm aduerſus raptores, ſed etiam contra eos, qui
„ hos comitati fuerint in ipſa inuaſione & rapina. Cæte-
NB. „ ros autem omnes, qui conſcij & miniſtri huius criminis
„ reperti & conuicti fuerint, vel eos ſuſceperint, vel
„ quamcunque opem eis tulerint, ſiue maſculi, ſiue
„ fœminæ ſint, cuiuſcunque conditionis, vel gradus, vel
digni-

Etiam licet adulteram cum adultero in ipſo actu priuatæ perſonæ occidere ff de adul. l. ne cui eo. & C. de Adult. l. Gracchus. De iure Canonum ſecus eſt.

Digitized by Google

dignitatis, pœnæ CAPITALI tantummodò ſubijcimus. "
Vt huic pœnæ omnes ſubiaceant, ſiue VOLENTIBVS, ſiue NOLENTIBVS Sanctimonialibus Virginibus, ſiue alijs ſupradictis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum, decernimus. Hucuſque verba legis.

Dubiũ hîc oritur, cur Lex pœnã ſumere iubeat de ijs, qui etiam VOLENTIBVS & conſentientibus Sanctimonialibus eas rapuerint. Nam vt dicitur de Regul. Iuris in VI. Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus, præſertim ſi inuicem pepigerint de coniugio ineundo, & ob hanc cauſam raptus committatur. Qua ratione Panormitanus in c. cùm cauſa, extra de Raptoribus inductus, nullam pœnam capitalem arbitratur incurri de iure Canonum; & addit, Raptoris propoſitum eſſe raptam in honeſtum ſtatum, quantum in ipſo eſt, adducere.

Solutio Dubij.

In foro autem contentioſo ſecus videtur: nam leges ciuiles RAPTAM, licet conſentientem, PRAESVMVNT eſſe ſeductam, quia ſi non eſſent hominis inſidiæ, tantum facinus non patraſſet, vt dicit Text. in l. vnica, C. de raptu Virginum. In quo caſu etiam Canones exigunt pœnas à raptoribus. 27. q. vlt. lex illa. & 36. quæſt. 1.

Ego ſententiæ eorum ſubſcribo, qui ſentiunt legem hanc Iuſtiniani, de Sanctimonialium raptu, in ſuo vigore permanere cum annexa pœna; at ea, quæ modò protuli accipienda eſſe de raptu vulgarium, non DEO DICATARVM VIRGINVM.

Cæterùm, vt hoc obiter (pro captu rudiorum) admoneam, quid ſibi velit Iuſtinianus per vocem ASSISTERIAM, cuius aliquoties iam mentionem feci, ſciendum, eam ſumptam eſſe ex D. Baſilij Sermonibus Aſceticis. Nam in ijs Monachus & Sanctimonialis vocatur ἀσκητής, quæ vox ſignificat pugilem vel exercitatorem;

eò quòd Deo conſecratæ perſonæ ſemper pugnent, & luctentur cum Diabolo, carne, & mundo: ac ſe in pijs operibus, ieiunijs, vigilijs, orationibus, & meditationibus EXERCEANT. Hinc eorum Loca, vbi exercentur, appellantur ἀσκητήρια, quaſi dicas palæſtras, & loca ſpiritualibus pugilibus ſeu exercitatoribus deſtinata.

» Authent. de Sanct. Epiſcopis, §. Si quis autem, col-
» latione 9. Iubemus VIROS à fœminis ſeparari, & fœ-
» minas quidem in quo ſunt Monaſterio REMANERE:
» VIROS autem aliud Monaſterium ſibi facere, & cæt. Si
» verò plura ſunt Monaſteria, vt neceſſe non ſit noua
» Monaſteria ædificare, Epiſcopus Monachos cum Mo-
» nachis, & FOEMINAS cum FOEMINIS SEPARET, & in
» alijs Monaſterijs congregare procuret.

Redarguuntur duo Caluini mendacia.

NB.

Ex hoc loco Iuſtiniani redarguitur impudens Caluini mendacium, qui libro quarto Inſtitutionum capite decimo tertio, §. 19. ſcribere auſus eſt; Mulieres olim ad profeſſionem continentiæ non admiſſas fuiſſe ante annum ſexageſimum. Si hoc verum eſt, fruſtra hoc loci Iuſtinianus tanta ſolicitudine earum pudicitię proſpexit, cùm eas omnibus modis à viris ſeparari voluit. Si enim omnes exceſſerunt annum ſexageſimum, non tanta cuſtodia & ſeparatione induit illarum pudicitia.

Aliud mendacium Caluini, ibidem §. decimoquar-
» to refellitur per hanc Authenticam: Veterum, ait,
» Monaſteria non habuiſſe proprias Eccleſias & altaria,
» ſed cum cæteris laicis ad communia conueniſſe tem-
» pla Monaſtices cultores.

Cùm verò in fine huius Authenticę Iuſtinianus optionem det Monialibus eligere & aſciſcere, quem velint Presbyterum, qui in eorum Monaſterijs ipſis ſacra miniſtret, cuius momenti ſit hoc dictum, cuiuis in promptu eſt æſtimare.

Eodem

Digitized by Google

Eodem modo Iuſtinianus etiam DIACONISSIS indixit continentiam. Eæ erant viduæ pauperiores, quarum certus numerus Eccleſiæ eleemoſynis alebatur, vt colligitur ex 1. ad Timoth. 5. cap. interpretibus S. Chryſoſtomo, Ambroſio, & D. Hieronymo. Vel etiam Diaconiſſæ dicebantur Monaſteriorum diſpenſatrices, & curam rei familiaris, ſeu œconomiæ habentes, vt colligitur ex Caſſiano, collat. 21. cap. 1. 8. & 9. Tertullianus lib. 1. ad vxorem, & lib. de velandis virginibus dicit, Diaconiſſas delectas fuiſſe ad quandam præfecturam & ordinem. De ijs ita ſcribit Iuſtinianus in Authen. Quomodo oporteat Epiſc. §. Quanta igitur, Collat. 1. Diaconiſſas oportet conſtituere circa quinquaginta annos, easque ſic ſacram promereri ORDINATIONEM: & aut Virgines conſtitutas, aut vnius VIRI quæ FVERANT vxores. Non enim permittimus neque SECVNDAS contrahentibus NVPTIAS, neque vitam non habentibus irreprehenſibilem. Si verò quædam neceſſitas fiat, minorem ab hac ætate ordinari Diaconiſſam contigerit, liceat eam in aliquo venerabilium Aſſiſteriorum ordinari, & in illo HABITARE, nequaquam VIRIS ADMIXTAM. Volumus autem illas non cum aliquo degere aut cognatorum, aut eorum quos appellāt dilectos. Talibus enim nominibus vtentes, maligna ſuſpicione ſuam replent vitam; ſed aut SOLAE habitent, aut cum parentibus ſolis, & filijs, aut verè fratribus, aut his, de quibus ſi quis ſuſpicari aliquid præſumpſerit, malignū, inſipientem & impium ſe ſit proditurus. Si erubeſcentes ordinationem DERELIQVERINT miniſteriū, & ad NVPTIAS venerint, aut ALIAM omnino elegerint VITAM, obligatæ efficiuntur MORTI, (NB. quidam hîc MORTEM intelligunt animæ, alij vltimum ſupplicium; quæ ſit verior ſententia eligat Lector) & ſubſtantia earum applicabitur ſanctiſſimis Eccleſijs, aut Monaſterijs, in quibus ſunt. Qui verò eas CORRVMPERE (pudici-

NB.

DIACONISSARVM ORDO.

dotis Deo conſecrata templa eſſe, Scripturarum teſtimonijs comprobãtur: & ideo violatores earum ſacrilegi, & iuxta Apoſtolum *filij perditionis* eſſe noſcuntur. Ibid. Si qua virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptijs iungi. Si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant EXCOMMVNICATI: ſtatuimus verò, poſſe eis fieri humanitatem, ſi ita probauerit Epiſcopus loci.

Ibid. Diaconiſſam non debere ante annos 40. ordinari ſtatuimus, & hoc cum diligenti probatione: ſi verò ordinationem ſuſceperit, & quantocunque tempore obſeruauerit miniſterium, & poſtea ſe nuptijs tradiderit, iniuriam faciens gratiæ Dei, hæc anathema ſit, etiam CVM EO, CVM QVO in nuptijs illius conuenerit.

Ibid. Can. Vt Lex: Vt lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis & ſacris Ordinibus dilatetur, præcipimus, quatenus Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, MONACHI, atque CONVERSI profeſſi, qui ſacrum tranſgredientes propoſitum, vxores ſibi copulare præſumpſerint, SEPARENTVR. Huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, MATRIMONIVM non eſſe cenſemus. Qui etiam ab inuicem ſeparati, pro tantis exceſſibus condignã pœnitentiam agant. Idipſum quoque de Sanctimonialibus fœminis, ſi (quod abſit) NVBERE attentauerint, obſeruare decreuimus.

Ibid. Moniales in vitiũ carnis prolapſæ grauiter puniuntur, ac peccantes cum ipſis Excõmunicationi ſubijciuntur.

THEOLOGIA

conſentit; nempe tum alia, tum caſtitatis vota eſſe licita, non violãda, ac à Monaſtices profeſſoribus ſub pœna ſeruanda. Matth. 19. 1. ad Timoth. 5. Concilium Ancyranum, Can. 18. Chalcedonẽſe, Can. 16. Carthaginenſe

III. cap.

MONASTERIO, quod intrauit, RES EIVS competere "
iubemus. "

Rationem huius rei reddit Iuſtinianus Collat.6. Eò quòd eiuſmodi Monaſticæ perſonæ ſe & CORPORE & ANIMA, omneſque facultates Deo dicare dicantur. NB.

CANONES

idem fieri iubent. XX. q.1. Quia ingredientibus Monaſterium conuertendi gratia, vlterius nulla ſit teſtandi licentia, ſed vt res eorum eiuſdem Monaſterij ſint, apta legis definitione decretum eſt. "

XII.q.1. Can. Non dicatis: Cùm huius noſtræ congregationis fratres, non ſolùm FACVLTATIBVS, ſed volũtatibus proprijs in ipſa ORDINIS ſuſceptione renuntiauerint, & ſemper promiſſam obedientiã penitus aliorum poteſtati & imperijs, in Chriſto, & pro Chriſto ſubdiderint, certum eſt eos nihil HABERE, POSSIDERE, DARE, vel ACCIPERE. "

Et in Can. præceden. Nulli liceat in ſocietate noſtra habere aliquid PROPRIVM. Sed ſi fortè aliqui habent, nulli LICET. "

Plures Canones vide ibidem.

THEOLOGIA

docet ideo nefas eſſe Monaſtices profeſſores aliquid proprij ſeruare, cùm per votum paupertatis omnibus facultatibus renuntiauerint. Matth.19. Actor. 4. & 5. Concilium Aurelianenſe I. Can.21. S. Chryſoſtomus Hom.12. in Acta Apoſtolorum. S. Hieronymus epiſt. ad Demetriadem. S. Auguſtinus ſerm.27. de verbis Apoſtoli. S. Fulgentius epiſt. de debito coniugali, cap.8. S. Gregorius lib.1. epiſt. 33. Arator lib. 1. in Acta Apoſtolorum. Oecumenius & Beda in cap.5. Actorum. S. Vrbanus Papa I. in Decretali epiſtola. S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium. S. Auguſtinus in Pſal. 25. & lib.17. de Ciuit. Dei, cap.4. Caſſianus lib.4. de Inſtitutis renuntiantium cap.13. &c.

Digitized by Google

LOCVS XXXVII.

Licere Monaſterijs propria bona poßidere, ex quibus viuere queant Religioſi.

» COd. de ſacroſanct. Eccleſijs l. Generali: Gene-
» rali lege ſancimus, ſiue vidua, ſiue Diaconiſ-
» ſa, vel Virgo DEO DICATA, vel Sanctimonia-
» lis mulier, ſiue quocũque alio nomine religioſi hono-
» ris, vel dignitatis fœmina nuncupata, vel teſtamento,
» vel codicillo ſuo, quod tamen alia omni iuris ratione
» munitum ſit, Eccleſiæ, vel MARTYRIO, vel Clero, vel
» MONACHO, ex integro, vel ex parte, in quacunque re vel
» ſpecie credidit relinquendum, id modis omnibus ratũ
firmumque conſiſtat.

Authentic. Vt nulli Iudicum, §. ſi verò. Collat. 9. de-
» cernitur, adulterij conuictam in Monaſterium detru-
» dendam eſſe, & eius bonorum tertiam partem MONA-
» STERIO, deſcendentibus autem hæredibus duas partes
» cedere debere. Qui ſi non fuerint, octo vncias, vel om-
» nem eius ſubſtantiam, Monaſterium accipere debeat.

Authen. de Sanct. Epiſc. §. alium autẽ fieri, Collat. 9.
» Si Eccleſijs, aut Monaſterijs poſſeſſiones quædam adia-
» centes inueniantur, & voluerint diſpenſatores vene-
» rabilium domorum in cõductionem, aut emptionem,
» aut Emphiteoſin eas accipere, Clericis ac Monachis cõ-
» ſentientibus, & manifeſtantibus id è re ac emolumen-
» to venerabilium domorum fieri, talem cõductionem,
» ac Emphiteoſin admittimus.

Ad hunc locum pertinent etiam ea, quæ paulo ante recitaui, teſtimonia.

CANONES

conſentiunt, non eſſe illicitum Monaſteria propria bona poſſidere, vnde Monachi ali queant.

18. q. 2. Quàm ſit, ita loquitur Canon Gregorij Papæ
" Interdicimus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &

ex au-

Digitized by Google

ex auctoritate B. Petri, cuius vice huic Romanæ Eccleſiæ præſidemus, vt nullus Epiſcoporum aut ſecularium vltra præſumat de REDDITIBVS, vel chartis Monaſteriorum, vel CELLVLIS, (id eſt, capellis,) vel VILLIS, quę ad ea pertinent, quocunque modo, ſeu qualibet occaſione MINVERE, vel dolos, aut immiſſiones facere. 17. q 4. Queſti ſunt. Nec mundanarum legum, nec ſacrorum ſtatuta Canonum permittunt RES Monaſterij ab eiuſdem iure quolibet titulo ſegregari; ea propter donationem eiuſdem terræ, quæ contra rationem facta eſt, ſine aliqua dilatione reſtitue (Monaſterio.)

THEOLOGIA

cenſet licitum eſſe, Monachos viuere ex bonis Monaſteriorum. Actor. 4. S. Auguſtinus epiſt. 109. ad Sanctimoniales, & Serm. 2. de communi vita Clericorum, & lib. de opere Monachorum, cap. 25. D. Bernardus epiſt. 1. ad Robertum.

LOCVS XXXVIII.

Deo dicatas perſonas ritè peculiari habitu & tonſura vti: aceorum VESTITVM, *per mimicas illuſiones, ludibrio neutiquam exponi debere ſub grauiſſima pœna; cum confutatione Lagi Iurecons.*

AVth. Vt nulli iudicum, §. ſi verò, collat. 9. Si priuſquā vir recipiat mulierem (adulteram) moriatur, TONDI eam, & Monaſticum HABITVM accipere, & habitare in ipſo Monaſterio omni tempore vitæ ſuæ præcipimus.

Lagus Iurecons. Lutheranus obijcit contra hanc conſtitutionem de TONDENDA MONIALI leges Imperat. Valentiniani, quæ hoc in Occidentali Eccleſia fieri vetuerunt; vt habetur l. 27. de Epiſcop. & Clericis, Cod. Theodoſian. Obiectio Lagi Iurecons. Lutherani.

Reſpondeo primò, quòd adultera hîc, in Monaſteri-

um detruſa, TONDERI iubeatur, an hoc ceu Monaſticum inſtitutum, vel pro pœna ei impoſitum ſit, nonnullos ambigere. Nam apud gẽtiles & Chriſtianos hoc ceu igniominioſo ludibrio probroſæ mulieres (qualis erat etiam hęc, de qua Iuſtinianus loquitur, adultera) afficiebantur, vt TONDERENTVR, aut decaluarentur, vt ſignificat Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 11. Apuleius de Aſino aureo libro 2. S. Cyprianus lib. de idolor. vanitate. ac Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 53. Penes Francos mulieres, quæ in crimen fornicationis lapſæ erant, DECALVABANTVR, vt habes cap. 2. lib. 6. in Capitularibus Regum Francorum, pag. 217. Sed tam apud gentiles, quàm etiam Chriſtianos, probauit vſus, vt quæ opinione hominum viderentur contemptibilia ac ludicra, ſi religionis cauſa fierent, non tantùm honeſta ac digna, verùm etiam ſacroſancta haberentur, vt S. Ambroſius pluribus diſputat in epiſt. 30. ad Sabinum lib. 6. edit. Rom. Vnde & gentiles etiam ſuas Veſtales virgines TONDERE conſueuerunt, vt ſcribit Plinius lib. 16. cap. 44. Idipſum etiam in Eccleſia Catholica fieri moris eſſe, omnes nôrunt.

Quamobrem reſpondeo ſecũdò, ob Monaſtices inſtitutum, cui pœnitentiæ cauſa Iuſtinianus hanc adulterã alligari voluit, eam TONDERI præcepiſſe. Nam in Aegypto & Syria id vſu fuiſſe receptum S. Hieronymus in epiſt. 48. ad Sabinianum teſtatur his verbis: Moris eſt in Aegypti & Syriæ Monaſterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ ſe Deo vouerint, & ſeculũ Deo conculcârint, crinem Monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter & velato. Nec hoc quiſpiam præter tondentes nouit & tonſas: niſi quòd, quia ab omnibus fit, penè ſcitur ab omnibus. Hoc autem duplicem ob cauſam ex conſuetudine verſum eſt in naturam; vel quia lauacrum non adeunt, vel

quia

quia oleum nec capite, nec ore nôrunt, ne à paruulis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni ſolent, & conſuetis ſordibus opprimantur. Hæc Hieronymus. Crinem amputare ſolitas eſſe Tabennenſiotas ſanctiſſimas virgines, quas S. Pachomius ab Angelo monitus inſtituit, auctor eſt Palladius in Lauſiacis.

Tertiò, ad legem ex Codic. Theodoſiano productam reſpondeo, de tondendis ac Deo dicandis fœminis, diuerſas fuiſſe diuerſarum Eccleſiarum laudabiles conſuetudines. Hinc etiam S. Ambroſius in Commentario ad Virginem lapſam, non niſi virgines lapſas crinem deponere voluit in ſignum pœnitentiæ. Qui locus forſan cum lege Valentiniani conſentit.

Reſponſio ad aliam Lagi obiectionem.

Verùm validum quoddam telum Lagus ſibi videtur in nos intorquere ex Canone 17. Concilij Gangrenſis quem, vt & alios complures in Decretorum libro, quo Eccleſia Papiſtica vtitur, ait eſſe contextos. Nam omnia ibi poſita, iuris vniuerſalis auctoritatem ſibi vendicare apud Papiſtas contendit. Occurrit etiam noſtrorum reſponſioni, qua aſſerunt, Canonem illum prouincialis eſſe Concilij, nec extra illius prouinciæ limites, vim ſibi aliquam vendicare. Nam dicit, hanc bellam quandam tergiuerſationem potius videri, quàm nodi ſolutionem; cùm conſtet Symmachi Papæ auctoritate Canones eius Concilij comprobatos eſſe: nam is in VI. Synodo Romana teſtatur, Canones Concilij Gangrenſis cōditos eſſe Apoſtolica auctoritate. Quia Lagus omnia effugia obſtruxit, aliam reſpondendi commoditatem in promptu habemus. Verba Canonis hæc ſunt: Quæcunque mulier, religioni iudicans conuenire, COMAM ſibi AMPVTAVERIT, quam Deus ad velamē eius ad memoriam ſubiectionis illi dedit, tanquam reſoluens ius ſubiectionis, anathema ſit. [illegible]

Huius Canonis germanus ſenſus eruendus eſt ex Sozomeno, qui lib. 3. cap. 13. vbi agit de Euſtachio Sebaſte-

Digitized by Google

no Epiſcopo Hæreſiarcha, aduerſus cuius deliria dicta Synodus tela intorſit, hæc inter alia ſcribit: Mulieres (inquit) non paucæ adductæ ſunt in fraudem, primùm viros deſeruerunt: nonnullæ pietatis ſimulatione caput TOTONDERE, & contra quàm ſexum muliebrem deceret, virilem habitum induêre, &cęt. Ex his manifeſtum fit, ſanctam Synodum non in SACRATAS Deo fœminas, ſed in HAERETICAS mulieres viros relinquentes, anathematis ſententiam tuliſſe.

Tonſura Monachorum.

De tondendis Monachis exſtat locus in Authentic. collat. 1. §. Sancimus ergo, vbi diſtinguitur tonſura Monachorum nouitiorum, quæ Laicorum tonſura vocatur, à TONSVRA profeſſorum. Verba hæc ſunt: „Sancimus ergo, ſacras ſequentes regulas, (Canones,) eos, qui „Monaſticam conuerſationem profitentur, non MOX à „Præſulibus Monaſteriorum habitum debere percipere „MONACHALEM, ſed per TRIENNIVM totum tolerare, „nondum Monaſticum HABITVM promerentes; ſed „TONSVRA & VESTE eorum, qui LAICI vocantur, VTI, „& manere ſic diuina addiſcentes eloquia. Cùm triennio „TOTO permanſerint, & optimè ſe geſſerint, eos volumus TONSVRAM AC VESTEM promereri.

De annis PROBATIONIS in religione exſtat Canon: ad Apoſtolicã, extr. de Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem, quem vide; nam huic loco conſentit.

NB. „C. de Epiſcopali Audientia, l. MIMAE: Mimæ, & quæ „ludibrio corporis ſui quæſtum faciunt, publico habitu earum Virginum, quæ DEO DEDICATAE SVNT, NON VTANTVR.

Contra illuſiones veſtium Monaſticarum.

Repetitur in Authentic. collat. 9. § penult. Omnibus „generaliter in ſeculari vita conuerſantibus, & maximè „Theatralia exercentibus, viris ac mulieribus, necnon & „proſtantibus INTERDICIMVS VTI HABITV MONACHI aut Monachæ. Qui præſumpſerint eiuſmodi Eccleſiaſticæ diſciplinæ veſtitus hiſce mimicis modis ILLVDERE,

Digitized by Google

ERE, CORPORALIA SVPPLICIA ſuſtinebunt, & exilio damnabuntur. Hæc Iuſtinianus. Nam etiam in Politicis reprobatur quiſpiam, qui alterius veſte in eius contemptum vtitur, & de iniuria tenetur. In Inſtitutio. de Iniur. §. 1.

CANONES

idem ſanciunt, nempe Deo dicatas perſonas proprio habitu, & ſingulari Tonſura vti debere.

Diſtinct. 23. Sanctimonialis virgo, cùm ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur, in talibus VESTIBVS APPLICETVR, qualibus SEMPER vſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.

24. q. 1. Vidua: Sanctimonialis, accepta à ſacerdote apta religionis profeſſionis veſte, ſeu in lectulo quieſcens, ſiue in quocunque loco conſiſtens, conſtanter vtatur: nec diuerſi coloris, aut diuerſæ partis eadem ſit notabilis veſtis, ſed RELIGIOSA, & non ſuſpecta.

20. q. 2. Si in qualibet minori ætate, vel religionis debitam VESTEM, vel TONSVRAM IN VTROQVE SEXV filijs, aut vnus, aut ambo parentes dederint, fortè aut nolentibus, aut neſcientibus ſeſe ſuſceptam, non mox viſam in filijs abdicauerint: ſed vel coram ſe, vel coram Epiſcopo, palamque in conuentu eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſecularem reuerti HABITVM filijs ipſis penitus non licebit. Sed conuicti, quòd TONSVRAM aut religioſam VESTEM aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumque reuocentur, & cæt.

THEOLOGIA

arbitratur decens eſſe, vt Monaſticen profitentes ſingulari & notabili habitu induantur, ac tondeantur. 3. Reg. 21. 4. Reg. 1. Ionæ 3. Matth 3. Heb. 11. D. Dionyſius, cap. 6. Eccleſiaſt. Hierarch. Euſebius lib. 2. Hiſto. cap. 24. Athanaſius lib. de Virginit. ante medium. S. Chryſoſtomus Homil. 69. in Matthæum. Tertullianus lib. de velandis

ſandis Virginibus. S. Ambroſius lib.6.Epiſt.36. Hieronymus Epiſt.4.ad Ruſticum,& 13.ad Paulinum,ac 15 ad Marcellam: item 22. & 27.ad Euſtochium. S. Auguſtinus Epiſt.199. S.Gregorius lib.2.Dialogorum, capite 13. Concilium Gangrenſe, Can. 12. & Carthaginenſe IV. Can. 104. De Tonſura habemus teſtes; S. Dionyſium cap.6.Eccleſ.Hierarch. Anicetum Epiſt.ad Gallos. Athanaſium lib.de Virginit.Epiphanium hæreſ.80.S.Auguſtinum lib. de opere Monachorum,cap. vlt. Iſidorum lib. 2. de Officijs diuinis, cap. 4. & Bedam libro 5. Hiſtor. Anglorum cap.22.

LOCVS XXXIX.

Anachoretas & Cœnobitas optimum religioſæ vitæ inſtitutum colere; & eorum Apoſtatas in Monaſteria reducendos eſſe.

» IN Authent.de Monachis, § cogitandum verò, collat.1. Nullum Monaſterium ſub ditione noſtra conſtitutum, ſiue plurimorum, ſiue paucorum hominum ac Monachorũ, volumus in ſe diuiſum eſſe; ſed conſtituimus, vt Monachi ibi inuicem ſint coniuncti, & proprijs habitationibus vtantur: vnà omnes comedant, in vno loco dormiant; ita ſe gerant, vt inuicem teſtes ſint CASTITATIS & honeſtatis. Liberum tamen nonnullis erit, qui in vita contemplatiua perfectiores ſunt alijs, ANACHORETARVM inſtitutum complecti; cæteris omnibus COENOBIA nõ deſerere mandamus, vt ibi PROPRIO ABBATI OBEDIENTES, regulam inculpatè ſeruent.

NB. Contra Apoſtatas Monachos.

» Authent. de Sanct. Epiſcop. collat.9. in fine: Si Monaſterium RELIQVERIT, & ad SECVLAREM vitam migrauerit, hunc MILITIA & honore, ſi quem habet, prius SPOLIATVM, ab Epiſcopo locorum, & prouinciæ Iudice in Monaſterium REDVCI decernimus, cui etiam

bona

bona, quæ poſtea conſecutus eſt, attribuantur. Si verò rurſus DESERVERIT Monaſterium, cum Iudex prouinciç comprehendat, & ad officium redire compellat, ſeu COMMOVEAT.

CANONES

Eremitarum & Cœnobitarum exercitia approbant, & Apoſtatas ad inſtitutum redire compellunt. 16. q. 1. Qui verè pureque SOLITARIAM eligunt vitam, digni ſunt conuenienti honore. Eos verò, qui per ciuitates ſingulas ſeu poſſeſſiones in MONASTERIIS ſunt, placet nobis Epiſcopo eſſe ſubiectos, & quieti operam dare, atque obſeruare IEIVNIA, & ORATIONES, in locis, in quibus ſemel ſe DEO DEVOVERINT, permanentes, & neque occupari Eccleſiaſticis, nec ſecularibus actionibus, relinquentes propria Monaſteria, niſi fortè iubeantur propter vrgentes neceſſitates ab ipſius ciuitatis Epiſcopo.

Diſtinct. 27. Can. Quòd interrogaſti de fœmina, quæ poſt obitum mariti ſui ſacrum velamen ſuper caput ſuum impoſuit, & finxit ſe ſub eodem velamine Sanctimonialem eſſe, poſtea verò ad nuptias rediјt, bonum mihi videtur, quòd per hypocriſin Eccleſiaſticam regulam conturbare voluit, & nō legitimè in voto ſuo permanſit, vt pœnitentiam agat de illuſione nefanda, & REVERTATVR ad id, quod SPOPONDIT, & in ſacro miniſterio permaneat, quod inchoauit.

20 q. 1. Quem progenitores ad Monaſterium tradiderunt, & in Eccleſia cœpit canere & legere, nec vxorem ducere, nec Monaſterium deſerere poterit: ſed ſi diſceſſerit, REDVCATVR: ſi tonſuram dimiſerit, rurſus tondeatur: vxorem ſi duxerit, DIMITTERE COMPELLATVR.

20. q. 3. Procliuus autem: Quiſquis virorum aut mulierum habitum ſemel induerit ſpontaneè religioſum, aut ſi vir deditus Eccleſiæ, vel fœmina fuerit delegata

puellarum Monaſterio, in vtroque SEXV PRAEVARICATOR inuitus REVERTI COGATVR. Si autem quolibet patrocinio DESERTORES permanere voluerint, ſacerdotali ſententia à Chriſtianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locus eis ſit vllus communionis. Idem confirmatur ibid. Can. 1. & 2.

THEOLOGIA

Anachoretarum & Cœnobitarũ inſtituta magnopere probat. Vide Geneſ. cap. 4. Num. 6. Hierem. 35. Lucę 1. Matth. 3. S. Hieronymum in Epiſt. ad Heliodorum & Euſtochium de Virginitate, S. Auguſtinum lib. 1. de moribus Eccleſiæ, cap. 31. & in Pſalm. 132. Caſſianum collat. 18. cap. 4. Iſidorum libro 2. de diuinis Officijs, cap. 15. & cæt.

Apoſtatas autem Monachos & Monachas ad Monaſterium redire cogendos eſſe, cenſuerunt Concilia; & ex ijs Ancyranum, Can. 18. Chalcedonenſe, Can. 16. Carthaginenſe IV. Toletanum IV. cap. 55. omnium clariſſimè hanc veritatem docent Concilium Turonenſe II. cap. 16. & Foroiulienſe ſub Carolo Magno, item Moguntinum, tribus vltimis capitibus, ac VI. Colonienſe Concilium, ſub Carolo Craſſo.

LOCVS XL. DE MATRIMONIO.

Polygamiam per Leges Imperiales vetitam eſſe.

IN Imperio Romano ſemper infamis & prohibita fuit Polygamia plurium vxorum ſimul. Vide ff. de his qui notantur infamia, lege prima.

C. de inceſtis nuptijs ita habetur l. 2. Neminem, qui ſub ditione ſit Romani nominis, BINAS VXORES habere poſſe vulgò patet: Cùm & in Edicto Prætoris huiuſmodi viri INFAMIA notati ſint. Quam rem competens

tens Iudex inultam eſſe non patietur.

C. ad legem Iuliam de adulterijs l.cum,qui; Eum, qui "
duas ſimul habuit vxores, ſine dubitatione comitatur "
infamia. In ea namque re non iuris effectus, quo ciues "
noſtri matrimonia contrahere PLVRA prohibentur, "
ſed animi deſtinatio cogitatur,&c. "

Inſignis harum legum contemptor fuit Lutherus cum ſuis Iureconſſ. Nam vt haſce leges illuderet &aboleret, ſuffragante proterua audacia, cùm alijs plurimis, tum magni cuidam nominis Iuriſconſulto Oldendorpio permiſit, vt priore coniugé ſuperſtite, alteram duceret vxorem. Extant hodie (inquit Staphylus in Apolog.) Lutheri & Melanchthonis Epiſtolæ, & conſilia per literas data, quibus illi apertè permittunt, fasque iusque eſſe, (vti pronuntiant.) maritum vnum duas legitimas vxores habere. Lutherus in Diſputat. de digamia, Tom. 1. Lat. Ienenſi, fol. 498. propoſit. 62. vſque ad propoſit. 68. omnibus plures permitti vult vxores; nam Polygamiam neque PROHIBITAM, nec præceptam eſſe contendit.

Lutherus violat Leges Iuſtiniani.

Ingens mendacium.

CANONES

etiam plures VXORES SIMVL habere vetant. Sic enim habetur Diſtinct. 34. Can. 5. Chriſtiano non dicam pluri- "
mas, ſed nec DVAS SIMVL habere licitũ eſt; niſi VNAM "
tantùm vxorem. "

Ibid. Can. 4. Is, qui non habet vxorem, & pro vxore "
concubinam habet, à communione non repellatur: ta- "
men vt vnius mulieris, aut VXORIS, aut concubinę ſit "
coniunctione contentus. "

Nota, hîc concubinam intelligi non ſolenniter ductam, cũ qua mutuus conſenſus interuenit; ſecus enim concubinam non licet habere, 32. q. 4. Nemo.

THEOLOGIA

etiam improbat pluritatem vxorum ſimul: & Scripturę de coniuge in numero ſingulari loquuntur, vt indicent

Digitized by Google

pluribus vxoribus in coniugio non locum eſſe. Matthæi 5. & 19. Lucæ 14. 1. Corinth. 7. Epheſ. 1.

LOCVS XLI.

Matrimonium ratum diſſolui per Monaſticam profeßionem; cum confutatione Klingij Ireconſ. VVittenbergenſis.

» COd. de Sanctis Epiſcop. & Clericis, l. vlt. Si quis » ſponſus vel ſponſa deſiderauerit ſeculi iſtius » vitam contemnere, & in Sanctimonialium » conuerſatione viuere, ſponſus quidem om» nia, quæ arrarum nomine FVTVRI CAVSA coniugij » dediſſet, ſine vlla diminutione recipiat; ſponſa autem » nihil amplius reddat, quàm quod accepit. Nota ſpon» ſum & ſponſam vocari ob matrimonium ratum, licet » non conſummatum. Nam hac phraſi ſæpe antiquitas » vti ſolet, vt videre licet in cap. ex publico, & cap. chariſ» ſimus, & cap. ex parte tua, extra de conuerſ. coniugato» rum, & S. Auguſt. lib. 8. Confeſſion. cap. 3.

CANONES

conſentiunt, Matrimonium RATVM ſolui per Monaſticam profeſſionem. Ita habemus extr. de conuerſio» ne coniugatorum, cap. Verùm. Verùm poſt conſenſum » legitimum de præſenti, licitum eſt alteri, altero etiam » REPVGNANTE, eligere Monaſterium; ſicut ſancti qui» dam de nuptijs vocati fuerunt, dũmodò carnalis com» mixtio non interuenerit inter eos. Et alteri remanen» ti, ſi commonitus continentiam ſeruare noluerit, lici» tum eſt ad ſecunda vota tranſire; quia cùm non fuerãt » vna caro effecti ſimul, ſatis poteſt vnus ad eum tranſi» re, & alter in ſeculo remanere.

» Ibid. cap. ex publico: Ex publico inſtrumento nobis » innotuit, quòd cùm Veronenſis Epiſcopus cauſam ma» trimonij, quę inter virum & mulierem vertebatur, ſuſ-

cepiſſet

Digitized by Google

cepiſſet terminandam, iudiciali ſententia matrimoni- “
um approbauit, & eidem mulieri præcepit, vt ad virum “
rediens exhiberet eidem coniugalem affectum, quod “
cùm renuiſſet, fuit vinculo Excommunicationis aſtri- “
cta. Cæterùm, quia licet præfato viro deſponſata fuit, “
adhuc tamẽ, ſicut aſſerit, ab ipſo eſt INCOGNITA, man “
damus quatenus ſi prædictus vir ipſam carnaliter non “
COGNOVERIT, & eadem ad religionem tranſire volu “
erit; recepta ab ea ſufficienti cautione, quòd vel ad re- “
ligionem tranſire, vel ad virum ſuum redire infra du- “
orum menſium ſpatium debeat, ipſam à ſententia, qua “
tenetur, abſoluas, ita quòd ſi ad religionem tranſierit, “
vterque reſtituat alteri, quod ab eo noſcitur recepiſſe. “
Et infra: Sanè quod Dominus in Euangelio dicit, non “
licere viro, *niſi ob cauſam fornicationis vxorem ſuam dimitte-* NB.
re, intelligendum eſt ſecundùm interpretationem SA-
CRI ELOQVII de his, quorum matrimonium carnali
copula eſt CONSVMMATVM, ſine qua confirmari non “
poteſt.

Ius Canonicum nō pugnat cum iure diuino.

Aliud ibi cap. Occurrit, ex parte tua, & 27.q.2. Can. Deſponſatam; alijque multi Canones exſtant pro hac ſententia confirmanda.

THEOLOGIA

huic ſententiæ aſſentitur; matrimonium ratum, licet non conſummatum, diſſolui per ingreſſum in religionem. Quod exemplis Sanctorum approbatur, qui ante conſummationem matrimonij, relictis nuptijs, Monaſteria ingreſſi ſunt; ceu iſti, S. Alexius, S. Euphraſia, S. Cecilia, S. Leobardus. Vide D. Gregorium lib. Dialog. 3. cap. 14. & Concilium Tridentinum, Seſs. 24. Can. 6.

Klingius Leguleius VVittenbergenſis, in Tractatu de Diuortijs, obiectat Papiſtis Iuſtinianum aduerſari, eò quòd is matrimonium etiam CONSVMMATVM per ſuſceptionem Monaſticæ vitæ dirimi debere conſtituerit, quod illi negent licitum eſſe. Fateor Iuſtinianum

Reſponſio ad obiectionem Klingij.

in hac opinione fuiſſe; cuius illa verba ſunt, C. de Epi-
» ſcopis & Clericis, lege finali: SIVE MARITVS, ſiue VXOR
» RELIGIONIS CAVSA à coniugio RECESSERIT, & ſo-
» litariam vitam elegerit, vnuſquiſque eorum res ſuas
» recipiat, quas pro dote vel ante nuptias donatione
» præſtiterat. Refert hanc legem etiam S. Gregorius lib.
» 9. Epiſt. 39.

Admirari ſubit ſtuporem Klingij, qni hanc legẽ nobis obijcere auſus eſt, ceu noſtrum dogma inde oppugnare, ac nos ſalsè notare vellet; cùm tamen non perſpiciat, ſe à ſuo domeſtico teſte, quem contra nos producit, vehementius oppugnari, quàm nos. Si enim is nobis repugnat, qui docet matrimonium conſummatum diſſolui per votum Monaſticum; quanto magis ijs repugnabit, qui non ſolùm hoc negant, ſed etiam contra Iuſtiniani conſtitutionem, matrimonium etiam ratũ per ingreſſum Monaſterij dirimi debere inficias eũt. Iam, cùm Iuſtinianus liberaliter conceſſerit, Leges ſuas per Canones dirigi ac corrigi poſſe, quid mirũ ſi Pontificia Decreta ſequimur, quæ hanc opinionẽ, ob æquiſſimas rationes, in iure etiam fundatas, improbârunt? Ea vide apud Gratianum 27. q. 2. nec non in Decretalibus, tit. de conuerſ. coniugatorum.

Lex Iuſtiniani correcta per Canones.

» Canon Gregorij ita habet: Quia Agatho in Monaſte-
» rium dilectionis tuæ conuerti deſiderat; hortamur, vt
» cum omni cum dulcedine, dilectioneque ſuſcipias.
» Quem tamen ita ſuſcipiendum cognoſce, ſi vxor illius
» ſimiliter conuerti voluerit: nam dum vnum vtrorumq;
» corpus coniugij ſit factum copulatione, incongruum
» eſt partem conuerti, & partẽ in ſeculo remanere. Hãc ſententiam magno conſenſu ſequuntur SS. Patrum anteſignani: S. Hieronymus in epiſt. 14. ad Celantiam. S. Auguſt. epiſt. 45. ad Armentariũ, & in epiſt. 199. ad Ediciam. S. Gregorius lib. 9. epiſt. 39. ad Theoctiſtum reprehendit legem Ciuilem Iuſtiniani. Et certè duabus de

cau-

cauſis videtur ea æquitati non admodum conſentanea eſſe: nam proles nata vel concepta non tam commodè poteſt educari, & alter coniugum non ad alias nuptias, aut non ita commodas tranſire poteſt. Idem prohibet VIII. Synodus, & Nicolaus I. in Epiſt. ad Carolū Regem.

LOCVS XLII.

Liberos inuitis parentibus complecti poſſe Monaſtices inſtitutum.

COd. de Epiſcop. & Clericis, l. finali. Si quis in " parentum poteſtate conſtitutus vel conſtitu " ta, vel forſan iure huius abſolutus, vel abſo- " luta, elegerit ſe Monaſterio, vel Clero ſocia " re, & per reliquum vitæ ſuæ tempus ibi degere volue- " rit; præcipimus non licere parentibus eoſdem, vel eaſ- " dem, quocunque modo abſtrahere: vel propter hanc " tantummodò cauſam, quaſi ingratum, vel ingratam à " ſua hæreditate vel ſucceſſione repellere; ſed neceſſe ſit " eis, cùm vltimam voluntatem ſuam conficiunt, quartā Legitima liberorum. portionem ſecundùm leges noſtras eis relinquere, &c. " Paulo poſt permittit, vt eiuſmodi religioſæ perſonæ ab " inteſtato in parentum bona, ſiue ſolæ, ſiue cum alijs ſuc- " cedere queant.

CANONES

aſſentiuntur licere filijs inuitis parentibus ad religionem tranſire. In quam ſententiam Canon Concilij Toletani X. cap. vlt. (apud Gratianum 20. q. 2) ita loquitur: Parentibus filios religioni tradere non amplius, " quàm vſq; ad quartum decimum eorum ætatis annum " licentia poterit eſſe: poſtea verò an cum voluntate pa- " rentum, an ſuæ deuotionis ſit ſolitarium votum, erit " filijs licitum religionis aſſumere cultum. "

Item cap. Cùm virum, de Regularibus, Clemens III. loquens de puella nubili: Tunc, inquit, quia liberū habet

Digitized by Google

„bet arbitrium in electione propoſiti (Monaſtici) pa-
„rentum ſequi non cogitur voluntatem.

Item 20.q.2.Can. Puella: qui eſt Can.24. in Concilio Triburienſi: Puella ait, ſi ante duodecimum ætatis annum ſponte ſua velamen ſibi ſacrum aſſumpſerit, poſſunt ſtatim parentes vel tutores id factum irritum facere, ſi voluerint. Si verò in fortiori ætate adoleſcentula, vel adoleſcens ſeruire Deo elegerit, non eſt poteſtas parentibus prohibendi.

THEOLOGIA

aſſentit, liberos inuitis parentibus fieri poſſe religioſos. Gene 12. Deut.33. Pſal.44. Matth.10. Lucæ 9. S. Chryſoſtomus in fine lib.3. contra vituperatores vitæ Monaſticæ, & Homil.84. in Iohan. Theophylactus in cap.19. Ioann. S.Ambroſius lib.3. de Virginitate. S.Hieronym⁹ epiſt. prima ad Heliodorũ, & alia Epiſt. de ſuſpecto contubernio. S.Auguſt. epiſt.38. ad Letum. S.Gregorius Homil.37. in Euangelia, in illud: *Qui non odit patrem.* S.Bernardus epiſt. 111. Quibus adde D.Thomã, 2.2.q.88.art.8.ad 2.

LOCVS XLIII.

Matrimonium non dirimi ob alterius coniugis deſertionem, niſi cùm conditionibus appoſitis.

IN Authen. vt liceat matri, §. Quod autem, collat.8. Hodie quantiſcunque annis mari-
„tus fuerit in expeditione, mulier SVSTINE-
„RE debet; licet neque literas, neque reſponſum ab eo acceperit. Sed ſi mortuum audierit, nõ prius nubat, quàm per ſe, vel per alium, eum, ſub quo militabat, adiens interrogauerit, ſi pro veritate mortuus eſt, vt apud geſta deponatur cum iureiurando ſi mortuus ſit: quo ſubſecuto poſt annum nubet. Si verò præter hæc nupſerit, tam ipſa, quàm qui eam duxerit, velut adulteri puniantur.

CANO-

CANONES

diſtinguunt hoc modo: Aut conſtat ꝙ coniunx diſcedens adhuc viuit:& nullas nuptias alij permittunt.cap. Dominus,in princip.extra de ſecundis nuptijs. Aut dubitatur de eius vita: & ne tum alteri nubat. Si tamen de facto alteri nupſerit,non diſſoluitur,donec de vita abſentis conſtiterit: tum tenetur relinquere ſecundum, dicto cap.Dominus,§.ſi verò aliquis. Canonem eum totidem verbis adſcribã: Sanè ſuper matrimonijs, quæ " quidam ex vobis,nondũ habita mortui coniugis certi- " tudine, contraxerunt;id vobis reſpondemus,vt nullus " amodò ad ſecũdas nuptias migrare prꝗſumat,donec ei " cõſtet, ꝙ ab hac vita migrauerit cõiunx eius.Si verò ali- " quis, vel aliqua id hactenus non ſeruauit, & de morte " prioris coniugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum:ei, " quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulãti,quod " à ſe tamen nouerit nullatenus exigendum. Quòd ſi " poſt hoc de prioris cõiugis vita cõſtiterit, relictis adul- " terinis complexibus,ad priorem coniugẽ reuertatur. "

THEOLOGIA

cum hac ſententia conuenit,iuxta dictum 1. ad Corin. 7. *His autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: ſed ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro reconciliari.*

LOCVS XLIV.

Coniugio ob adulterium diſſoluto,non licere innocẽti parti, altera ſuperſtite,de nouo contrahere; cum confutatione VVeſenbecij Iureconſ.

IN Authentic.vt nulli Iudicum,§ ſi verò quãdo, Collat.9. Hodie adultera verberata in " Monaſterium mittatur, quam intra bienniũ " viro licet REPETERE, &c.

Si poſt ſeparationem coniugum ob adulteriũ innocen-

nocenti parti liceret aliud coniugium inire, hîc marito poſt biennium fruſtra optio daretur recipiendi in thorum adulteram; cùm iam aliam duxerit, aut ducere potuiſſet.

Authen. de Nuptijs §. Mitiores itaque, Collat. 4. Si
„ igitur, ſecundùm Theodoſij Conſtitutionem, mulier
„ potuerit oſtendere MARITVM ADVLTERIO delinquē-
„ tem, aut reum homicidij, aut veneficij, aut eiuſmodi
„ alia horrenda ſcelera patrantem, &c. licentiam dat ei
„ lex REPVDIO vti, & NVPTIIS ABSTINERE (alijs,) do-
„ temque percipere, &c.

CANONES

ſimpliciter interdicunt, quamdiu altera pars viuit, ſecundum matrimonium, ob adulterium quoad thorū
„ diſſolutum. Sic enim habetur 32. q. 7. Quemadmodum
„ non rectè dici poteſt, ſi neſcit homo, non peccat: (ſunt
„ enim peccata ignorantiū, quamuis minora, quàm ſci-
„ entium:) ita etiam non rectè dici poteſt, ſi cauſa forni-
„ cationis dimiſerit vxorem vir, & aliam DVXERIT, non
„ MOECHATVR. Eſt enim Mœchatio & eorum, qui alias
„ ducunt, relictis propter fornicationem prioribus; ſed
„ vtique minor, quàm eorum, qui non propter fornica-
„ tionem dimittunt.
„ Item ibid. Omnes cauſationes Apoſtolus amputās,
„ apertiſſimè definiuit, viuente viro eſſe adulteram mu-
„ lierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris
„ violentiam, matris proſtrationem, patris auctorita-
„ tem, propinquorū cateruam, ſeruorū inſidias, & paren-
„ tum contumelias, damna rei familiaris; quamdiu viuit
„ vir, licet ADVLTER ſit, licet Sodomita, licet flagitijs
„ omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc ſcelera
„ derelictus, maritus tamen eſt reputandus eius, cui alte-
„ rum virum accipere non licet, &c. Vide plures Cano-
„ nes ibid.

THEOLOGIÆ

decernit

decernit innocentem partem, adultera viuente, non poſſe ſecundò contrahere. Sic enim præcipit Chriſtus: (Matth.19.) *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Et Paulus 1.Cor.7. *His autem* (ait,) *qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quoniam ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Sed certum eſt, quòd vxori non eſt permiſſum diſcedere à marito, qualibet de cauſa, niſi ſit cauſa fornicationis, vel ſimilis. Ergo illa ſententia Pauli intelligi debet de diſceſſu ex cauſa fornicationis, quòd ſcilicet vterq; maneat ſine nuptijs poſt diuortium, vel reconcilietur. Ita intelligit D. Auguſtinus illum locum in Commentario ſuo ad Corin. & in Homilia 49. & in lib.2. de adulterinis coniugijs, & lib. de bono cõiugali. Huic doctrinæ ſuffragãtur etiam Concilia, Mileuitanum & Eliberinũ: & Decreta Pontificum, quæ fuſè à Gratiano percenſentur 32.q.7. per totum. Quibus addamus D. Hieronymũ, Epiſt. ad Damaſum Presbyterum. Eum tamen fraudulenta impoſtura, & inſigni mendacio contrarium docere comminiſcitur Weſenbecius in Paratitlis ad l. Iul. de Adulter. Nam ibi citat teſtimoniũ ex D. Hieronymi Epitaphio, quod conſcripſit de morte Fabiolæ, nobilis fœminæ. Quid eſt deteſtabilẽ impoſtorẽ agere, ſi hoc nõ eſt? Nã ibi D. Hieronymus Catholicæ doctrinæ clariſſimè patrocinatur, ac Lutheranorum Iureconſ. errorem hunc perſpicuè ſubuertit. Nam fœminam eam reprehendit, ꝙ poſtquam à marito adultero ſeparata fuiſſet, alteri nupſiſſet, & diſertè addit, eam contra Chriſti mandatũ feciſſe, ac hunc reatum multis lachrymis, & aſperitate vitæ, ac operibus miſericordiæ compenſaſſe, & diluiſſe. Si Lector locum inſpexerit, ſubitò improbum mendacium euaneſcet. Verba longiuſcula percenſere ſuperſedeo, ne quis arbitretur me ex inſtituto Theologica, & Polemica, non Didactica tractare voluiſſe.

Pro hac Catholicorũ doctrina adferri poſſunt optimæ rationes, iuri Ciuili & Canonico pulchrè conſentientes. Prima eſt, fauor delinquentis, ne omnino eiJciatur extra Eccleſiam, ſed agat pœnitentiam. Si enim innocenti parti liberè liceret, nocente viuente, ſecundò contrahere, (vt contendunt Sectariorum Iurecõſ) & nocens continere non poſſet, non haberet modum nec viam perueniendi ad pœnitentiam: quia cum alio contrahere non poſſet, propter dictũ Chriſti; *Qui dimiſſam ducit, mœchatur.* Si ergo innocens contraxit cum alio, nulla ſupereſt ſpes de pęnitentia, cùm tamen Eccleſia non claudat gremiũ redeuntibus: vt cap. ſuper eo, in vj. de hæreticis, & l. finali, C. de ſumma Trinit. & fide Cathol. Et illa pars non poteſt redire, quandiu altera vixerit. Secunda eſt, fauor liberorum ex coniugibus ſeparatis natorum, vt ſcilicet parentes reconcilientur: difficillimè autem reconciliatio obtineri poſſet, ſi ſecundæ nuptiæ liberæ eſſent. Tertia eſt, licet per diuortium fiat ſeparatio quoad cohabitationem & thorum, non tamẽ ſoluũtur ſubſtãtialia matrimonij quandiu ambo viuunt, quia ſi ſubſtantialia ſoluerentur, ſequeretur quòd vtrique tam nocenti, quàm innocenti permiſſum eſſet ſecundò cõtrahere. Sed Chriſtus expreſsè dicit: *Qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Ergo ſubſtantialia matrimonij ſublata non ſunt, & per conſequens ſecundæ nuptiæ ſequi non poſſunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX Locorum Libri Primi THEOLOGIAE IVRECONSVLTORVM.

PRAEFATIVNCVLA. pag. 1.

LOCVS I. De TRADITIONIBVS *Eccleſiaſticis: Eas obſeruandas eſſe, licet non contineantur in expreſſo Dei Verbo ſcripto.* 4

II. *Symbola quatuor primorum Oecumenicorum Conciliorum eſſe retinenda.* 5

III. *S. Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe, & ibi fundaſſe Eccleſiam.* 7

IV. *Sanctam Romanam Eccleſiam, & eius Antiſtitem, Romanum Pontificem, eſſe* CAPVT *& gubernatorem omnium Eccleſiarum.* 8

V. *Romana Eccleſia* DOCTRINAM *ab* OMNIBVS *populis credendam & ſeruandam eſſe, ac qui ab ea diſſentiunt, eſſe Hæreticos.* 9

VI. *Omnes Orbis Eccleſias, Iuſtiniano approbante, Romanæ Eccleſiæ ſubiectas fuiſſe, & eum Pontifices titulis adhuc hodie vſitatis ſalutaſſe.* 11

VII. *De* PONTIFICIS ROMANI PRIVILEGIIS, *& quòd ea Iuri ciuili non repugnent.* 13

I. Papalem poteſtatem & dignitatem præcellere Cæſaream. *ibid.*

II. Papam eſſe ſuperiorem omnibus Concilijs, & à nemine iudicari poſſe. *ibid.*

III. Papam habere poteſtatem ſuper omnia iura. 15

IV. Papam nullis ſubiectum eſſe iuribus. *ibid.*

V. Papam poſſe leges ſancire. 16

VI. Papam eſſe caput cœleſtis & terreni regni. *ibid.*

VII. Papam optimo iure Cæſarem confirmare, & eum iureiurando ſibi obſtringere. *ibid.*

VIII. Papam iuſto titulo prouincias poſsidere. 17

IX. Vacante Imperio, Papam in adminiſtratione ſuccedere, & Imperiali vti poteſtate. 19

X. Omnes lites & contentiones, tam ſpirituales, quàm temporales ſtricto iure ad iudicium ſummi Pontificis

pertinere. 20

XI. Ad Papę præceptum violentis ſeu intruſis dominis nõ obediendum, vt & iniqua pręcipientibus. 21

XII. In certis caſibus Papam à iuramento abſoluere poſſe. *ibid.*

XIII. Papam vtrumque gladium, ſpiritualem & temporalẽ obtinere. *ibid.*

RESPONSIO ad Obiectionem Sectariorum Iureconſ. de his Papæ PRIVILEGIIS. 24

VIII. *Sub grauibus pœnis de Fide coram vulgo non diſputandum eſſe, quibus de cauſis.* 25

IX. *Vnam tantùm Religionem, Romano-Catholicam retinendam, &* LIBERTATEM CREDENDI, *ſeu varias Sectas non permittendas eſſe.* 26

X. DE CONCILIIS. *Decreta* CONCILIORVM, *& præſertim quatuor priorum, inuiolabiliter eſſe ſeruanda, quæ ne in dubium reuocentur, & ab Hæreticis* OPPVGNENTVR, *prohibetur.* 29

XI. DE HAERETICIS. *Qui ſint dicendi* HAERETICI: *& quòd noſtri temporis* SECTARII *per Codicem Iuſtiniani hæreſeos ſint damnati.* 31

XII. *Templa Sectarijs non concedenda, vt & Conuenticula eorum abroganda eſſe, ſub grauibus pœnis.* 33

XIII. *Sectarijs omnibus miniſterijs ſeu* EXERCITIO *Sectarum interdicendum eſſe ſub grauibus pœnis.* 35

XIV. *Sectarios omnibus* PRIVILEGIIS, *ac beneficijs Ciuilibus priuandos eſſe.* 36

XV. 1. *Hæreticos*
- *Publici criminis eſſe reos, & poſt eorum mortem, in ipſos inquiſitionem inſtituendam.*
- *non habere poteſtatem*
  - *Succedendi in bona.*
  - *Hæreditatem adeundi.*
  - *Contrahendi.*
  - *Teſtandi.* 37

II. Amittunt Priuilegia Dotis. *ibid.*

III. Amittunt BONA. 38

IV. Repelluntur à Succeſsionibus, & hæreditatibus. *ibid.*

V. Arcentur ab actibus iudiciarijs. *ibid.*

VI. Deuouentur EXILIO, & excidunt poſſeſsionibus. 39

VII. Omnibus his pœnis ſubiacent Adhęrentes Hæreticorũ, & ſuſpecti de hęreſi. *ibid.*

XVI. HAE-

XVI. HAERETICOS à *Magiſtratibus* MORTIS *ſupplicio eſſe afficiendos.* 40
XVII. *Anabaptiſmum non permittendum, & Anabaptiſtas, ſeu Rebaptizatores, mortis ſupplicio afficiendos eſſe. Cõfutantur etiam Lutheranorum Ireconſ. deprauationes.* 41
XVIII. *Hæreticorum libros ſub grauiſſimis pœnis abolendos & exurendos eſſe.* 42
XIX. CONSENSVS *Iuris Ciuilis & Canonici, in omnibus pœnis, quibus coerceri debent hæretici, declaratur per* XVI. *Puncta.* 45
EPILOGVS de Hæreticorum POENIS, contra Sectariorum Iureconſ. 51
XX. DE REBVS ECCLESIAE. *Qui* CATHOLICOS *in ſuo cultu diuino perturbauerint, aut concuſſerint; grauiſſimis plectendos eſſe pœnis. Item,* CANONES *Eccleſiaſticos eſſe obſeruandos à* LAICIS, *& eorum conſtitutionem, ac interpretationem ad Papam pertinere.* 53
XXI. *Templa ideo ſanctiora eſſe alijs locis, quòd non niſi in ijs, & neutiquam in priuatis ædibus S. Miſſæ officium celebrare liceat.* 55
XXII. *Sanctorum* RELIQVIAS *non in profanis locis, ſed in templis honorificè aſſeruandas, ac minimè profanandas eſſe.* 56
XXIII. *Signum S. Crucis in templis habendum, & religioſo cultu venerandum eſſe; cum confutatione Lutheranorum Iureconſ.* 58
XXIV. *Loca Deo conſecrata non eſſe alienanda, & in profanos vſus conuertenda.* 60
XXV. *Bona Eccleſiaſtica nullo titulo poſſe ac debere* ALIENARI, *ac in Seculares vſus conuerti.* 62
XXVI. DE CLERICIS. *Populum Chriſtianum ritè ita diſtingui, vt alij* CLERICI *alij* LAICI *appellentur.* 64
XXVII. *Lectores & Oſtiarios, eſſe peculiares Clericorum Ordines.* 65
XXVIII. *Non licere Clericis Ordinem ſuum deſerere, & ſecularem ſtatum complecti.* 67
XXIX. *Nefas eſſe in maioribus Ordinibus conſtitutos* VXORES *ducere, vel ſuſpectis fœminis cohabitare, aut* CONIVGATOS ORDINARI; *cum confutatione Lutheranorum Iureconſ.* 68
XXX. *Quouis modo* BIGAMOS *in Clericorum Ordinem non allegendos eſſe.* 72
XXXI. *Cauſas Eccleſiaſticas, à ſolo Eccleſiaſtico, non ſeculari Iudice cognoſcendas, & decidendas eſſe.* 74
XXXII. *Eccleſiaſticas Perſonas non trahendas eſſe ad Iudicia Secularium Ma-*

Digitized by Google

Magiſtratuum;cum confutatione Sichardi Iureconſ.Tubingenſis. 76

XXXIII. *Bona Eccleſiæ,eiusq; Miniſtros, ac ipſorum facultates immobiles, à* TRIBVTIS *ſecularium Magiſtratuum immunes eſſe; cũ confutatione quatuor Iureconſ. Lutheranorum.* 81

XXXIV. DE VITA MONASTICA. *Monaſticen, ob pia opera eſſe laudabilem,& Deo gratam.* 94

XXXV. *Illicitum eſſe, Monaſticas perſonas* VOTVM CASTITATIS *violare;& qui cum iis contrahunt,easq; rapiunt coniugij ineundi cauſa,capitali pœna feriendos eſſe.* 96

XXXVI. *Monaſtices cultores rectè paupertatem profiteri, & omnium rerum proprietate ſe abdicare.* 104

XXXVII. *Licere Monaſterijs propria bona poßidere, ex quibus viuere queant Religioſi.* 106

XXXVIII. *Deo dicatas perſonas ritè peculiari habitu & tonſura vti: ac eorum* VESTITVM, *per mimicas illuſiones, ludibrio neutiquam exponi debere ſub grauiſsima pœna;cum confutatione Lagi Iureconſ.* 107

XXXIX. *Anachoretas & Cœnobitas optimum religioſæ vitæ inſtitutum colere;& eorum Apoſtatas in Monaſteria reducendos eſſe.* 112

XL. DE MATRIMONIO. *Polygamiam per Leges Imperiales vetitam eſſe.* 114

XLI. *Matrimonium ratum diſſolui per Monaſticam profeßionem; cum confutatione Klingij Iureconſ.VVittenbergenſis.* 116

XLII. *Liberos inuitis parentibus complecti poſſe Monaſtices inſtitutum.* 119.

XLIII. *Matrimonium non dirimi ob alterius coniugis deſertionem, niſi cum conditionibus appoſitis.* 120

XLIV. *Coniugio ob adulterium diſſoluto,non licere innocenti parti, altera ſuperſtite,de nouo contrahere;cum confutatione VVeſenbecij Iureconſ.* 121

FINIS.

Digitized by Google

IN LIBRVM SECVNDVM THEOLOGIÆ IVRECONSVLTORVM,

PROOEMIOLVM.

SOcietatem ciuilem, qua nihil pulchrius, dulcius, aut vtilius in vita cogitari poteſt, non temere & caſu, aut propter neceſſitatem confectam eſſe, ſed ſingulari Dei conſilio atque ope conſtitutam; qui & Religionis veræ doctrinam humano generi tradidit, & Imperia Regesqúe impoſuit, vt iter ad cæleſtem perpetuamque vitam monſtraret, interim verò pacem in terris muniret, & effrænes hominum cupiditates, ac furores coerceret: quos, non niſi LEGVM *frænis cohiberi, frænarique voluit. Nam ſi vagarentur homines vt beſtiæ, ſine cœtibus, ſine* LEGIBVS, *ſine Imperijs; Cyclopica quadam immanitate perturbaretur procreatio, educatioque natorum: nulli eſſent, qui bonos mores tuerentur, alios ad virtutem inuitarent, ac aliorum iniuſtos impetus reprimerent. Cùm verò* LEGVM *voce Curiæ Iudiciaq; reguntur, optimum floret Reipub. regimen, publica pax retinetur, virtutibus honos & præmium tribuitur, & vigent optimarum rerum ſtudia, quibus homines ſibi inuicem adiumento, ornamento, ac emolumento eſſe poſſunt.*

Cùm igitur in cōſpectu ſit ſumma ac illuſtris LEGVM CIVILIVM *vtilitas, deplorāda tamen eſt hæc naturæ humanæ infirmitas, qua tantū humani generis* BONVM, *nō ſolida æquitate ſuffultum & conſtitutum, ſed multis* NAEVIS, ERRORIBVSQVE *contaminatum fuit. Quis enim ignorat* LEGES CIVILES *(ceu pleræque ab Ethnicis proditæ auctoribus) multis in caſibus cum Chriſtiana charitate pugnare, vim inferre bonæ ac timoratæ conſcientiæ, eamque turbulentis iniuſtitiæ, aliorumque flagitiorū pro-*

cellis obijcere? Adhæc fores aperire, ac fomenta ſubminiſtrare varijs ſceleribus, cum Lege naturali & diuina pugnantibus; quibus & benignum Numen cæleſte grauiter offenditur, & proximi charitas læditur?

Quamobrem nemo ſatis pro dignitate laudare poterit præclarũ CANONVM Eccleſiæ inſtitutum, quo THESAVRVS Legum CIVILIVM, terrena impura mole reſperſus, à fœdis peccatorum maculis repurgatur, excolitur, ac cæleſti nitore, & LIMA AETERNAE IVSTITIAE DIVINAE ita elimatur, illuſtratur, & perpolitur; vt in conſpectu Dei Opt. Max. totiusq; cæleſtis Exercitus, ac Eccleſiæ Chriſtianæ lucidè ſplendeat, & diſtinctis iuſtitiæ gradibus, homines paulatim ad fontem omnium Legum, æquitatisque Auctorẽ prouehat, ac dirigat. Hanc enim Canonum diſciplinam, CAELESTIS IVSTITIAE (quæ regulis ſuis humanam iuſtitiam, Legibus ciuilibus comprehenſam, moderari & corrigere debet) SCHOLAM AC DOMICILIVM eſſe, aſſeuerare non dubitârim. Omnibus enim notum eſt, in hoc verſari nunquam ſatis laudatum Canonum ſtudium ac doctrinam, vt LEGES CIVILES, ab æterna, immotaque iuſtitia diuina deflectentes, in viam reuocet, ad eamque conformet: omnia humanæ ſocietatis commercia, omnes contractus, omniaq; delicta ad gnomonem Chriſtianæ charitatis exigat, ac dirigat: CONSCIENTIAM pacatam ac tranquillam reddat: iniuſtè per Leges Ciuiles ablata ac permiſſa RESTITVERE iubeat. Quod hoc ſecundo Iureconſultorum THEOLOGIAE libro copioſè oſtendi. In quo PRAECIPVOS CASVS complexus ſum, in quibus Leges Ciuiles & Canones CONVENIVNT, quæ citra controuerſiam omnes ſeruanda & amplectenda eſſe ſcirent. Minutiora autem annotare non operæpretium duxi; vel quia aliâs nota ſunt; vel quia ſingula percenſere non potui, niſi vnâ Canonum ac Legum vaſtæ molis libros tranſcribere voluiſſem.

Ea diligentius conſignaui, in quibus AMBO IVRA DISSIDENT: nam non vbiuis obuiam ſunt, ſed diſperſa latent; vt illa ex ſuis latibulis eruere, res ſit non exigui laboris: quæ iam Lector ſuis digeſta Locis Communibus ſub vno conſpectu habet.

Plerunq;

Plerunque ferè rationes protuli, cur quæque mutârint CANONES. *Nam ij, non vt* LEGES *à terreno affectu, ſed à cæleſti iuſtitia, ac Chriſtiana ſyncera charitate pendent, hiſque ceu fulcris innituntur. Quapropter iuuat iam pulchritudinem Iuris Ciuilis intueri, quod* PRAECIPVIS NAEVIS REPVRGATVM, *ob cæleſtis iuſtitiæ ſplendorem, ſerenos ad ſocietatem humanam diffundit radios.*

Cæterùm in hoc Opuſculo varios Iuris Locos non propoſui methodica ratione explicare, definire & partiri; licet id in quibuſdã obiter & incidenter factum ſit: nam præſuppono iſta Lectoribus nota eſſe. Doctores præterea parciſſimè allegaui. Fuit enim mei inſtituti, potius puris ac illibatis Canonum & Legum fontibus ſeu textibus inniti, quàm cumulandis auctoritatibus Lectorem legendo defatigare.

Præterea, LOCORVM *capita per punctorum numeros diſtinxi, ne omnia promiſcuè & confuſè accumularentur.*

Ad extremum, ne quis opinaretur, antiqua Canonum inſtituta diſcrepare à recentioribus, & moderna Eccleſiæ praxi, plurimis in locis conſenſum Concilij Tridentini adieci ad marginem.

Digitized by Google

DE THEOLOGIA IVRECONSVLTORVM LIBER SECVNDVS,

Continens ENVMERATIONEM PRAECIPVORVM CASVVM, in quibus CONSENTIVNT LEGES ET CANONES, omniaque dirigens ad exactam normam CONSCIENTIAE, ſeu Legis Eccleſiaſticæ, vbi ea Politicam corrigere debet, ac poteſt.

CAPVT J. PROLEGOMENORVM.

De Definitione LEGIS *in genere, & Legis diuinæ ac humanæ præcipuis proprietatibus, & quatuor* CAVSIS. *In quibus documentis conſentiunt Leges & Canones.*

LEx eſt regula quædam humanarũ actionum, à DEO IMMEDIATE, vel MEDIATE (per Magiſtratum Eccleſiaſticum aut Politicum) conſtituta; à qua deuiare peccare eſt. Vnde Ariſtoteles lib. 10. Ethicorũ cap. 9. Lex, inquit, eſt ſermo ab aliqua prudentia ac mente profectus, vim habens COGENDI.

Itaque eſſentia Legis in hoc conſiſtit, vt LIGET & COGAT;

Digitized by Google

COGAT; ita vt ſit peccatum aliter agere. Omnem legem eſſe coactiuam, oſtenditur etiam ex definitione PECCATI, quod eſt tranſgreſſio legis. Sic enim definitur à S. Ioanne 1. epiſt. 5. ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Neque obſtat nobis definitio peccati à S. Auguſtino (libr. 22. contra Fauſtum cap. 27.) prodita; Peccatum eſt dictum, (ait) vel factum, vel concupitum contra legem AETERNAM DEI. Vnde non licet colligere, tranſgreſſionem legis HVMANAE non eſſe peccatum. Sermo enim hic eſt, non de lege Dei poſitiua, ſed æterna: omnis autem lex, ſiue à Deo, ſiue ab homine detur, ab æterna Dei lege deriuatur. Eſt enim æterna lex, vt malum ſit violare regulam.

I. Proprietas Legis eſt, vt ſit OBLIGATORIA & coactiua ob quatuor Rationes.

I. Ratio.

Solutio obiectionis.

Siue igitur quis præuaricetur legem naturalem, ſiue poſitiuam, ſiue diuinam, ſiue humanam, ſemper peccat contra legem æternam, quia omnis lex eſt æternæ legis participatio, quæ eſt prima & ſumma regula, ęterna & immutabilis. Vt igitur receſſus à regula in naturalibus, dicitur peccatum naturæ, vt ſunt monſtra; & receſſus à regula in artibus, eſt peccatum artis: ita hæc AETERNA Dei lex, eſt regula morum, cuius proprium eſt intrinſecè ita dirigere, vt receſſus ab ipſa ſit peccatũ in moribus. Hæc autem LEGIS obligãdi efficacia hinc promanat, quòd auctoritas præcipientis facit eſſe actũ virtutis eum, qui ex ſe erat indifferens. Deinde, quia homines, vt bene viuant, debent ſecundùm rationem viuere; & quia conſtant ex corpore & ſpiritu; ex ratione & ſenſu, vix poſſunt ſine affectu ſecũdùm ſolius Rationis ductum iudicare. Ideò igitur leges inuentæ ſunt, quæ nihil continent, niſi RATIONIS IVDICIVM, vt cùm eas ſequi homines coguntur, COGANTVR ſimul rationem ſequi.

NB.

Simile.

II. Ratio, cur lex ſit coactiua.

III.

IV.

Alia etiam intrinſeca legis eſt proprietas, vim habẽs OBLIGANDI & cogendi, nempe RATIO LEGIS, quæ eſt, vt Iureconſ. dicunt, ANIMA legis, & proinde quan-

II. Proprietas.

Digitized by Google

NB. Quando lex ſit abroganda. do generaliter ceſſat ratio, & finis legis, lex debet abrogari & ceſſare; tamen quando non ceſſat ratio legis, niſi in aliquo particulari, lex adhuc viget, & cùm ſit generalis, obligat omnes, etiam illum, in quo non inuenitur ratio, ſeu finis legis. Ex hoc fundamento, hæc dicta Iurecõnſ. profluxerunt: Ratio legis plus debet conſiderari, quàm lex ipſa. l. 1. C. quæ ſit long. conſuetudo, & prima Diſtinct. c. cõſuetudo, vbi dicitur, Lex eſt quicquid RATIONE conſiſtit. Vnde Baldus in capitulo 1. de Conſtitutionibus ait, lex conſiſtit in ſubſtantia RATIONIS. Et Bartholus in l. cùm mulier, ff. ſoluto matrimonio, dicit, quòd ratio legis & mens idem ſit. Hinc rectè notat Gloſſa in l. 1. & 2. C. quæ ſit long. conſuetudo, quòd non minus debeat attendi RATIO LEGIS, quàm LEX ipſa. Quod dictum de ratione FINALI accipio, quæ dicitur ipſa lex, ſecundùm Baldum in c. dilectus, de Reſcriptis, & in l. ſi quis ſeruo, C. de fur. Item, vbicunq; habet locum ratio legis, habet locum etiam LEX. C. de interdict. l. 1.

III. Proprietas. Præterea, alia etiam eſſentialis legum conditio eſt, ſeu proprietas, quæ homines ad ipſarum obſeruationẽ COGIT, nempe IVSTITIA. Nam iniuſtæ leges non ſunt propriæ dicendæ leges, vt S. Auguſtinus docet, lib. 1. de Libero arbitrio, cap. 5. Vt autem iuſta ſit lex, quatuor conditiones requirũtur.

Iuſtæ legis quatuor Requiſita. I. PRIMO, ex parte Finis, vt ad bonum commune ordinetur: vt enim Rex differt à Tyranno, (ex Ariſtotele lib. 8. Ethicorum, cap. 10.) quòd ille communem, iſte priuatam quærit vtilitatem; ita etiam differt lex iuſta à tyrannica. Finis autem omnium legũ eſt CHARITAS, vt ait Paulus, 1. Tim. 1. Nam lex humana dirigit actus humanos in ordine ad actus externos dilectionis, id eſt, ad pacem & conſeruationem Reipubl. Lex autem diuina dirigit etiam in ordine ad internos actus charitatis. Quare legis diuinæ & humanæ eadem eſt ratio, quod ad obligationem attinet: nam vtraque

Idem ſcopus legis diuinæ & humanæ.

prima-

Digitized by Google

primariò reſpicit & intendit charitatem, quæ eſt perfectio complementum, & ſummus finis iuſtitiæ. SECVNDO, II.
ex parte agentis, vt ſit ab habente auctoritatem: nemo enim poteſt legem imponere non ſibi ſubdito. TERTIO, III.
ex parte Materiæ, vt non prohibeatur virtus, nec præcipiatur vitium. QVARTO, ex parte Formæ, vt debito modo IV.
& ordine conſtituatur, & promulgetur lex; nimirum, vt lex eam proportionem ſeruet in honoribus diſtribuendis, & oneribus imponendis, quam habent ſubditi in ordine ad Rempubl.

Quatenus autem hæ quatuor legum conditiones obligent, diſtinguendum eſt. Nam leges iniuſtæ ratione Materiæ, id eſt, quæ ſunt contrariæ diuino iuri, ſiue naturali, ſiue poſitiuo, non ſolùm nō obligant, ſed etiam non debent vllo modo ſeruari: iuxta illud Actor. 5. *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus.* Id quod etiam docent Canones, 8. Diſtinct. Quæ contra, & 32. q. 7. flagitia; & leges ciuiles, ff. de Legibus. Item SS. Patres, Hieronymus in cap. 6. ad Epheſ. Auguſtinus in Pſal. 124. & ſer. 6. de Verbis Domini, & Bernardus lib. de Præc. & Diſpen. At quæ ſunt iniuſtæ ex parte Finis, vel Auctoris, vel etiā Formæ, ſeu modi, ſeruandæ ſunt, quando ſequeretur ſcandalum, ſi non ſeruarentur. Et poteſt hoc deduci ex illo Matthæi 5. *Qui angariauerit te mille paſſus, vade cum eo & alia duo; & ſi quis tibi abſtulerit tunicam, da illi & pallium.* Eſt enim ſenſus, non vt hoc ſemper faciamus, ſed vt parati ſimus ſemper id facere, quandocunq; id erit neceſſariū ad gloriam Dei. Item ex illo 1. Petr. 2. *Serui ſubditi eſtote dominis, non ſolùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.*

Hiſce ceu fundamētis ritè perpenſis, facilè intelligi queunt, quæ de proprietatibus, conditionibus ac fine Legum diſſeruntur, ff. de Leg. & apud Gratianum Diſt. 1. 2. 3. & 4. Nam eorum hîc fundamēta & declarationes expoſui: nam in ijs CONSENTIVNT Lex Ciuilis, & Canonica.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De Diſſenſione Legum & Canonum circa definitionem ac proprietatem Iuris ſeu Legis NATVRALIS; *& an cadat in eam* DISPENSATIO.

IN definitione LEGIS NATVRAE diſſentiunt Leges & Canones. Iureconſ. ita finiunt Ius naturale, quod natura omnia animalia docuit, in Inſtit. de Iuſt. & iure, §. Ius nat. Sed hęc definitio non videtur eſſe ſufficiens: complectitur enim ea tãtùm, quæ nobis cum pecudibus ſunt communia: qualia ſunt maris & fœminæ coniunctio, ſobolis procreatio & educatio, violentię per vim repulſio, &c. Alia autem, quæ iuris naturalis ſunt maximè, hæc definitio non complectitur: qualia ſunt, Deum colere, parentibus & patriæ obtemperare, & ſic conſeruare communem ſocietatem: hæc & ſimilia natura non docet animalia. Ideò ſolet alia definitio à Canoniſtis tradi, in principio primæ Diſtinct. quæ habet. Ius (ſeu lex) naturale eſt, quod in Lege & Euangelio continetur, quo quiſque iubetur alij facere, quod ſibi vult fieri. Hanc definitionē ſi quis ſimpliciter intelligat, ſcilicet ius naturale nihil aliud eſſe, quã quod in Euãgelio traditum ſit, & ſic idem eſſet LEX NATVRALIS & EVANGELICA, longè erraret: licet enim vtraque ſit lex diuina, ſunt tamen diuerſiſſimæ. Nam Lex naturæ proponit de Deo theſin, id eſt, in genere, ſiue communem propoſitionē, quòd ſcilicet ſit aliquis Deus, quem colamus, nō tamen addit quis ille ſit, & qua ratione ſit colendus: quare etiã variæ opiniones à gentibus de Deo conceptę erant. Euangelium autem tranſit ad hypotheſin & ſubſumit illã communem theſin iuris naturalis, quæ habet Deum colendum, exprimens Chriſtum eſſe illum Deum, & docet quibus modis ſit colendus: quare iſte intellectus eſt fal-

1. Definitio legis naturæ.

Digitized by Google

eſt falſiſſimus. Poteſt tamen illa definitio quoq; defendi, nẽpe quòd illic per μετωνυμίαν continẽs capiatur pro contento, ſiue totũ pro parte, q.d. Ius naturale (ſeu Lex naturæ) eſt, quod in Euangelio continetur, in illa ſcilicet parte ſcripti Euangelij; qua quis iubetur alij facere, quod ſibi vult fieri. Et hęc ſignificatio ex ipſis textûs verbis colligitur: ita enim ſonant verba: Ius naturale eſt, quod in Lege & Euangelio continetur, quo quis iubetur alij facere, quod ſibi vult fieri. Et ſic ἔμφασις eſt in dictione QVO. Idem habes in princip. Diſtinct. V. Et hæc definitio eſt quidem bona ſecundùm poſteriorem intellectum, non tamen abſoluta. Addenda ergo eſt tertia definitio, quæ videtur aliquanto perfectior: Lex naturæ ſunt communes ſententiæ, (practicæ rationis, notæ ex terminis, vel concluſiones neceſſariò ſequentes ex his, vel ad minus conſonæ iſtis principijs ac concluſionibus) mentibus hominum naturaliter inſcriptæ, optimam & abſolutiſſimam viuendi rationem proponentes, vt colligitur ex c. Ius naturale, I. Diſtinct. II. III.

Hæc lex nobiſcum condita & nata eſt, nec variatur tempore, ſed immutabilis ſemper permanet, vt in principio V. Diſtinct. Nec refert, quòd plerique homines non deprehendant illas ſententias, præſertim maiores, in animis eorum ſcriptas eſſe: quia hæc lex latet in quibuſdam, ſicut ignis in ſilice, qui non apparet, niſi excutiatur. Ita quoque quædam præcepta legis naturæ in animis noſtris latent, donec ab hominibus prudentibus excutiãtur. Notat autem c. Ius naturale, cum Gloſſ. I. Diſtinct. hæc ſequentia eſſe præcepta legis naturalis primæuæ. I. Deum colere. II. Parenti & patriæ obtemperare, & ſic conſeruare communem hominum ſocietatem. III. Neminem lędere. IV. Per mutuam, & voluntariam communicationem, rebus communiter vti. V. Maris & fœminæ legitima coniunctio. VI. Liberorum ſucceſſio, ſcilicet quoad carnis propaginem: nõ enim

PRIMAEVVM ius naturale.

poteſt intelligi de ſucceſſione in bonis hæreditarijs, quia illa eſt iuris poſitiui. VII. Puerorũ educatio. VIII. Omnium vna libertas. IX. Acquiſitio eorum, quæ cælo, terra, marique capiuntur. X. Violentiæ per vim repulſio.

Secundùm Ius Ciuile autem ea tantùm reputantur pro præceptis legis naturalis, quæ nobis ſunt cum pecudibus communia: qualia ſunt quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum & decimum. Reliqua verò computantur inter ius gentium. l. 1. §. finali, iuncta l. 2. & 3. de Iuſtitia & iure.

Si igitur per legem Naturæ intelligamus principia practica nota ex terminis, aut concluſiones neceſſariò ſequentes ex principijs prædictis, in EAM NON CADIT DISPENSATIO. Vnde hoc modo dicitur Ius naturale IMMVTABILE, c. Ius naturale, 4. Diſtinct. quia ratio legis non poteſt ab eo ſeparari; vt eſt primum, & ſecundũ præceptum Decalogi.

At in præcepta, conſona primis principijs & concluſionibus, (ceu ſunt præcepta ſecundæ tabulæ, & omnia moralia data in lege Moyſi, & Euangelica) non cadit diſpenſatio, quoad rationem ipſorum, ſed quantum ad obſeruationem ſanctionũ. Et vbi ratio legis ceſſat, poteſt diſpenſari; ſecus autem ſi non ceſſat.

CAPVT III.

Cur præter Legem Naturalem, Euangelicam, & Diuinam Politicam veteris Teſtamenti, neceſſaria fuerit LEX *poſitiua: Item de Iure* GENTIVM, *quod fluit ex Lege Naturæ: Item Legem* POSITIVAM *eſſe duplicem*, CIVILEM, *&* CANONICAM, *ſeu Eccleſiaſticam.*

Quia

QVia Lex naturæ ſolùm principia generalia oſtendit, neque ad particularia deſcendit, non ſufficit omnes humanas actiones in commercijs, & conſuetudinibus cum alijs hominibus dirigere. Nō ſufficit etiam Lex Euangelica, quia illa tractat ſolùm de rebus diuinis & cæleſtibus. Lex autem diuina Politica Teſtamenti veteris iam ceſſauit; ſolùm enim conueniebat vni illi populo Iudæorum, & in illo ſtatu. Ergo neceſſaria eſt alia aliqua regula humana, nimirum in rebus Politicis, lex Ciuilis; & in Eccleſiaſticis, lex Canonica.

De quibus antequam dicere aggrediar, prius de Iure ſeu lege gētium abſoluam, quæ ex lege naturali eſt collecta per rationem; nam ex ea ceu antecedenti deducit conſequens, & humanis neceſſitatibus exigentibus, ratum quippiam inter omnes gentes conſtituit. Huius iuris duo ſunt præcepta. I. Res diuidere. II. Sontes punire. Ex primo fluxerunt illa; ſcilicet quòd gentes ſunt diſcretæ, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia parata: & hęc ſunt iura Realia. Inde quoque promanârunt omnes ferè cōtractus, & ſic iura Perſonalia, id eſt, ex quibus perſonæ obligantur, vt mutuum, debitum, commodatum, depoſitum, pignus, emptio, locatio, ſocietas, mandatum, permutatio, pacta, & cæt. Cauſa huius præcepti, eſt præceptum iuris naturalis, quod habet, rebus communiter vti. Ponitur enim id tanquam primum principium, ſiue antecedēs quoddam, ex quo ius gentium colligit conſequentiam, hoc modo: Si debet eſſe rerum communio, neceſſe eſt, gentes diſcernendas, item regna condenda, item certos modos conſtituendos, per quos fit illa communicatio, quales ſunt contractus, & modi acquirendi rerum dominia.

IVS GENTIVM.

Iura Realia.

Iura Perſonalia.

Ex ſecundo præcepto fluxerunt pœnæ Magiſtratuū, eorumque iudicia, quæ, quoad cauſam materialē, ſunt

Digitized by Google

iuris gentium;quoad cauſam formalem verò, ſunt iuris poſitiui. Addidit enim ius poſitiuum iſtis rebus formam, ſecundùm vniuſcuiuſq; regionis cōſuetudinem. Vide Specul. in proœ. lib. 1.

Ius autem Poſitiuum propriè dicitur, quod neq; in totum à iure naturali & gentium recedit, neque etiam per omnia ei ſeruit, ſed interdū aliquid addit, interdū verò detrahit, vt colligitur ex leg. 1. ff. de iuſtitia & iure. Nam propter circumſtantias perſonarum & rerum, ſępe ius naturale, ac gentium limitat & explicat. Hoc ius Poſitiuum duplex eſt, lex Ciuilis, & lex Canonica.

CAPVT IV.

Leges CIVILES *ad optimum Regimen Reipubl. commodas & neceſſarias eſſe ob ſeptem Rationes: eaſq; in* CONSCIENTIA *obligare, varijs argumentis demonſtratur; & quatuor obiectiones Sectariorum, Vigelij, & Lagi Iureconſ. refelluntur: Item explicatur ſcopus Chriſtianæ* LIBERTATIS.

Hic Primus præcipuus Locus eſt Theologiæ Iureconſ.

IVs Ciuile, eſt quod Magiſtrat9, populus, vel ciuitas proprium ſibi cōſtituit. c. Ius ciuile, Diſtinct. 1. Quanquam arbitrium Principis aliquo modo ſufficere poſſit ad regimen Reipubl. quando Princeps eſt ſapiens, & populus exiguus; tamen abſolutè neceſſe eſt, populum regi legibus Ciuilibus, non ſolo arbitrio Magiſtratus, ſi rectè regi debeat. Quod interdum ſufficiat arbitrium Principis, patet, quia antiquiora ſunt regna, quā LEGES CIVILES. Iuſtinus lib. 1. Hiſt. dicit, olim populos ſine vllis legibus, ſolo Principum arbitrio, gubernari ſolitos; & ex Li-

ex Liuio lib.3. conſtat, Romanam Rempub.ad annos 300.ſine legibus gubernatam. Denique antiquiſſimus legiſlator vel eſt Moyſes, vt Ioſephus contendit in 2. lib. contra Appionem, vel certè Phoroneus, qui 300. annis Moyſe fuit antiquior, vt Euſebius in Chron. & Auguſtinus lib.18. Ciuit. Dei, cap. 3.docent. Atqui ante Phoroneum conſtituta ſunt regna Aſſyriorum, Argiuorum, Aegyptiorum, & aliorum. Quòd autem melius ſit regi populum legibus, quàm ſolo Principis arbitrio, imò quòd ſit hoc aliquo modo neceſſarium, affirmat Ariſtoteles lib.3. Politicorum, cap.11. Et probatur PRIMÒ, quia facilius eſt inuenire vnum vel duos bonos & ſapientes, quàm plurimos. Si Reſpub. debeat regi arbitrio Principis, indigebit infinitis bonis Principibus, quorum vnus alteri ſuccedat; at ſi gubernetur legibus, ſufficit ſemel fuiſſe aliquos, vel vnum ſapientem, qui legem fecerit. SECVNDÒ, qui leges condunt multi ſunt, & diligenter eas examinant; at Princeps eſt vnus, & ſæpe repente iudicare debet. TERTIÒ, qui LEGES CIVILES fecerũt, ſine amore & odio iudicârunt; nam de rebus abſentibus iudicârunt; Princeps de præſentibus iudicat, vbi locum habent amici, propinqui, munera, terrores, &c. Vnde Iudicium LEGVM, eſt IVDICIVM SOLIVS RATIONIS: iudicium hominis, eſt iudicium rationis & libidinis, id eſt, hominis & beſtiæ. QVARTÒ, iudicium Principis, etiam ſi rectiſſimum ſit, vix vnquam caret ſuſpicione, inuidia, querelis, maledictis; at Iudicium legis his omnibus caret, quippe quod ſcitur non poſſe corrumpi muneribus. QVINTÒ, Gubernatio per leges poteſt longiſſimo tempore eadem perſeuerare; at iudicia hominum ſæpe mutantur. SEXTÒ, gubernatio per leges poteſt reduci ad artem, & facilior effici; non autem gubernatio ad arbitrium hominis. SEPTIMÒ, melior eſt gubernatio Principis per ſe, quàm per Vicarios;

Leges Ciuiles ad Regimen Reip. neceſſariæ.

NB.

Hę rationes pleræque ferè ſumptę ſunt ex lib. 3. Ariſtote. Politicorũ.

NB.

Digitized by Google

at gubernatio ſine legibus neceſſariò requirit multos vicarios, qui omnes ad arbitrium ſuum iudicent; quando autem per leges gubernatur, ipſe Princeps omnia per ſe iudicare cenſetur, cùm eius legibus iudicetur.

Leges Ciuiles in cõſcientia obligare.

LEGES CIVILES verò in cõſcientia obligare, varijs demonſtrari poteſt rationibus. Nam Paulus Rom. 13. ait: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Item: *Qui reſiſtunt, ipſi ſibi* DAMNATIONEM acquirunt. Quod de damnatione tam temporali quàm æterna exponunt omnes, Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius, &c. Ibidem ait: *Ideo neceſſitati ſubditi eſtote*; id eſt, non eſt liberum hoc, ſed neceſſarium. Item: *Subditi eſtote* (Magiſtratibus,) *non ſolùm propter iram, ſed etiã propter conſcientiam*; id eſt, non ſolùm propter metũ pœnæ, ſed etiam propter metum culpæ, quam incurretis, cõſcientia teſte. Neq; obſtat, quòd Chryſoſtomus, & eum ſequuti Theophylactus, & Oecumenius, per conſcientiam intelligunt hoc loco conſcientiam beneficiorum, vt ſenſus ſit: Neceſſariò parendum eſt Principibus, non ſolùm propter iram, id eſt, vindictam, ſed etiam propter conſcientiam, id eſt, quia cõſcij vobis eſtis, quàm multa beneficia à Regibus accipiatis. Hoc, inquã, non obſtat; nam cõmunis expoſitio eſt de conſcientia peccati, vt exponunt Theodoretus, Ambroſius, Beda, Anshelmus, & alij in hunc locũ, & Auguſtinus in Epiſt. 54. ad Macedonium.

I. Ratio.

Diluitur Obiectio.

Hinc manifeſtum eſt, leges Politicas eſſe ſeruandas in conſcientia, etiam citra contemptum & ſcandalũ. Illud enim PROPTER IRAM extendit Apoſtolus, non ſolùm ad vitandum cõtemptum & ſcandalum, ſed etiam ad obſeruationem legum in particulari. Magiſtratus enim non ſolùm punit contemptorem, ſed etiam eos, qui in particulari non ſeruant ſuas leges. Igitur eadem ratione, illud (*ſed propter conſcientiam*) debet extendi ad violationem legum. Non enim Paulus dixit,

neceſſi-

Digitized by Google

neceſſitati ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram in particularium legum obſeruatione, *ſed etiam propter conſcientiam*, in obſeruatione generalis mandati, de non contemnendo Principe: ſed ſimpliciter, & ſine vlla diſtinctione coniunxit illa duo: *non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

II. Hinc etiam S. Petrus ait, in Epiſt. 2. *Subiecti eſtote propter Deum*, id eſt, non ſolùm timore pœnæ.

III. Deinde, lex diuina & humana ita differunt, vt lex Regis & Proregis, ſiue lex Pontificis, & eius Legati. At iſtæ obligant eodem modo, & ſolùm differunt firmitate, ergo & illæ. Propoſitio manifeſta eſt: nam Scripturæ paſſim teſtantur, Reges eſſe miniſtros Dei, & ab illo habere auctoritatē, & loco eius IVDICARE: Prouerb. 8. Sap. 6. Rom. 13. 1. Pet. 2 Aſſumptio etiam liquet: nam auctoritas Proregis eſt à Rege, & Legati à Papa: & experientia idem teſtatur, & confirmatur ex SS. Patribus, Auguſtino & Bernardo. Auguſtinus in titulum Pſal. 70. Vbi, inquit, hoc iubet pater, quod contra Dominum non ſit, ſic audiendus eſt quomodo Deus. Certum autem eſt, maiorem eſſe Regis, quàm patris auctoritatem, vt idem Auguſtinus dicit Serm. 6. de Verbis Domini. Bernardus Tract. de Præcepto & Diſpenſat. Siue Deus, ſiue homo Vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo. IV.

V. Præterea, cùm culpa & pœna relatiua ſint, ad vtrāque obligabunt LEGES Ciuiles. Quomodo enim præuaricatorem morti adiudicabunt, ſi nihil peccauit, & culpam in conſcientia non contraxit? At dices, abſurdum eſt legem Politicam obligare ad pœnam æternā, cùm eam Magiſtratus ciuilis inferre nequeat. At verò Scriptura ſecus iudicat, quæ ſtatuit omnem legum poteſtatem eſſe *à Deo*: & *qui ei reſiſtit*, *Dei ordinationi* reſiſtere, ac

I. Obiectio refellitur Vigelij.

Digitized by Google

re, ac *damnationem ſibi* acquirere.(Rom.13) vbi vides miniſtrum legum ciuilium non offendi, quin etiam Deus offendatur; cuius vices agunt Magiſtratus.

II. Reſponſio ad obiectionem Vigelij Iureconſ.

Dices: Quomodo poteſt lex, vel poteſtas temporalis producere effectum ſpiritualem, id eſt, ligare cōſcientiam? Licet poteſtas Politica, & eius lex dicantur temporales ratione obiecti, quia verſantur circa temporalia, & exteriora; tamen in ſe res ſunt ſpirituales. Præterea, ligare conſcientiam, non eſt aliquid efficere in rem ſpiritualem; ſed ſolùm imperare alteri, & ſic imperare, vt ſi is non obediat, peccet, & teſtimonio propriæ conſciētiæ intelligat, vel intelligere poſſit ſe peccare. Itaque quicunq; poteſt iubere, poteſt ligare conſcientiam, etiam ſi is DE INTERNIS NON IVDICET, nec SCRVTETVR CONSCIENTIAM ALTERIVS.

III. Obiectio.

Obijciunt nonnulli Epicurei Sectarij, LEGES CIVILES pugnare cum Chriſtiana libertate; qui ſi noſſent triplicem gradum libertatis, hoc non tam inſcitè & temere deblaterarent. Primus eſt Beatorum, qui ſic poterunt bene agere, vt non poſſint peccare. Secundus fuit Adami & Euæ in ſtatu Innocentiæ, qui ſic poterant bene agere, vt poſſent etiam nunquam peccare. Tertius noſter, qui ſic poſſumus bene agere, vt nō poſſimus nō peccare ſaltem venialiter. Infra hos tres gradus non eſt quartus, niſi non viuere, & non bene agere, qui gradus ad damnatos pertinet. Vide D. Auguſtinū lib. de corrept. & gratia cap. 11, Cùm ergo libertas conſiſtat in eo, vt poſſimus eligere bonum, & reijcere malum, manifeſtum eſt, LEGEM nō pugnare cum LIBERTATE: non enim impedit quò minus poſſimus eligere bonum, & reijcere malum, ſed contra potius IVVAT; nam præbet MATERIAM EXERCENDAE LIBERTATIS. At ſeruituti rectè opponi dici poteſt LEX, quia non poteſt impleri à ſeruo peccati. Vnde Paulus Roman. 3. *Quid ergo, inquit? legem deſtruimus per fidem? Abſit, Sed*

Digitized by Google

Sed legem ſtatuimus. Quamobrem, qui non deuincti ſunt iugo peccati, vera gaudent LIBERTATE Chriſtiana, vt legimus Ioan. 8. *Amen, amen dico vobis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ſeruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et Rom. 6. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis* IVSTITIAE. Vides hîc, IVSTIFICATIONEM à peccato, LIBERTATEM QVANDAM vocari? Vtinam eam tantopere vrgerent ac defenderent SECTARII, in quãtum pſeudoeuangelicam, præpoſteram, & carnalem peſtiferam libertatem iactare ſolent.

CAPVT V.

Concordia & diſcordia Canonum & Legum circa STATVTA: *& an* EA *contra ius diuinum condi poſſint, ac valere.*

Hic eſt Locus Secundus præcipuus THEOLOGIAE IVRECONSVLT.

TRanſeamus nunc ad ius Ciuile priuatum, quod partim ſcriptum eſt, partim non ſcriptum: illud STATVTVM, hoc CONSVETVDO nuncupari conſueuit.

I.

DE STATVTIS hoc inter Leges & Canones conuenit; quantum quis habet de iuriſdictione, tantum habet de auctoritate condendi legem, vel STATVTVM, nec vlterius extenditur, niſi hi, quorum intereſt, conſentiant, vel ad minus ſint præſentes. Vide c. Eccleſia de Conſtitutionib. ca. bene quidem. 96. Diſtinct. Item Innoc. in c. primo, de loca. & in c. à nobis, de Sentent. Excommunic.

II.

Quæ Collegijs Eccleſiaſticorum competunt IVRE ECCLESIAE, de ijs maior pars poteſt STATVERE, & ea DISSENTIVNT.

Digitized by Google

deputare ad pium vſum; vt eſt tex. no. in c.fin. De his quæ fiunt à maiori part. Capit. Fallit hoc de iure Ciuili, vt notat Panormitanus in c. cùm omnes, de conſtitutionib. Nam in Collegijs laicorum tenĕtur ſinguli conſentire.

III.

CONSENTIVNT. Statuta Vniuerſitatis vt valeant cùm ſanciuntur, ex ea duæ partes vt conueniant, neceſſe eſt. Ex quibus maior pars debet conſentire. Ita ſentiunt Canoniſtæ & Legiſtæ; vt in l. nulli, ff. quod cuiuſque vniuer. & l. nominationũ, C. de Decu. & Panorm. in c. cùm omnes, de Conſtitutionib.

DISSENTIVNT. Hanc autem ſententiam Canoniſtarum improbāt Legiſtę; Quòd ſi nolint conuenire membra Collegij ad conuocationem Præſidis, tunc poſſe explicare ſtatutum præſentes, licet minor pars Collegij. Quia nolentes venire, ſe ſeparant. c. cũ nobis, de elect. Si ad nullum ſpectat officium conuocãdi, termino præfixo minor pars poteſt conuocare maiorem, & nolentem venire poteſt explicare. Quia minor pars non debet priuari iure ſuo propter negligentiam vel contemptum maioris partis, vt no. in c. cùm cauſis, de elect. Si autem terminus non eſt præfixus, duas eſſe partes oportet, & tertia poterit agere de contemptu; vt in dicto c. in cauſis.

IV.

DISSENTIVNT. Legiſtæ docĕt, eius eſſe interpretari Statutum, cuius eſt condere. Secus ſentiũt Canoniſtæ; Statutorũ conditores eò deputatos à populo, exorto dubio ea non poſſe interpretari: nam populus, qui auctoritatē conditoribus dedit, hoc ius obtinet. Panorm. in c. ex parte, de Verb. ſignific. & Barthol. in l. omnes populi, de legib.

V.

Statuentes poſſe recedere à Statuto confirmato per Supe-

Superiorem vel Sedem Apoſtolicam ſine aliqua licẽtia, admittit Panormit. in c. cùm acceſſiſſent, de Elect: negat autem Baldus in l omnium, C. de Teſta. Videtur tamen conciliari poſſe vtraque opinio. Si enim Statutum præcipuè reſpicit fauorem ſtatuentium, vera eſt prima opinio; ſi autem concernit fauorem aliorum, vel bonum publicum, verè ſentit Baldus, id ſine licentia Superioris non valere: quia confirmando videtur Superior ſtatutum ſuum facere. Nam OMNIA NOSTRA facimus, quibus auctoritatem impertimur. c Si Apoſtolicæ, de præbend. lib. 6. & l. 1 C. de vet. iure enucleando. NB.

VI.

An STATVTA contra ius diuinum condi poſſint, quærunt Iureconſ. & diſtinguunt. Aut loquimur de rebus merè ſpiritualibus, de quibus neq; iure poſitiuo, neq; in Philoſophia quippiã decretum eſt, quales ſunt articuli fidei, &c. & tunc neque Leges, neque Canones, neque etiã STATVTA poſſunt contra diſponere. capit. ſunt quidam, cum infinitis ſimilibus, 25. quæſt. 1. Gloſſa in Authentic. ad hæc, C. de vſuris: & vide diſtinctionem 9. & 10. per totum, & x. quæſt. 3. per totum, & c. Conuenior. 23. q. 8. Aut loquimur de rebus MORALIBVS, ſiue Politicis, de quibus fit mentio in ſacris literis, qualia ſunt de iuramento, de contentione in iudicio, de fure, de defenſione proprij corporis, &c. & regulariter ſtatuta condi poſſunt, etiam contra ea, quæ habentur in ſacris literis, NISI INDE SEQVATVR PECCATVM. Nã inferior non poteſt tollere legẽ ſuperioris, (Dei:) vt ff. ad Treb. l. ille à quo, & de arbit. l. nam Magiſtratus. Item, cõtra naturam eſt, vt ſeruus tollat legem domini ſui. C. de pactis, l. ſeruus. Vnde reſcripta contra IVS GENERALE, & vtilitatem publicam, reſcindũtur ab Imperat. c. ſi contra ius, vel vtilitatem publicam, l. finali. Exempli gratia, ius diuinum dicit: MVTVVM NB. Locus de vſura.

date, nihil inde ſperantes: iam ſi STATVTVM diſponeret, quòd is, qui accipit mutuò centum aureos, teneretur ſingulis annis vltra ſortē dare quinq; vel aliquot aureos loco acceſſionis, nihil valeret ſtatutū: quia cōtinet PECCATVM, ſcilicet vſuram, quæ omni iure prohibita eſt. Vide Doct. in l. omnes populi, ff. de iuſtit. & iure: & in §. Ius autem ciuile, in Inſtitut. de iure nat. gent. & ciuil.

VII.

STATVTA verò condita PRAETER IVS, modò ſint honeſta & rationabilia, nec contra bonos mores, vim habēt ex lege Ciuili & Canonica, ſecundùm gloſſam ſuper Rubric. C. de Decret. Decurionum, lib. 10.

VIII.

Statuta etiam Laicorum circa Matrimonium, nullius ſunt roboris: quia eius diſpoſitio, ad forum Eccleſiaſticorum, non laicorum pertinet. c. tuam, de or. cogni. & DD. in c. fin. de ſecund. nupt.

CAPVT VI.

In quibus punctis conſentiant aut diſſideant Leges & Canones circa CONSVETVDINES.

Tertius præcipuus Locus THEOLOGIAE *Iureconſ.*

I.

CONSENTIVNT.

AD introducendam conſuetudinem quatuor requirunt Leges & Canones. 1. Tacitum populi conſenſum. 2. vt ſit rationabilis. 3. quòd ſit præſcripta. 4. frequentiam actuū. Canones addunt quintum requiſitum, vt ſit introducta ex certa ſcientia, non per errorem.

II.

DISSENTIVNT.

CONSVETVDINES CIVILES ſæpè abrogantur per CANONES, cùm nimirum nutriunt peccatum, vt ſunt vſuræ pro bono publico permiſſæ à iure Ciuili; at à iure Cano-

Canonico, quod felicitatem animæ conſiderat, prohibitæ. Item conſuetudines contra publicam vtilitatem, & ECCLESIAM INTRODVCTAE non valent, Authen. caſſa. C. de Sacroſ. Eccleſijs.

III.

Si contra Ius naturale & gentium inductæ ſunt, de ijs idem ſentiendum, quod modò de Statutis dixi.

IV.

At contra IVS DIVINVM non appellatur CONSVETVDO, ſed VETVSTAS ERRORIS. c. conſuetudo, cum ſimilibus, VIII. Diſtinct.

V.

Præcepta autem Dei Moralia conſuetudo poteſt diſtinguere, limitare, & augere, ſi ratio naturalis ſuadet, nec eſt peccatum: quia præſumendum eſt, ipſum Deum ſic voluiſſe, cùm noluerit omnes caſus diſtinguere, ſed dederit regulas ſuas, & poteſtatem Vicario ſuo. XXIV. q. 1. Quodcunque ligaueris. Sed vbi ratio naturalis nulla ſuggerit, ius diuinum diſtinguere, ſeu limitare, nulla LEX poteſt, & minus conſuetudo, ac eam faciens, dicitur errare. c. ſunt quidam, XXV. q. 1.

VI.

CONSVETVDO ergo conſentanea Religioni, diſciplinæ, & ſaluti, in vtroque IVRE valida cenſetur. Diſt. 1. & ff. de legib. l. cùm de conſuetudine, & l. de quibus. CONSENTIVNT.

VII.

Conſuetudo contra ius poſitiuum inducta, illud tollit, ff. de legib. quæ idem valet cõtra CANONES. Nam c. nouit, & c. quãto, de his quæ fiũt à Præl. ſtatuitur, vt Epiſcopus tractet negotia cum conſilio Capituli; & eſt ratio, quia firmius eſt iudicium plurimorum. c. Prudentia, de offic. de legib. & XX. Diſt. De quibus tamen conſuetudo poteſt introducere contrarium; vt in c. nõ eſt, de conſuet. libr. 6. quæ tamen erit rationabilis, videlicet vt facilius expediantur negotia. CONSENTIVNT.

Digitized by Google

VIII.

Ad introducendam conſuetudinem 10. annorum ſpatium requirit IVS Ciuile, C. quæ ſit longa conſuet.

DISSENTIVNT. De Iure autem Canonico diſtinguitur: quia conſuetudo aut eſt præter Ius & ſufficit tempus 10. annorum, vt notat gloſſa in c. fin. de conſuet. lib. 6. & in c. conſuetudo, XII. Diſt. Si verò per eam detraheretur ius particularis Eccleſiæ, aliud tempus ad præſcriptionem debitum requireretur. Quod idem Panormit. requirit in c. fin. de conſuet. lib. 6. cōtra Eccleſiam vniuerſalem. Aut conſuetudo pugnat cum iure Canonico & Ciuili, tum vtrumque requirit tempus 40. annorum; quia oportet vt ſit præſcripta. c. fin. & c. 3. de conſuet. lib. 6. Si verò cōſuetudo eſſet cōtra ea, quæ reſeruata ſunt Principi in ſignum ſpecialis priuilegij; tum de Iure Canonico & Ciuili requiritur tempus, cuius non exſtat memoria; vt eſt Text. in c. ſuper quibuſdam, De Verbor. ſignificat.

IX.

DISSENTIVNT. Ad tollendum Ius Canonicum, oportet vt conſuetudo ſit præſcripta, ſecus eſt de iure Ciuili. Quia in eo ſufficit TACITVS cōſenſus populi. Seculares enim habent ius condendi leges, etiam contra legem Imperat. ab ipſo Imperatore l. omnes populi, ff. de Iuſtit. & iure. Et ideo poſſunt inducere conſuetudinem.

X.

DISSENTIVNT. Adhæc Canones licet præſcriptam requirāt conſuetudinem, tamen ſimul exigunt, vt non ſit tale ius, quod præſcribi non poſſit. Hinc Laici non poſſunt præſcribere ſpiritualia, vt nec conſuetudinem inducere. c. ma. ſana. De Elect. etiamſi eius nulla memoria exſtaret. Sic ſi conſuetudo eſſet in quibuſdam locis, vt contraheretur in 2. aut 3. gradu conſanguinitatis, ea quantumcumque longa non valeret. c. ſuper his, de conſang. & affinit. Ita etiam conſuetudo non approbata à Papa, non poteſt tollere impedimentum publicæ honeſtatis circa ma-

ca ma-

Digitized by Google

ca matrimonium. Nam conſuetudo contra honeſtatem Eccleſię irrita eſt. c. cùm decorem, De Vi. & honeſt. Cler.

XI.

Conſuetudo praua excuſat à pœna huius ſeculi, ſi eius prauitas nondum eſt declarata per ius. ſecus, quo ad Deum, per ius Canonicum, præſertim cùm ignorantia prauæ conſuetudinis eſt craſſa, ceu contra Ius naturale. 27. q. 2. flagitia. DISSENTIVNT.

In alijs CASIBVS, qui à me non ſunt NOTATI, conſentiunt Canones & LEGES.

CAPVT VII.

Eccleſiaſtica & Politica Poteſtas quomodo conueniant, & diſcrepent: & hanc illi varias ob cauſas SVBIECTAM *eſſe, ab eaq;* REGI: *& vbi deflectit,* CORRIGI POSSE *ac* DEBERE.

Hic FONS *eſt* CANONVM *Pontificiorum, atq;* IV. *præcipuus Locus* THEOLOGIAE *Iureconſ.*

Quæ ſit vis ac proprietas vtriuſq; Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis, aptiſſima ſimilitudine declarat S. Gregorius Nazianzenus, in oratione ad populum timore perculſum, & Imperatorem iraſcentem. Vt enim ſe habent in homine ſpiritus & caro, ita ſe habent duæ illæ poteſtates. Nam caro & ſpiritus ſunt quaſi duæ Reſpubl. quæ ſeparatæ ac coniunctæ inueniri poſſunt. Habet caro ſenſum & appetitum, quibus reſpondent actus, & obiecta proportionata, & quorum omnium finis immediatus eſt ſanitas, & bona conſtitutio corporis: habet ſpiritus intellectum, voluntatem, & actus, atque obiecta proportionata, & pro fine, animæ ſanitatẽ & per- Simile.

Digitized by Google

& perfectionem. Inuenitur caro ſine ſpiritu in brutis: inuenitur ſpiritus ſine carne in Angelis. Ex quo apparet, neutrum eſſe præcisè propter alterum: inuenitur etiam caro adiuncta ſpiritui, vbi quia vnam perſonam faciunt, neceſſariò habent ſubordinationem & connexionem. Caro enim ſubeſt, ſpiritus præeſt: & licet ſpiritus non ſe miſceat actionibus carnis, ſed ſinat eam exercere omnes ſuas actiones, vt in brutis exercet; tamen quando eæ officiunt fini ipſius ſpiritus, ſpiritus carni imperat, eamque caſtigat; & ſi opus eſt, indicit ieiunia, aliaſq; afflictiones, etiam cum detrimento aliquo & debilitatione ipſius corporis: & cogit linguam ne loquatur, oculos ne videant, & cæt. Pari ratione, ſi ad finem ſpiritus obtinendum, neceſſaria ſit aliqua carnis operatio, et ipſa etiã mors; ſpiritus imperare poteſt carni, vt ſe ac ſua exponat, vt in Martyribus videmus.

Accommodatio Similitudinis. Ita prorſus POLITICA poteſtas habet ſuos Principes, leges, iudicia, & cæt. & ſimiliter ECCLESIASTICA ſuos Epiſcopos, CANONES, IVDICIA. Illa habet pro fine temporalem pacem, iſta ſalutem æternam. Inueniuntur quandoque ſeparatæ, vt olim tempore Apoſtolorum; quandoq; coniunctæ, vt nunc. Quando autem ſunt coniunctæ, vnum corpus efficiunt, ideoq; debent eſſe connexæ, & inferior ſuperiori ſubiecta, & ſubordinata. Itaq; SPIRITVALIS ſeu CANONICA non ſe miſcet temporalibus negotijs, ſed ſinit omnia procedere, ſicut antequam eſſent coniunctæ; dummodò non OBSINT FINI SPIRITVALI, aut non ſint neceſſaria ad eum conſequendum. Si autem tale quid accidat, SPIRITVALIS Poteſtas poteſt ac debet coercere temporalem omni ratione ac via, quæ ad id neceſſaria eſſe videbitur.

Vt autẽ magis in particulari explicemus hæc omnia, comparanda eſt ECCLESIASTICA ſeu CANONVM poteſtas cum iudicijs ac legibus Ciuilibus.

I. Vigore Canonum Magiſtratus ſeculares ordinariè

non

Digitized by Google

non deturbātur per Eccleſiæ poteſtatem de ſuis dominijs, ceu Epiſcopi deponi poſſunt: tamen per eam poſſunt mutari regna, & vni auferri atq; alteri conferri, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem.

Deinde, poteſtas CANONICA ordinariè non condit, confirmat, aut infirmat LEGES CIVILES; & extraordinariè poteſt facere, ſi nempe Principes ſeculares eas ad ſalutem animarum neceſſarias nolunt ſancire, aut ijs noxias abrogare. II.

Præterea, Canones ordinariè non ferunt iudicium de rebus temporalibus; at nihilominus in caſu, quo id animarum ſaluti neceſſarium eſt, etiam per EOSDEM aſſumi poſſunt temporalia iudicia, quando nimirum non eſt vllus, qui poſſit iudicare; vt cùm duo Reges ſupremi contendunt; vel quando qui poſſunt, & debēt iudicare, non volunt ſententiam ferre. III.

Quòd autem Politicam poteſtatē Eccleſiaſticæ ſubijciamus, hæ ſunt cauſæ. Primò, finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali; nam felicitas temporalis non eſt abſolutè vltimus finis, & ideò referri debet ad felicitatem æternam. conſtat autem ex Ariſtotele, 1. Ethic. cap. 1. ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines. I.

Secundò, Reges & Pontifices, Clerici & Laici, non faciunt duas Reſpublicas, ſed vnam, id eſt, vnam Eccleſiam. *Sumus* enim *omnes vnū corpus*, Rom. 12. & 1. Cor. 12. At in omni corpore mēbra ſunt connexa, & dependentia vnū ab alio: nō aūt rectè aſſeritur, ſpiritualia pendere à temporalibus; ergo temporalia à ſpiritualibus pendēt, illisq; ſubijciuntur. II.

Tertiò, quemadmodum artes fræni factoria & equeſtris, ac ſimiles, inter ſe ſunt diuerſæ ob diſtincta obiecta, ſubiecta, & actiones; & tamen, quia finis vnius ordinatur ad finem alterius, ideo vna alteri præeſt, & leges ei præſcribit: ita Politica & Eccleſiaſtica diſtinctæ ſunt poteſtates, & illius finis ad huius finem natura refer- III. Simile.

d tur.

Axioma Logicum. tur. Propter quod autem vnumquodq; tale, illud magis tale, iuxta tritum Philoſophorum dictum.

IV. Quartò hinc elicitur, ſi temporalis gubernatio impedit ſpirituale bonum, eum adminiſtrandi modum mutari debere, etiam cum incommodo tēporalis boni. Ergo ſignum eſt, vtramque poteſtatem eiuſdem corporis membra eſſe, & vnum alteri ſubiectum.

V. Quintò, ſi Eccleſia non haberet poteſtatem vtendi ac diſponendi de temporalibus rebus, flagitioſi Magiſtratus impunè fouere poſſent hæreticos, & euertere religionem. Quod noſtris temporibus accidiſſe, omnes pij dolent & gemūt. Si Apoſtolus 1. Cor. 6. iuſſit nouos iudices conſtituere à Chriſtianis, REMOTIS Ethnicis, idq; propter cauſas temporales, ne cogerentur Chriſtiani cauſam dicere coram iudice Chriſti perſecutore; an non multò magis ij iure poterunt, duce Eccleſiaſtica poteſtate, ne religionem exponant euidenti periculo, hęreticum Magiſtratum expellere, ne paulatim ſubditos pertrahat ad ſuam ſectam?

At inquis, pugnat cum iure humano, vt Rex, vel ſanguine, vel electione legitimum regni caput, & optimis gubernandi virtutibus ornatus, Regno pellatur. Atqui præualet ius diuinū, quod omiſſo iure humano, iubet ſeruare veram fidem & religionem, quæ vna tantùm eſt, non multæ.

Atque hæc de conuenientia ac diſcrimine poteſtatis Eccleſiaſticæ & Politicæ, quæ fundamentum ac fulcrū eſt legum Eccleſiaſticarum, diſſerere placuit; eò expeditius iam earum tractationem aggrediemur.

CAPVT VIII.

Ad Regimen Eccleſiæ & tranquillitatem CONSCIENTIAE, *præter Leges veteris & noui Teſtamenti, neceſſe fuiſſe condi* CANONES; *quorum origo, diſcrimina, & diſtributio ex obiectis percenſentur.*

LEX

Digitized by Google

LEX Teſtamenti veteris dabatur vni tantùm populo & ad certum tempus, nimirum vſque ad Chriſti aduentum, & ideò potuit facilè determinare omnia in ſpeciali, vt etiã fecit. Nam in ſpeciali præſcribit omnia, quę tam ad cultum Dei, quàm ad iudicia, & forenſes contentiones pertinent. Lex verò Euangelica, cùm toti mundo ſit præſcripta, id eſt, diuerſarum nationum populis vſq; ad extremum iudicium; idcirco non poterat tam facilè diſponere omnia in ſpeciali, vt non eſſent adhuc neceſſarię leges alię, tam Ciuiles, quàm Eccleſiaſticæ. Neq; enim poſſunt diuerſiſſimi populi conuenire in iiſdem legibus, & ritibus. Itaq; Deus melius eſſe iudicauit, ſi in Euangelio, quod eſt commune omnibus, traderet communiſſimas leges de Sacramentis, atq; articulis Fidei, & alia magis ſpecialia pro locorum & tẽporum diuerſitate relinqueret inſtituenda per Apoſtolos, eorumq́; ſucceſſores. Atq; hæc eſt origo, cauſa, & neceſſitas ſanciendi CANONES, ſeu leges Eccleſiaſticas; quæ partim ſunt admonitiones, vel piæ inſtitutiones ſine obligatione ad culpam, quales ſunt plurimi ritus Chriſtianorum: vel ſunt leges conditionales, id eſt, impoſitæ iis, qui volũt ad ſacros Ordines admitti: vel ſunt regulæ præſcriptæ iudicibus Eccleſiaſticis, vt eas ſequãtur in cauſis dijudicandis; vt ſunt cenſuræ, & pœnæ latæ in eos, qui ius diuinum violant; SINE QVIBVS DISCIPLINA NVLLO MODO CONSERVARI POTEST: vel ſunt explicationes dogmatum fidei, aut iuris diuini, ac poſitiui, quæ Chriſtianos ad culpam obligãt; ex quibus ſunt leges de ieiuniis, diebus feſtis, Confeſſione & Communione, quæ non NOVAE LEGES, SED DETERMINATIONES iuris diuini appellandæ ſunt. Hinc cõſtat, cùm lex Euangelica nimis ſit vniuerſalis, nec ſufficiat dirigere omnes actiones noſtras, eam aliquo modo particularem effici debuiſſe per determinationes legum

Digitized by Google

Eccleſiaſticarũ. Vt enim Politicæ Reſpublicæ habẽt legem naturalẽ, & tamẽ quia illa eſt nimis generalis, non ſufficit, niſi deducatur ad particularia per determinationes Principum; quare, quemadmodum in Republ. Ciuili neceſſariæ ſunt leges Ciuiles, quæ ſunt quædam quaſi concluſiones deductæ ex iure naturæ, vel determinationes iuris naturę: ſic etiam in Eccleſia, præter legem Euangelicam, neceſſariæ ſunt leges Eccleſiaſticæ, quæ ſunt etiam veluti concluſiones deductæ ex Principijs Euãgelij, vel determinationes. Exempli gratia, Euangelium dicit: *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Inde Eccleſia deducit quaſi Concluſionem. Ergo vtile erit ſancire præceptum, ne ad miniſterium ſacrum admittãtur, qui noluerint eſſe continentes. Item, Euangelium iubet ſumi Euchariſtiam, ſed non determinat quomodo, aut quando: Igitur Princeps Eccleſiæ determinat, vt ſaltem in Paſchate ſumatur; & Apoſtoli legem condunt, vt ſumatur ante omnes alios cibos, nimirum à ieiunis.

CAPVT IX.

CANONES *Eccleſiaſticos obligare in* CONSCIENTIA, *etiam citra contemptum & ſcandalum, multis comprobatur argumentis, & Reſpondetur futilibus Obiectiunculis tribus Matthæi VVeſenbecij Iureconſ. Item, an Ignorantia in præuaricatione legum excuſet, nec ne.*

Hic V. præcipuus Locus eſt THEOLOGIAE *Iureconſ.*

ESSE autem in Eccleſia poteſtatem condendi leges, obligantes in conſcientia, etiam citra contemptum & ſcãdalum, ſequentibus doceo rationibus. PRIMÒ, tranſgreſſores pręcepti propoſiti à Pontifice Iudæorum occidi iubebantur, idq; abſq; dubio, quòd culpæ reatum cõtraxiſſent.

I. Ratio.

traxiſſent. (Deut.17.) Ergo Principes Eccleſiaſtici non debent eſſe minoris auctoritatis in mandando & contumaces coercendo, quàm fuerit in veteri Lege, cùm è contrario hîc omnia maiora, & auguſtiora eſſe videamus. Hinc deducimus, peccare in conſcientia illos, qui citra contemptum & ſcandalum nō ſeruant leges de REBVS INDIFFERENTIBVS. Nam quicunque poteſt præcipere, poteſt etiam actum indifferentem præcepto ſuo facere neceſſarium, & per ſe bonū: At omittere actum neceſſariū, & per ſe bonum, eſt peccatum in conſcientia, etiam citra contemptum & ſcandalum. Eccleſiam verò, eiuſque Antiſtites poſſe præcipere, extra controuerſiam eſt. Sic enim legimus Luc.10. *Qui Vos* (Paſtores Eccleſiæ) *audit, me audit*. Heb.13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri.* Et vt indicaret graue damnum, & peccatum, ac punitionem ſequi eos, qui non obediūt præceptis ſuis, ait: ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο, quod detrimentum, de pœna ob culpam tranſgreſſionis debita, interpretatur S. Baſilius, (in Conſtitutionibus, cap.22.) Matth.16. Dominus Petro promiſit, vt *quicquid* ipſe ligauerit, id eſt, quam obligationem præcipiendo ipſe fidelibus impoſuerit, ſit *ligatum & in cælis*; id eſt, ſe ratam illam habiturum. Ergo præceptum Petri, eſt præceptum Chriſti. Igitur peccat, qui non obtemperat.

II.

III.

IV.

V.

VI.

Actorum 15. legimus, Apoſtolos nouam legē condidiſſe, & impoſuiſſe Gentibus ad fidem conuerſis. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, niſi hæc* NECESSARIA, *vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, à ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione.* Legem hanc in conſcientia obligaſſe facilè demōſtrari poteſt: nam eam Apoſtoli vocant onus. Deinde dicunt eam eſſe NECESSARIAM. Ergo neceſſariò obſeruanda erit; & ad hos actus, iure naturæ neque bonos neque malos, ſed

Digitized by Google

indifferentes, Eccleſia fideles in conſcientia obligauit: nam in fine capitis huius ij PRAECEPTA Apoſtolorum & decreta cuſtodire iubentur. Hæc lex ſi non obligaſſet ſub mortali peccato, nunquam tam atrocē pœnam præuaricatoribus impoſuiſſet Apoſtolorum Canon 62. Nam ſanguinem, aut ſuffocatum comedentes Clerici, iubentur deponi; laici verò excommunicari.

VII. Adhæc S. Paulus, 1. Timoth. 3. legem ſtatuit, ne bigami ordinentur. Quam legem obligare in conſcientia, etiamſi planè ſit POSITIVA & Eccleſiaſtica, planum eſt: tum etiam perſpicuum eſt ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam auſa eſt bigamos ordinare, tum ex Concilio Carthaginenſi IV. Canone 69. vbi Epiſcopus, qui ſcienter ordinauerit bigamum, punitur grauiſſimè. Priuatur enim ipſa auctoritate ordinandi. Alia huc pertinentia, vide in primo capite.

1. Obiectio. At obijcis: Sæpe reprehenduntur in Scripturis, qui MANDATA HVMANA, qualia ſunt Pontificia & Eccleſiaſtica, ſeruant. Ego verò contenderim, licet ea humana dici poſſint, quia non ſunt immediatè à Deo, tamen nullibi in Scripturis dici mandata HOMINVM, nec reprehendi poſſe; cùm nec pugnent cum diuinis mandatis, nec ſint inutilia, neque nos ea anteponi, ſed poſtponi debere dicamus diuinis præceptis. Haſce tres circunſtantias cùm non obſeruârint Phariſæi, non mirū eos ob ipſorum obſeruationes tam grauiter obiurgatos eſſe à Chriſto, Matth. 15. Marci 7. Matth. 23.

NB. Cur mādata hominū improbentur in Scripturis.

Soluitur ſecunda Obiectio. Sed pugnat, ais, cum libertate Chriſtiana Eccleſiæ Canonum obſeruatio; quo ſeruitutis iugo ne conſtringi nos ſinamus, grauiter monet Paulus, Galat. 5.

Vt huius Obiecti ſcrupulū eximamus, diſtinguenda eſt triplex Chriſtiana libertas. Prima conſiſtit in liberatione à ſeruitute peccati, de qua Paulus Rom. 6. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Altera in liberatione à

Digitized by Google

ne à ſeruitute legis diuinæ moralis. Nam lex ſine gratia non poteſt impleri, & tamen minatur pœnam niſi impleatur, atque ideò premit, ac tenet homines, tãquam ſeruos: ſed gratia Chriſti liberat nos ab iſto timore, & ſeruitute: non quidem eximendo nos ab obligatione implendæ legis, ſed aſpirando charitatem, per quam facilè & libenter legem impleamus. De qua Apoſtolus 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Et Galat. 3. *Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum.* Tertia in liberatione à ſeruitute Cæremonialium, & Iudicialium præceptorum Moyſis. De qua Actor. 15. *Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum?* Atq; hac libertate Paulus Chriſtianos gaudere voluit: viciſſim autem eos non exemit ab obedientia Prælatorum Eccleſiæ; nam ſæpius clamat, *Obedite Præpoſitis veſtris.* Quocirca Petrus & Paulus, præuidentes in Spiritu Sectarios noſtri temporis, qui PRAETEXTV LIBERTATIS, neque ieiunia indicta ab Eccleſia, nec vllam aliam legem ferre poſſunt, frequenter inculcare voluerunt, vt obedientiam ſuperioribus, etiam Ethnicis exhiberemus. 1. *Pet.* 2. *Subiecti*, inquit, *eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Et infra: *Quaſi liberi, non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem.* Et 2. Pet. 2. de hæreticis inquit: *Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis.* Et Paulus Gal. 5. *Vos in libertatem vocati eſtis, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.*

Qua in re cõſiſtat LIBERTAS CHRISTIANA.

NB.

Videtur autem, dicis, durũ eſſe legibus Eccleſiaſticis, ceu humanis obligare homines ſub pœna mortis æternæ. Atqui hæc durities non offendet eum, qui ſcit violatione legis humanæ etiam Deum offendi, cuius miniſtri ſunt non ſolùm Politici, ſed etiam Eccleſiaſtici Magiſtratus. Vt enim qui tranſgreditur leges Proregis, conſequenter offendit Regem, & puniri poteſt à Rege, etiam ea pœna, quam Prorex infligere fortaſſe nõ potuiſſet: ſic etiã qui leges iuſtas Principum Eccleſiaſti-

3. Obiectio.

Simile.

Digitized by Google

ſiaſticorum non ſeruant, qui quidem Principes miniſtri Dei ſunt, (Sap.6. Rom.13. 1. Cor.4.) etiam Deum offendūt, & ab eo puniuntur pœna æternæ mortis. Nam *omnis poteſtas à Deo eſt*, Rom.13. & ſine vera poteſtate nulla lex cōdi poteſt: omnis autem lex vim habet cogendi & obligandi ad pœnam, vt ſupra cap.1. docui. Vt ſciamus, quæ IGNORANTIA in PRAEVARICATIONE legis diuinæ aut humanæ EXCVSET, ea diſtinguēda eſt. Nam ignorantia eſt triplex; erronea, affectata, & craſſa ſeu ſupina. Prima eſt maior culpa, quàm ſecunda; & hæc maior, quàm tertia. De hac vide c. ignorantia Diſtinct.38. Deinde ignorātia inuincibilis, iuſta ſeu probabilis excuſat, non autem VINCIBILIS. Tum quæ quis adhibito ſagaci ſtudio non potuit inquirere, non debet puniri ignorans. Abſurdum enim eſt ad pœnam obligare ignorantem. l. fi. ff. de erc. abor. facien. Ignorantia affectata punitur, quia eſt in dolo: vt & craſſa. c. animarum, lib.6. de Conſtit. Vide de hac materia 6. q. 1. quæro, & 24. q.1. Schiſma, & 32. q.7. quemadmodum, 28. q.1.

CAPVT X.

LEGES non ſeruandas eſſe in foro CONSCIENTIAE *in vndecim* CASIBVS; *& nonnunquam actus contra Legem geſtos reſcindi ipſo iure.*

VI. Locus Theologiæ Iureconſ.

HActenus demonſtrauimus, Leges Canonicas & Ciuiles in conſcientia obligare; iam nouum emergit dubium, an eæ, vel aliæ præceptiuæ regulæ ſemper in FORO CONSCIENTIAE ſint ſeruandæ. Colligunt Canoniſtæ XI. Caſus, quibus negātem huius dubij partem
1 aſtruere ſolent. PRIMVS eſt, quando lex poſitiua diſtinguit inter forum contentioſum, & conſcientiæ, tūc non

Digitized by Google

non ſeruabitur in foro pœnitentiali auctoritate ipſius legis, c. tua, & quod ibi not. de ſponſa. SECVNDVS, cùm ius fundat ſe ſuper præſumptione, & non ſuper veritate, in foro conſcientiæ, attendimus ad veritatem, vt credamus confitenti de omnibus; quia ſolùm agitur de præiudicio ipſius animæ. c. ſignificaſti, de Homicidio. Quare ſi ſit veritas contra præſumptionem, non ſeruabitur. Hinc licet hæres non fecerit Inuentarium, tamen in conſcientia non tenebitur, niſi in quantũ hæreditas ſe extẽdit; quamuis ius aliter velit: quia PRAESVMIT plus eſſe in hæreditate: vt in Authen. de Hæred. & fal. Tamen probatur hæc ſententia in c. tua, & in c. literas in fi. de reſtitut. Spoliatorum. Vide etiam Bald. in l. 1. c. de Sacr. Eccleſijs. TERTIVS, quando lex iniuſta eſt ex fine, ceu cùm propriã Principis, nõ communem vtilitatem ſpectat. Diſt. 4. c. erit autem. QVARTVS, cùm lex peccat contra eius formam; id eſt, inæqualia onera imponit ſubditis. QVINTVS, cùm excedit auctoritatem conſtituentis; ceu ſtatutũ Epiſcopi non obſtringit delinquẽtes extra ſuam Diœceſin. c. animarum, de conſtitutionibus lib. 6. Huc facit l. fi. C. de Iuriſdict. om. iu. SEXTVS, cùm lex eſt pœnalis, ante condemnationem non tenetur quis ſoluere in foro animæ pœnã, vt notat gloſſ. ſingularis in c. Fraternitas, 12. q. 2. SEPTIMVS, cùm RATIO LEGIS ceſſat in foro animæ. Licet enim Lex non exprimat cauſam; tamẽ eam poſſumus conijcere, & ad limites rationis limitare, vel ampliare, iuxta regulam DD. in l. non dubium, C. de legibus. Sit hoc exemplum; ſtatuto cauetur, quòd vxore moriente ſine liberis vir lucretur dimidiam dotis: quamuis non exprimatur cauſa, tamen CONIICIMVS cauſam ſtatuti fuiſſe hanc, vt refundantur ſumptus marito, quos fecit in vxore domum ducenda; ea propter ſi eam non ducit, non lucrabitur. Interpretatio legis hoc in caſu eſt penes Præſidẽ Reipub. Huc facit vulgaris DD.

[Margin: II. — Caſus de Inuentario hæredis. — III. — IV. — V. — VI. — VII. — Caſus de dote.]

Theoria: RATIO legis plus debet conſiderari, quàm
VIII. lex ipſa. OCTAVVS, quando verba legis non adaptantur ad aliquem caſum, nec eius diſpoſitio adaptabitur,
IX. ſi de mente aliter non conſtet. NONVS, cùm lex CIVILIS, licet non ſit improbata de IVRE CANONICO, fouet lucrum odioſum proximo, vel rigorem quẽdam. V.C. in c. filius noſter, De Teſtam. lex Ciuilis diſponit, valere legatum rei alienæ: tamen in foro animæ non eſt ſeruanda, quia lucrum odioſum fouet hæredi. DECIMVS, cùm eſt lex iniuſta, ſiue ex forma, fine, vel au-
X.
XI. ctoritate, aut viam patefacit ad peccatum. VNDECIMVS, cùm lex Ciuilis non eſt moribus vtẽtium approbata & recepta, & Canon non contrarium diſponit, neceſſitatem obligationis non inducit.

Caſus legati rei alienæ.

Ex his vndecim caſibus deducimus, actus contra legem geſtos nonnunquam reſcindi ipſo iure; & hoc in
I. quatuor punctis. PRIMÒ, quando cauſa prohibitionis non eſt perpetua, ſed temporalis, reſtricta ad certum tempus; vt cùm prohibetur matrimonium propter venerationem certæ diei. Similiter de profeſſione facta infra annum, quæ prohibetur in cap. ad Apoſtolicã, de Regularib. & transeun. Secus eſſet, ſi cauſa prohibitionis eſſet perpetua, ceu cùm prohibetur aliquid propter malum, quod inde ſequi poteſt, vt matrimonium propter conſanguinitatem, & huiuſmodi. Et hoc ſenſu accipienda ſunt, l. non dubium C. de legibus, & c. vides, 10. Diſt & c. contradicimus. 35. q. 3. & c. non oportet 33. q.
II. 4. SECVNDÒ, quando prohibitio legis concernit principaliter fauorem alicuius, talis prohibitio habẽt potius vim exhortationis reſpectu illius, pro cuius fauore principaliter fit, quia poteſt renuntiare. Ceu ſtatuto caueretur, ne mulier poſſet contractum facere ſine præſentia duorum agnatorum, valeret contractus ſine eorum præſentia, ſi ſtatutum non expreſsè reſcinderet actum factum, l. ſi quis in conſcribendo, C. de pact. & c.

ad Apo-

ad Apoſtolicā, vbi patet obligationē acquiri Deo, licet ſit actus prohibitus à lege fauore profiteri volentis. TERTIÒ, quãdo lex dat certam formã ſuper eo, quod alicui conuenit ex ſua poteſtate. QVARTÒ, quando lex punit contra facientem, quia ligat, ſi expreſsè non reſcindat factum contra; ſecus, quando non punit, ſed ſolùm prohibet, quia ſic non tenet. Ita intelligenda eſt l. non dubium, C. de legibus. III. IV.

Addit Panormitanus alium caſum in c. 1. de reſtit. in integrum, quòd vbi ius Canonicum in alia materia dat regulam ſpecialē, quòd nō debeamus illam diſtinguere per Ius CIVILE. Exempli cauſa: Canon induxit ſuam ſolennitatē in alienatione rei Eccleſiaſticę; quare nō debemus ſeruare illā iuris Ciuilis, poſitam in Authen. hoc ius. C. de Sa. San. Eccleſijs.

CAPVT XI.

SEPTEM CAVSAE, *cur Leges* CIVILES *Eccleſiæ Canonibus debeant cedere, & ab* IIS CORRIGI, *ac* ABOLERI.

VII. *Locus* THEOLOGIAE IVRECON.

PRIMA CAVSA; quia Cæſar, cuius ſubditi ſumus, & cui tenemur parere, ſeipſum, & nos, quod ad SPIRITVALIA attinet, IVRI CANONICO SVBIECIT. Hinc tam celebris vox in ſcholis Iureconſ. iactatur, à Iuſtiniano prodita Cæſare; SACROS CANONES noſtræ non DEDIGNANTVR SEQVI LEGES. In Authen. Vt Clerici apud proprios Epiſcopos, §. ſi verò.

SECVNDA CAVSA; quia Canonicum eſt ius vſitatum, & à multis ſeculis ex longiſſima experiētia introductum, diutiſſimeque obſeruatū; cuius etiam robur contra leges Imperiales inualuit, ac obtinuit diuerſis in regnis per totum orbem Chriſtianum.

Digitized by Google

TERTIA CAVSA: Ipſa æquitatis ratio poſtulat, quādo de eadem re contrariæ inueniuntur Leges Imperatoriæ & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarū periculum cōcernens, vt abrogetur Lex Imperatoria per Pontificiam. Hoc modo Lex Pontificia, quæ habetur c. Finali, de præſcriptionibus, ſuſtulit Legem Imperialem, quæ habetur in C. de præſcriptionibus 30. vel 40. annorum, etiam cum mala fide; quia non poterat ſeruari ſine mortali peccato. At quando materia legis eſt res temporalis, ceu de contractibus, locato, commodato, &c. non concernens animarum periculum, non poteſt lex Pontificia abrogare Legem Imperatoriam: ſed VTRAQVE SERVANDA EST, illa in foro ECCLESIASTICO, iſta in FORO CIVILI; ſi nempe res eſt mixti fori: quia tunc locus erit præuentioni. c. cùm ſit, de foro compet.

NB.

QVARTA CAVSA: Abſurdum eſt, Leges Ciuiles, quę varijs in rebus fomenta ac occaſiones præbent peccandi, & diuino aut Eccleſiaſtico iuri repugnant, non tolli debere per poteſtatem Eccleſiæ à Deo conceſſam, quā CANONIBVS ſuis conſignauit. Scilicet gratum eſſet Deo, & expediret ſaluti noſtræ, ſequentia grauiſſima PECCATA impunè per mundum graſſari, neque eorū tyrannidem per frænos Canonum refrænari, ac comprimi.
I. Per leges Ciuiles permittuntur VSVRAE, cōtra
II. c. ſuper eo de vſuris. Item, incantationes contra ventos & nubes. l. eorum. C. de malef. & Math. contra 26.
III. q. 5. & 6. in multis c. notata. Item permittunt deceptionem inter contrahentes vſque ad dimidiam, contra illud: Qui non egit dolum. Et ſequentes Leges dignæ
IV. ſunt CORRECTIONE CANONVM, Quæ nolunt aliquē obligari ex nudo pacto, contra c. Iuramenti 22. q. 5.
V. Quæ nolunt valere legata ad pias cauſas, niſi per tot teſtes probentur, contra c. relatum, & c. cùm eſſes, & c.
VI. indicante, de Teſtamētis. Quæ volunt hæredem teneri ex

ri ex delicto defuncti, contra not. in c. in literis, de Raptoribus, & in capitulo tua nos, de vſuris. Quæ vetant VII.
ſpurium alere, contra naturalem στοργήν. Quæ prohibẽt, VIII.
vel permittunt, aut diſponunt ſuper matrimonijs (ceu actibus ſpiritualibus, quod conſcientiam attinet,) contrahendis, diſſoluendis, & huius generis, contra Canones. Quæ prohibent comprehenſam in adulterio teneri. l. crimẽ, & l. caſtitati, C. de adulterijs. Intelligendum IX.
hoc eo pacto, ſi vult ſe corrigere, xxxi. q. 1. Quæ concedunt CONCVBINATVM, & priuatæ perſonæ homicidium, contra leges Decalogi. X. XI.

QVINTA CAVSA: Magiſtratus ſæcularis habet pro fine temporalem, & externam pacem Reipub. & finem ſuum adeptus eſt, quando ſubditi quietè viuunt, ſiue id faciant volentes, ſiue inuiti: At Magiſtratus Eccleſiaſticus habet pro fine vitam æternam, & pacem tam externam, quàm internam ſuorum ſubditorum, & quando non poteſt impetrare, vt libenter, & ex amore BENE AC PIE viuant ſubditi, debet etiam vim coactiuam adhibere; legum Ciuilium vim per Canonum robur acuere & augere, & vbi eæ deficiunt, neruis Eccleſiaſticæ poteſtatis emendare, aut roborare; vt ſaltem pœnæ timore, quem incutiunt Eccleſiaſticæ cenſuræ, non perturbent externam Eccleſiæ pacem.

SEXTA CAVSA: Cùm Politici Magiſtratus nulla polleãt poteſtate de Eccleſiæ perſonis, & bonis diſponẽdi; ſed eam Deus ſolis Spiritualibus Prælatis conceſſerit, non mirum ipſorum LEGES Laicorum ſtatutis, ſi repugnent Canonibus, quod hanc materiam concernit, PRAEVALERE.

SEPTIMA CAVSA: Canones omnes vitæ humanæ caſus dirigunt ad gnomonem CONSCIENTIAE, & perfectionem Chriſtianæ CHARITATIS. Quare non mirum LEGES ab hac regula abſcedentes, reuocari & emendari.

Digitized by Google

CAPVT XII.

In quibus Caſibus Pontifex Rom. contra LEGES DISPENSARE *queat: Item* DISPENSATIONIS *Requiſita percenſentur; & penes quem ſit* LEGES INTERPRETARI *declaratur.*

VIII. *Locus* THEOLOGIAE *Jurecon ſ.*

I.

Simile.

SIcut medicina, teſte Auguſtino, (in lib. Confeſſion.) eſt ars immutabilis, tamen medicus aliquando mutat præcepta languentibus: ita licet Papa in præceptis ſecundæ Tabulæ non poſſit diſpenſare; quia vt communiter, & in pluribus eis, INEST RATIO LEGIS: tamen ſi occurreret caſus particularis, in quo deficeret RATIO LEGIS propter cauſas ſpeciales, impediẽtes obſeruationem præceptorum legis ex applicatione ipſorum ad diuerſas materias, tunc Papa poſſet DISPENSARE. Nam is, præterquam quòd aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis, ceu generalis Dei VICARIVS, (2. q. VI. Qui ſe ſcit, & XXIV. q. I. Quicunq;) etiam boni patrisfamiliâs officio fungi ſtudet, vt omnibus occurrentibus, & neceſſariò expediendis circa actus humanos conſulat, ſcandala amoueat, & publicis regnorum neceſſitatibus opem ferat. In hũc ſenſum accipiendi ſunt Canones, qui innuere videntur, Papam contra legem diuinam, & Euangelicam, aut Apoſtolum poſſe diſpenſare. c. ſunt quidam XXV. q. I.

NB. Contra calumniam SECTARIORVM.

Quam aſſertionem tãtopere peruersè & calumniosè deprauant Sectarij; cùm tamen nemo noſtra interpretatione iure queat offendi, qua dicimus penes Papã eſſe DECLARARE, INTERPRETARI, LIMITARE, ac DISTINGVERE IVS DIVINVM, id eſt, videre, vbi RATIO LEGIS CESSET, VEL NON; vt diſpenſare queat, vel non. Atque hæc eſt vnanimis omnium Canoniſtarum ſententia.

II.

Digitized by Google

II.

Diſpenſatio autem, id eſt, iuris communis relaxatio, ſex exigit requiſita & cauſas, vt perlegitima & rata habeatur: quæ omnia continẽtur 1. q. 7. Prima eſt tempus: ſecunda vtilitas. 23. q. 4. tertia qualitas perſonę, meriti, & ſcientiæ: quarta religio: quinta multitudo, ratione ſcãdali vitandi: ſexta neceſſitas. Vnde neceſſariò deducitur, in diſpenſatione requiri cognitionem cauſæ, ſi eſt inferior, qui diſpenſat. At in Principe ſufficit ſola ipſius voluntas, ſi caſus ius poſitiuum concernit. Vide Panormit. in c. Diuerſis, De Clericis coniugatis. Colligitur etiam, legitimam cauſam requiri ad diſpenſationẽ, vt quis ſit tutus in foro conſciẽtiæ. Qua in re diſtinctione opus eſt. Si enim Pontifex diſpenſat in ijs, quæ iuris diuini ſunt, ceu votis, iuramentis, & huiuſcemodi; ſemper oportet iuſtam ſubeſſe cauſam; alioquin qui ſuſcepit diſpenſationis beneficium, non eſt tutus quoad Deum. Diſpenſatio verò in caſibus iuris poſitiui, poteſt ſine cauſa, vt quis tutus ſit in conſcientia, indulgeri. Quia ,, eius eſt deſtruere, cuius eſt condere; nec Princeps tene- ,, tur legibus ſuis ligatus, l. digna vox, C. de leg. Notanda tamen hoc in caſu eſt ſententia D. Bernardi: (lib. de Diſpenſat. & Præcepto) Prælati, ait, ſine cauſa rationabili, ,, vel ſaltem dubia, ſcilicet pro ſola voluntate dantes li- ,, centiam veniendi contra legem, ſunt DISSIPATORES, ,, non DISPENSATORES. NB.

III.

Quod INTERPRETATIONEM Legis attinet, in ſequentibus punctis conſentientia docent Leges & Canones. CONSENTIVNT.

Primò, expoſitio legis diuinæ vel Canonicæ, & CIVILIS etiam, ad Clericos ſpectans penes Papã eſt. c. per Venerabilem: Qui filij ſint legit. & c. 1. de Iuram. calum. Quatenus verò lex Ciuilis laicos concernit, ad Imper. pertinet eius interpretatio. l. fi. C. de Leg. QVIA EIVS

EST

Digitized by Google

EST INTERPRETARI, CVIVS EST CONDERE: de Regul.iur.lib.6.

Secundò, in cauſis particularibus poteſt Iudex eam interpretari;gloſſ.in c.1.de poſtulat. Prælatorum,& l.vnica C.de Profeſſ.Qui ſi non ſat firmam & ſufficientem expoſitionem daret, recurrendum eſſet ad Principem. l.pe. & fin. C.de leg. & Panorm. in c.1.de Iurament.calum.

Tertiò,an PRIVILEGII interpretatio ad ſolum ſpectet Principem,dubium eſt. Aut enim dubitatur, an id Princeps cōcedere potuerit, & ſic is ſolus eſt interpres. c.1.de tranſlat.Prælat.xvii.q.4. qui autem.ix.q.3.cuncta per mundum. Aut ambigitur de eius valore, vel ſurreptione, vel verbis, aut caſibus claris, & ſic inferior Iudex poteſt interpretari,ſecūdùm communem DD. ſententiam.Si verò caſus eſſet dubius,& dubia eſſet Principis intentio,ad ſolùm Principem Politicum aut Eccleſiaſticum interpretatio pertineret. c. venerabilem, de Elect.l.ex facto,ff.de vul. & pupil.ſubſtit.

Quartò,Interpretatio ea præferenda eſt, quæ probabilior,(ff.de re.du.l.cùm in teſt.& ff.de Verb.obl.l.eum qui)Iuri conuenientior,(c. cùm dilectus, De conſuet.) ac conſuetudini magis conſentanea, Diſtinct. 28.Interpretatio etiam legis fit contra eum, qui legem potuit apertius dicere.ff.de Pact.l.veteribus.

CAPVT XIII.

De ſpeciebus, interpretatione, & amiſſione, & conceſſoribus PRIVILEGIORVM, *(quæ ſunt Legum relaxationes)Canones & Leges conſentientia docere.*

I.

HVc pertinet tractatio de PRIVILEGIIS, in qua Leges & Canones non diſſentiunt; nempe de Priuilegiorum ſpeciebus,auctoribus,interpretatione,& amiſſionibus.

Sunt autem quinque PRIVILEGIORVM (quæ nihil aliud ſunt quàm priuatæ leges, quæ contra iura conceduntur, Diſtinct. 3. nam quæ præter ea ſunt, beneficia nuncupari conſueuerunt) genera. Vnum reale, adhærēs rei, quod eſt perpetuū, niſi fortè res perimatur, aut reuocetur XXV. q. 2. c. 1. & per totum. Alterum perſonale, quod perſonam, cui conceditur, non egreditur, niſi exprimatur. c. conſtitutus de conceſſ. præbend. Tertium communiter perſonale, conceſſum perſonis non nominatis; ceu eſt priuilegium minorum 25. annorum. ff. de mino. l. 1. per totum. Quartum ſingulariter perſonale, & communiter corporale, vt ſunt priuilegia Collegiorum. c. contingit, de ſent. excommunic. Quintum communiter corporale, quod cum Collegio, cui ceu corpori inhæret, perit.

II.

Priuilegia poſſunt largiri, Papa in ſpiritualibus, & Imperator in temporalibus, cuius etiam priuilegia Eccleſijs ac Clericis conceſſa valent. De Immun. Eccleſ. per totum. Breuiter dicendo, quicunq; poteſt conſtitutionem condere, etiam priuilegium, ratione rei ad ſe pertinentis, indulgere poteſt.

III.

Priuilegia debent STRICTE interpretari, ſi ſunt in præiudicium aliorum, vt minus derogetur iuri communi, quàm poſſit, c. Cùm dilectus, de conſuetud. Ea de voluntate Principis obtenta eſſe dicuntur, ſi exprimūt cauſam, certam ſcientiā, & motum eius proprium. Nā hæc requiſita neceſſaria ſunt, præſertim in Reſcriptis, quæ tollunt ius tertij: & in Priuilegijs ad beneficia; niſi onſuetudo aliter interpretetur, & verba aliud exprimant; quia ab ipſorum non recedimus ſignificatione, niſi de mente aliter conſtet. Vide l. 1. C. de petit. Bono. & l. 1. C. de fundis limit. & c. olim, & c. in his, de Verbor. ſignificat.

Digitized by Google

Hæc regula in priuilegijs eſt obſeruanda, vt non præſumantur concedi cũ graui diſpendio alterius;(l. Quoties. C. de præc. impe. offe. & c. ſuggeſtum, de Decim.) niſi taciturnitas alicuius induxiſſet ſurreptionem, c. poſtulaſti, de Reſcriptis.

IV.

Priuilegia præcipuè quinq; modis amittũtur. Primò, ſi conceditur ad faciendum, is, qui habet poteſtatem renuntiandi, vno actu contrario amittere poteſt. c. Cùm acceſſiſſent, De conſtitut. Si autem eſſet ad non faciendum, perderetur vno ACTV; ſed in Eccleſiaſticis requiritur tempus 40. annorum, vt in eodem capitulo cum Gloſſa notant DD. Secundò, perditur ſpatio annorum 10. quando datum eſt ad aliquid faciendum, ſi priuilegiatus eo non vtitur. l. 1. ff. de nũdinis. Quod verum eſt, ſi priuilegium non confertur Eccleſiæ, aliâs ſecus: præſertim in eo habet locum, quando non faciens permittit facere actum contrarium. l. hæc autem iura, ff. de ſeruitut. Vrb. Tertiò, perditur per ſecundum priuilegium, faciens mentionem de priori. XXV. q. 2. per totũ. Quartò, per renuntiationem propriam. Quintò, per reuocationem concedentis.

HACTENVS PROLEGOMENA.

CAPVT XIV.

A quo vſque ad CAP. XXVII. tractatur de IVRE PERSONARVM, *&* PRIMÒ *de* CLERICIS.

De ordinatione, ſtatu, qualitatibus, officio, virtutibus & vitijs Clericorum Canones & Leges in XIII. punctis CONSENTIENTIA *docere.*

Hacte-

HActenus generalia Prolegomena præmiſimus, quibus ad ſequentia intelligẽda multum adiumenti & lucis comparabimus; iam ENVMERATIONEM ſpecialium CASVVM, in quibus Canones & Leges CONVENIVNT, aut DISSIDENT, ſubiũgam, (nã eorum fontes & radices in Prolegomenis præceſſerunt) & eos per titulos iuris vſitatos, digeram & diſtinguam.

Cùm in primo libro Digeſtorum, OMNE IVS aptè & cõcinnè diſtribuatur ex triplicibus ſubiectis, in id quod tractat aut de PERSONIS, REBVS, vel ACTIONIBVS; hũc ordinem legum Ciuilium ſeruaturus, primùm de PERSONIS (in quibus Iura Ciuilia & Canonica conueniãt, aut diſſideãt) dicere aggrediar. In omnibus iſtis caſibus notandum eſt; quòd vbi trado Canones à Legibus diſſidere, citra dubium eos ſeruandos, & legem Ciuilem relinquendam & abijciendam eſſe.

IX. Locus præcipuus THEOLOGIAE *Iurecõnſ.*

I.

CLerici appellãtur à Legibus & Canonibus, qui inaugurati ſunt Ordinibus, in quacunq; dignitate ſint aut Ordine. c. Cùm contingat, de ętat. & qualit. in Auth. Preſbyteros & Diaconos, C. de Epiſcop. & Clericis. Cõcil. Trid. Seſſ. 23. ca. 2.

II.

Seruos conditione non poſſe ordinari, niſi plenæ reſtituti ſint libertati, habes Diſtinct. 54. per totum. Conſentiunt Leges, l. Iubemus, C. de Epiſcop. & Cleric. Sed Authent. ibid. hoc permittit vt ſerui ordinentur, dummodò ſeruiant per ſubſtitutum.

Si autem ſeruus ordinaretur domino ſciente & non contradicente, hoc ipſo efficeretur ingenuus, & liber,

Digitized by Google

rationibus, in Clericorum Ordinem allegandum eſſe, mandat l.officiales, rationales, C.de Epiſc.& cler. Idem Canones exigunt Diſtinct.48.& 51.

IX.

Clericos non poſſe eſſe Aduocatos aut Procuratores in cauſis ſecularibus, mandat l.Placet noſtræ, C. de Epiſcop.& cler. Idem ſancitur de Hone.& vita cleric.& 15.q.2.c.vnico,& 14.q.5.Denique.

X.

Auth.Interdicimus, C. de epiſc. & clericis, ne ij ludicra exercitia ſpectent aut peragant, ſeuerè prohibet. Aſſentiuntur Canones, de vita & honeſtate Clericorũ, canone penult.

XI.

Non habendos eſſe pro Clericis, niſi ij peregrinantes teſtimoniales, per ordinarios ipſorum ſcriptos exhibeant. Sic l.ſi qua, c.de Epiſcop. & cler. Idem iubet canon, Extraneo clerico, Diſtin.71.

XII.

L.Repetita promulgatione, C.de Epiſcop.& cleric. vetat, ne vllo pacto clerici forenſibus actionibus, & ſcriptis ſe immiſceant. Idẽ prohibetur c. ſed nec, tit.ne Clerici vel Monachi.

XIII.

Legibus & Canonibus cautũ eſt, vt Clerici aſſiduè in Eccleſijs ſuis deſeruiant diuinis officijs, neque inde recedant. Authent. Vt clerici, qui reced.Collat.5. Vide tit.de clerico non reſid.

CAPVT XV.

DE CONSENSV *Canonum & Legum*, CLERICOS SEDECIM PRIVILEGIIS *gaudere. De alijs vide lib.1.*

X. Locus præcipuus Theologiæ Iureconſul.

Digitized by Google

I.

L Ex Sacroſanctæ, C. de Epiſcop. & cleric. permittit, vt clerici filij familiâs de eorum peculio teſtētur, aut etiam inter viuos diſponant, tanquam de quaſi caſtrēſi: & teſtamentum eorum non ſubiaceat reſciſioni. Idem permittit Authen. Preſbyteros, eod. Cod. Canones idem concedunt, & limitant, niſi acquirantur ex bonis Eccleſię, vel eius intuitu, quia hoc pacto nō poſſent diſponere. c. adhæc, & c. Relatum 2.q.12. & q.3.c.1. Vide etiam tit. extra de teſtament.

NB. Quomodo Clerici de ſuis bonis diſponere & teſtari queant, vel non.

Diffusè tractatur xij. quæſtionibus quinque de hiſce dubijs; An Clerici res Eccleſiæ poſſint alijs dare? Et dicitur, quòd non. An Clerici acquiſita de rebus Eccleſiæ poſſint relinquere quibus velint? Dicitur quòd nō, niſi Eccleſiæ. Quibus poſſint relinquere, quæ de ſuis & Eccleſiæ rebus acquiſierunt? Reſp. partim Eccleſiæ, partim hæredibus. An liceat Clericis teſtari? Reſp. ſic, de proprijs rebus.

II.

L. generaliter, C. de Epiſc. & Clericis, iubet CLERICOS IMMVNES eſſe à TVTELIS, (teſtamentarijs, datiuis, & legitimis,) ET CVRIS. Idem ratum habent Canones, Clem. poſita in ca. generaliter 16.q. 1.

Authentic. Preſbyteros, Diaconos, Cod. de Epiſc. & Cler. Eccleſiaſticis permittit legitimam tutelam. Idem Canones permittunt, & tutelam datiuā, aut teſtamentariam renuunt, c. peruenit, Diſtinct. 86. At Epiſcopis & Monachis omni tutela interdicitur, Diſtin. 88. Epiſcopus, & 16. q. 1. Monachi.

III.

NB.

Ad munera perſonalia ſordida nec Clerici, nec eorum familiæ & coloni aſtringuntur. xvj. q. j. c. generaliter. Idem permittit Lex Placet, C. de Epiſcop. & cleric. & l. neminem, C. de Sacroſ. Eccleſ.

IV.

Digitized by Google

IV.

Nec etiam tenentur ad munera perſonalia honorifica, ceu ſunt officia ſeculi. c. ſacerdotibus, & c. ſed nec. ne Cler. vel Mon. CONSENTIT LEX placet, Cod. de Epiſ. & Cler.

Atque hæc intelligenda ſunt de muneribus ordinarijs, aut extraordinarijs, indictis, vel ſuperindictis: nam in hiſce immunitatibus Leges & Canones conueniunt, C. de Sacroſ. Eccleſ. l. placet, & Authentic. nulla cõmunitas, C. de Epiſc. & cleric. & c. Quanquam, de cenſibus, libro 6.

V.

Clerici poſſunt vendicare rem conceſſam Eccleſiæ ante traditionem, conſentientibus Legibus & Canonibus, l. fin. C. de ſacroſ. Eccleſ. & c. ex literis, de conſuetud.

VI.

Secundùm Leges & Canones, Clerici confeſſione vel pacto poſſunt renuntiare priuilegio fori, ne decipiant contrahentes. Et valet renuntiatio, niſi contra eam ſit lata pronuntiatio, vel facta tranſactio. l. ſi quis, Cod. de Epiſc. & clericis. Item, de foro compet.

VII.

Irruens in Eccleſiam, & MINISTROS obruens, debet capitaliter puniri, etiam per inquiſitionem. Reus vbicunque eſt, poteſt comprehendi. Etſi eſt in arce, vel loco vnde non poteſt facilè abduci, etiam bello indicto, inde vi abripiatur. Ita ſtatuit l. ſi quis, C. de Epiſc. & cler. Quæ pœna non diſplicet Canonibus, nam per eos Excommunic. mulctantur Rei, extra de ſent. excomm. NB. Contra CALVINISTAS.

VIII.

Bona Clericorum gaudent eodem priuilegio ſicut bona Eccleſię, ſcilicet quoad DEFENSIONEM. c. Eccleſiarum ſeruos. xij. q. 2. NB.

IX.

Preſbyteri occaſione TESTIMONII non poſſunt

Digitized by Google

TORQVERI, aut non poteſt in controuerſiam reuocari quod teſtati ſunt. l. PRESBYTERI, C. de Epiſ. & cleric. Quod Canonibus non repugnat.

X.

Clericus ceu teſtis deponens vi coram iudice ſeculari, ſine mandato ſuperioris, non valet eius teſtimonium. Auth. de Monach. §. cogitandum, & c. teſtimonium, xij. q. 2.

XI.

Contra Clericos multo mitius procedendum eſſe, quàm contra laicos, admittit l. cum clericis, C. de Epiſ. & Cleric. Hoc paſſim Canones inculcant.

XII.

Omnia hæc Priuilegia (vt & alia, actus forenſes cõcernentia) Clericorum ſummatim repetit, & inuiolabiliter ſarta tecta permanere iubet l. omnis qui vbiq;, C. de Epiſ. & Cleric.

XIII.

Authen. Statuimus, C. de Epiſ. & cleric. mandatur, vt iudices, ſi tertiò requiſiti, clericis iuſtitiam denegare præſumpſerint, iuriſdictione priuentur. Pari pœna excommunicationis ij à Canonibus percelluntur.

XIV.

Communi iure Ciuili & Canonum permiſſa ſunt COLLEGIA, quę fiunt religionis cauſa, l. 1. in princip. ff. Quod cuiuſque vni, & c. dilecta, de exceſs. Prælat.

XV.

Clericus etiam poteſt vti ſtatutis & conſuetudinibus laicorum ad ſuum commodum. c. ad noſtram, de probationibus. At ijs non ſtringuntur ad ipſorũ præiudicium. Sic Clericus non faciens inuentarium, vel infra tempus non adiens hæreditatem, ea non, ceu laicus, priuaretur.

Statutum verò diſponens, vt exiſtentibus maſculis, mulier etiam ſuccedat, etiam ad CLERICOS extendere-

retur,

Digitized by Google

retur, ceu fauorabile, vt notat Panor. in ca. conſtitutus, de reſtitut. in integr. Pari modo, PRIVILEGIVM cōceſſum hominibus alicuius loci, etiam CLERICOS, licet non nominatim expreſſos, comprehenderet. c. Dilecti, de foro compet.

XVI.

Dubium hîc oritur, an CLERICI ſint aſtricti STATVTA Laicorū ſeruare? Reſpondeo primò, Si leges ex naturali rationi innituntur, debent ſeruari non ratione legis, ſed ratione iuſtitiæ naturalis. l. ſcire oportet, ff. de Excuſat. tut. Deinde, omnes leges diſponentes ſuper cōtractibus, emptione, venditione, locato, commodato, & huiuſmodi, etiam à CLERICIS ſunt ſeruandæ, MODÒ NON REPVGNENT CANONIBVS, c. 1. de nou. oper. nunc. Si autem leges eſſent generales & rationabiles, & nihilominus deflecterent à Canonibus, tūc in foro ſeculari, non Eccleſiaſtico ligarent. In terris autem Eccleſiæ, LEX CANONICA IN VTROQVE foro ſeruaretur. c. ſi duobus de Appellat. Notum aliàs eſt; clericos exemptos eſſe à iuriſdictione laicorum, & nō ſubdi legibus ipſorum: c. decernimus, de iudicijs, & c. ſi diligenti, de Foro competenti.

NB. *Diſcrimen Canonici & Ciuilis fori.*

De alijs SEX Eccleſiaſticorum PRIVILEGIIS, fusè ſcripſi lib. 1. Quæ inde, qui volet, requirat.

CAPVT XVI.

Circa Electionem, ſtatum, officia, & priuilegia EPISCOPORVM, *Canones & Leges* CONSENTIRE *in vndecim Punctis.*

Vndecimus præcipuus Locus THEOLOGIAE *Iureconſ.*

I.

LEges Iuſtiniani iubent, EPISCOPVM à Clericis, iureiurando huc adactis, ELIGI, (NB. contra Sectarios, non à populo: nam Iuſtinianus in Electione Epiſcopi nullibi requi-

NB. rit populi conſenſum) nullo humano affectu, multò
Contra ſectarios. minus Simoniaca prauitate, ſed ſolùm huic muneri idoneum. Ita Auth. de ſanctiſs. Epiſcop. initio. Conſentiunt Canones, Diſtinct. 49. & 81. & præcipuè Diſt. 79. Si quis, & 8. q. 2. illud, Item 2. q. 3. can. ſi quis obiecerit.

II.

Simonia. Epiſcopus Simoniacè electus, Epiſcopatu deturbatur, & omnes, qui ad actum Simoniacum conſenſerũt, grauiter mulctantur per Auth. Quomodo oport. Epiſcopum, §. Et hanc non. Cõſentiunt Canones, 1. q. 1. 3. 4. Vide etiam diuerſas Diſtinctiones.

III.

Epiſcopum poſt electionẽ de crimine accuſatum, ordinario deferendum, & ab eo iudicandum, ac qui ei calumniam impoſuit, grauiter mulctandum eſſe, vult Auth. de Sanct. Epiſcop. initio. & l. ſi qua, C. de Epiſc. & cleric. CONSENTIVNT Canones, Diſtin. 80. 81. 84.

IV.

Epiſcopi electio ſi non fiat intra ſemeſtre, (Canones trimeſtre) tunc eam ad ſuperiorem deuolui, vult Authen. De ſanct. Epiſc. initiò. CONSENTIVNT Canones, Diſt. 75. Quoniam quidam: & Diſt. 50. Poſtquam quemquam.

V.

Epiſcopum poſt electionem iurantem ſeruare ſtatuta Eccleſiæ, & alia, non eſſe Simoniacum, concedit Auth. de Sanctiſs. Epiſc. Etiam Canones concedunt, 8. q. 3. per totum.

VI.

Ordinatus in Epiſcopum à SERVILI, & ab ASCRIPTITIA liberatur FORTVNA, & à PATRIA POTESTATE. Ita Authen. de Sanctiſs. Epiſcop. initiò. Aſſentiuntur Canones 7. q. 1.

VII.

Epiſcopos iugiter in Eccleſijs ſuis reſidere, præcipit

pit Auth. de ſanctiſs. Epiſc. & Can.7.q.1. Multi in hanc ſententiam extant Canones, in tit. de cleric. non reſidente. Conſentit Côcil.Trid. ſeſſ. 23. ca.1.

VIII.

Epiſcopos annuatim Synodum celebrare debere, vult Auth.ibid.& Diſtinct.93. & Diſtinct.8. per multa capita. Conſentit Côcil.Trid. ſeſſ.24.ca.2.

IX.

Epiſcopum ab Epiſcopo alio conueniendum ſub Archiepiſcopo, & ab eo ad Patriarcham appellandum eſſe, vult Auth.de ſanctis Epiſcopis, §. ſi quis verò. Conſentiunt Canones, Diſt.21.

X.

Standum eſſe iudicio Epiſcopi, ſiue ordinario, ſiue arbitrario mandat l. ſi qui ex. & l. Epiſcopale iudicium, C. de Epiſcopali audientia. Item Canones.xj.q.1.

XI.

Penes Epiſcopos eſſe legata ad pias cauſas EXEQVI, præſertim ſi teſtamentarij, aut alij executores munere ſuo non funguntur, mandat l. nulli licere. C. de Epiſc. & cler. & Authen. de Eccleſ. tit. §. ſi quis autem. CONSENTIVNT CANONES, c. tua nos, De teſtam. & c. Ioannes, ibid. NB.

CAPVT XVII.

De Priuilegijs, pietate erga parentes, hæreditatibus, bonis, ſucceſſionibus & paupertate MONACHORVM *XIX. Puncta. In ijs potioribus & pluribus conſentiunt; at in pauculis diſſentiunt Leges & Canones.*

XII. præcipuus Locus THEOLOGIAE *Iureconſ.*

I.

VItam Monaſticã eripere profeſſum à PATRIA POTESTATE, pariter Leges & Canones concedunt. Sic enim notatur in Authen. ingreſſi, &

CONSENTIVNT. in Authen. Si qua mulier, C. de ſacroſ. ſanct. Eccleſ. & c. cùm ſimus, de Regular. Textus eſt cum Gloſſa, xix. q. 2. ca. 1.

II.

Seruum ſine conſenſu domini non poſſe ſuſcipere vitam Monaſticam, cum iure Ciuili (l. Seruis ſi, C. de Epiſc. & cleric.) docent Canones, Diſtin. liv. c. nullus Epiſcoporum. Præſcribitur tamen triennio à Religione, quæ hoc ignorat, ſi dominus ſcit, & non repetit, xvij q. 2. Si quis incognitus. Iſte tamen ſi repetatur à domino, religioſus erit, xxvij. q. 1. de viduis, & religioni obſtringetur; ac ſi manumitteretur, non poſſet contrahere. c. quidam, de conuerſ. coniug.

Obiectionis ſolutio. At inquis, ſeruitus impedit ſtatutum religionis. Nihil minus verò; nam ea non requirit corpus liberum, cùm in domo propria quiſpiam poſſit eſſe religioſus.

III.

CONSENTIVNT. Semel Deo dicata non poſſunt contra voluntatem ipſius vſurpari. lib. 6. de Reg. iur. l. ſemel. Quocirca cùm Religioſus ſe omnibus terrenis, & propria etiam voluntate abdicârit, xix. q. vlt. ſtatuimus, xij. q. 2. non dicatis. l. velle, ff. de Regul. Iur. Ergo non aſtringitur, niſi ab eo, in cuius manus voluntatem SVAM RESIGNAVIT.

NB.

An Monachus teneatur parentibus dare alimenta.

Hinc elicitur, Religioſum, cùm contigerit poſt eius profeſſionem parentes extrema inopia laborare, contradicente imperio Prælati, eis opem ferre non poſſe. Quia inanis eſt actio, quam excludit inopia debitoris. l. nam is, ff. de dolo: & impoſſibilium nulla obligatio, ff. de Reg. Iuris.

At ſi ante eius profeſſionem parentes extrema neceſſitate preſſi fuiſſent, ipſis ſubuenire cogeretur, vt vt Prælatus obluctetur; iuxta præcep. Decalogi. Quod leges Ciuiles non improbant. Nam filium pater vendere poteſt in famis neceſſitate, l. 2. C. de pa. qui ſi. Et tene-

NB.

Digitized by Google

tur ad eius alimoniam.l.filia, C. de pat. poteſt. Etiamſi pater ſit relegatus propter inceſtuoſas nuptias : vt in Auth de inceſt & nefar. nupt. Ergo PATER nõ DEBET PRIVARI IVRE SVO; vt notatur in c. Satis peruerſum, 56. Diſtinct. & in c. vlt. xix. q. vlt. Huc facit text. 30. Diſt. c. Si qui filij.

Quidam Canoniſtæ ſentiunt, ſi filius ob profeſſionẽ religionis patrem nõ queat indigentia ſubleuare, hoc pietatis officium Monaſterio incumbere; quia id ſuccedit loco hæredis, & filij ingredientis. Authent. de ſanct. Epiſcop. §. Sed hoc. Et lex dicit, hæredes licet extraneos obligari ad præſtandum alimenta. l. Si quis à liberis, ff. de lib. agno.

IV.

Per ingreſſum religionis extinguitur ACTIO ex contractu vel quaſi, contra aliquem competens; quia Monachus pro mortuo habetur : vt ſentiunt quidam Canoniſtæ, C. de Epiſcop. & cler. l. Deo nobis, §. hoc & cognitum. At ſecundùm ſententiam eorundem DD. ex edicto de capitis diminutione reſtituitur. l. tutelas, §. iniuriarum, ff. de capit. diminut. Qua de cauſa dicunt ijdem, Monachum poſt ingreſſum poſſe ex actione ſeu obligatione, qua prius tenebatur conueniri; ſed non niſi per Abbatem aut Syndicum RESPONDERE. C. de Epiſcop. & cler. Auth. cauſa quæ, & Auth. de Monach. in princip.

V.

De legitima à patre Monacho filio prętanda diſſentiunt Leges & Canones. Nam eæ aiunt, legitimam ante naturalem patris mortem non deberi. l. 1. §. Si impuberi, ff. de collat. bon. At æquitas Canonica permittit, ſecundùm Baldum in Auth. Si qua mulier, C. de Epiſc. & clericis. DISSENTIVNT.

VI.

Bona Religioſi ad Monaſteriũ deuolui, pariter concedunt

CONSENTIVNT. cedunt Leges & Canones. Authēt. ingreſſi, C. de Sacroſanct. Eccleſ. & c. quia ingredientibus, xix. q. 3. Nec valet contra hanc conſtitutionem in quibuſdam locis à laicis inducta præſcriptio: quia in rebus inuaſis & furtiuis non valet præſcriptio.

VII.

CONSENTIVNT. Feuda etiam, quæ Monachus habet, ad Monaſterium ſpectare eliciunt nonnulli Canoniſtæ ex Auth. ingreſſi C. de ſacroſ. Eccleſ. & l. Si quis, C. de Epiſc. & cler. quod limitāt: ſi obſequium feudi Monaſterium præſtare poſſet; ſecus enim id ad dominum reuerteretur, C. de ca. tol. l. vnica. Alij Canoniſtæ aiunt, feudum indiſtinctè ad dominum deuolui, vt eſt caſus, ſi de feu. controu. fuer. c. qui clericus.

VIII.

CONSENTIVNT. Nihilominus de iſtis BONIS legitimam debere deſcendentibus, aſſeritur xix. q. 3. c. fin. & Authent. Si qua mulier, C de ſacroſanct. Eccleſ.

IX.

Vſumfructum nō amitti ex ingreſſu Monaſterij, ſed eum durare quamdiu viuit Religioſus, aſſerit Gloſſ. in Auth. ingreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ.

Obiectionis ſolutio. Obijcis in Auth. vt nullus iudicū, ✝. Quia verò, Coll. ix aſſeritur, bona ingredientis Monaſterium nō ſtatim ei dicari. Reſpondeo, loquitur de eo, non qui ſpōtè, ſed inuitus eſt ingreſſus.

X.

CONSENTIVNT. Monachi etiā nihil de bonis ſibi poſſunt retinere; quia cùm ſint alieni iuris, nihil poſſunt habere, arg. ff. de vſu l. placuit, & ff. de acquir. rer. dom. & de Reg. iuris, Qui in ſeruit. Quare etiam cōuerſus, cùm ſeculari Eccleſiæ ſua dedicat, non poteſt habere bona, ratione prædicta. Prçterea, cùm in dedicatione Monachi bona eius Monaſterio acceſſerint, nō plus eius fieri poſſunt, vt ff. de acq. poſſ. l. 3.

XI.

Digitized by Google

XI.

Dubitatur de Religioſo, qui ante ingreſſum Monaſterij fecit teſtamentum,& extraneum inſtituens hæredem,nihil Monaſterio reliquit;an Monaſteriũ omnibus ijs bonis excidere debeat? Diſtinguunt Canoniſtæ: Aut expreſsè contulit bona ſua tempore ingreſſus nulla facta mentione de teſtamento, etſi hoc fecerit, in continenti poſt conditum teſtamentum,non REVOCABIT teſtamentum, nec erunt Monaſterij illa bona: ſed ſolùm illa collatio bonorum præſumitur facta ad tempus vitæ ſuæ; quia non videtur quis in continenti mutare animum,arg.l. nõ ad ea, ff de cond. & demon. Si verò hoc fecit ex interuallo poſt teſtamentum conditum, tunc præſumitur animum mutaſſe fauore religionis,& ſic rumpitur teſtamentum, & illa bona Monaſterio cedent. Aut non contulit expreſsè bona ſua Monaſterio, & tunc remanebit teſtamentum, & Monaſterium ſolùm petet portionem ſuam, aliter quàm rumpendo teſtamentum. Hæc opinio eſt humanior; contraria Panormitani ſubtilior. DISSENTIVNT.

XII.

Profeſſum teſtamentum condere non poſſe, (quia mortuus eſt mundo) docent Leges & Canones Auth. ingreſſi,C.de Sacroſanct. Eccleſ.& c.2.de Teſtament.xij. q. 2. nõ dicatis.Secus eſt de Anachoretis,& alijs,qui tria vota ſubſtantialia non fecerunt,xix.q.vlt. CONSENTIVNT.

XIII.

Manifeſtum eſt,filium familiâs intrãtem Monaſterium poſſe diſponere de bonis peculij caſtrenſis,vel quaſi,l.pen.C. qui teſtam. fac. poſſunt. At de profectitijs,cũ ea ſubſint patris diſpoſitioni, nõ poſſe etiam perſpicuũ eſt,l.ead. Dubium eſt de ADVENTITIIS, an de ijs diſponere poſſit in vita patris, etiam cum conſenſu patris. Quæ notantur in dicta l.negant fieri debere.Canoniſtę contrarium decernunt,quòd ſtatim per ingreſſum filius gau- DISSENTIVNT.

Digitized by Google

us gaudeat hoc priuilegio. Authent. Preſbyteros, C. de Epiſcop. & cleric. Quare horum bonorum, ceu quaſi caſtrenſium, vſufructu pater in vita ſua priuabitur.

XIV.

Monachum exhæredari non poſſe.

NB.

CONSENTIVNT.

Religioſum ſuccedere in bonis parentum, nec ab ijs propter crimen ingratitudinis commiſſum in ſeculo exhæredari poſſe, PARITER docent LEGES (C. de Epiſc. & Cleric. l. Deo nobis,) & CANONES, xix. q. 3. c fin Licet in Clementinis c. exiui, Fratres Minores huic Priuilegio renuntiârunt.

XV.

Dubiũ eſt, an bona NOVITIORVM in religione, morientium ante profeſſionem tacitam vel expreſſam, etiam ad Monaſterium pertineant? Reſpondetur ex Legibus & Canonibus cum diſtinctione. Aut intrãs Monaſterium expreſsè contulit bona ſua Monaſterio, nec reuocauit, & ſic ad id pertinebunt; quia ibi moriendo videtur mori vt Monachus. Authent. ingreſſi, C. de Sacroſanct. Eccleſ. Si verò expreſsè non contulit, ſed ſimpliciter intrauit, cauſa probationis; eo modo ſuccedũt proximiores, & non Monaſterium. Nam cùm iſte non fuerit Religioſus cum effectu, c. Religioſo, de Sent. lib. 6. bona eius nec tacitè, nec expreſsè tranſierunt ad Monaſterium, præſertim cùm adhuc habuerit facultatem teſtandi. Hæc dicta velim de ijs Monaſterijs, quæ capacia ſunt bonorum in communi.

Nota de Bonis Monaſteriorũ.

XVI.

Monachos coram iudice Seculari, de licentia Prælati, poſſe teſtimonium dare, nullibi prohibent Leges, & neq; Canones id renuere videntur, c. Monachi, xvi. q. 1. & c. Placuit 2. q. 8.

XVII.

Cùm religioſi non poſſint eſſe teſtamentorum executores ſine licentia Superioris & vtilitate Monaſterij, licet ſit actus fauorabilis, conſequenter nec ARBITRI eſſe poſſunt, arg. c. 2. de teſtam. lib. 6.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

Si Monachus relinquens prius, ad aliud Monaſteriū tranſeat,res eius iam acquiſitas primo competere Monaſterio,decernit Auth.de Sanct.Epiſc.§.Si Monachus. Canones diſtinguunt; ſi exijt cum licentia, vſusfructus illorum bonorum ad poſterius pertinebunt Monaſterium ad dies vitæ ſuæ ſolùm.xvi.q.vi.De lapſis,& xxvii. q.i.Si quis. Si verò vadit in caſu non conceſſo, ſic non CONSENTIVNT. recuperat : nam Abbas eum vendicare poteſt cum omnibus bonis.c. Abbates,xviii.q.2. Alij ita ſentiunt, cū iuſta de cauſa cum licentia Abbatis ſit trāſitus ad aliud Monaſterium, quòd SECVNDVM Monaſterium acquirat cum perſona.Quia Prælatus iuſta ex cauſa concedēs licentiam ad tranſeundum, videtur etiam dare licentiam conferendi bona in conſequentiam perſonæ, cui adhærent.

XIX.

Quicquid acquirit etiam Monachus fugitiuus, etſi CONSENTIVNT. habitū dimittat,Monaſterio acquirit.Ex Text.& Gloſſ. 18.q.2.c.Abbates. Nam ſicut ſeruus fugitiuus non quærit ſibi, ſed domino : ita Monachus fugitiuus non ſibi, ſed Monaſterio.

CAPVT XVIII.

De Libertate, Manumiſſione, Patria poteſtate, & obſidibus, partim conſentire, partim diſcordare Canones & Leges.

I.

LIBERTINI Romani(de quibus in Inſtitut.lib.1. tit.5.)de iure conſuetudinario deſierunt in vſu eſſe: quia de iure CANONVM & conſuetudinis inter Chriſtianos ſublata eſt SERVITVS, & per conſequens LIBERTINITAS, ſecundùm Bartol. in l. hoſtes, DISSENTIVNT. ff.de captiu.& poſtlim. reuerſis. Panormit. in c. ſic. ex-

tra de Iureiur. Vbi enim nulla eſt ſeruitus, ibi quoque nulla poteſt eſſe Libertinitas: quia libertinitas eſt quaſi priuatio ſeruitutis,& priuatio præſupponit habitum.l. decem,ff.de Verbor.obligat. Eſt autem certum, omnes homines, qui ſunt ſub Imperio Romano teneri vt ſint Chriſtiani.l.1.C.de ſumma Trinit. & fide Cathol. Hæc autem accipi velim de ea ſeruitute,per quam dominus in ſeruum habuit poteſtatem vitæ & necis. Nam alia ſeruitus approbata eſt à Deo iure Diuino, Ciuili & Canonico,xii.q.2.c.Eccleſiarum.

II.

CONSENTIVNT. De iure Ciuili poteſt is MANVMITTERE, qui habet ADMINISTRATIONEM rerum ſuarum.In Inſtitutionibus.Quib. ex cauſ.Manumiſs.§.penult. CONSENTIVNT Canones: nam eorum vigore Eccleſiæ Prælati libertatem plenam dare poſſunt, cùm ſpiritualium & temporalium adminiſtratione potiãtur. Nam Epiſcopus poteſt manumittere ſeruos Eccleſię bene meritos.xii.q.2. Si quos de. Poteſt etiam non bene meritos, dummodò det Eccleſiæ pro vno duos, eiuſdem meriti & peculij. xii.q.2.Epiſcopus qui.Intellige de bonis proprijs.Item, cauſa miſerationis.xii. q. 2. Redemptor. Abbas poteſt etiam cum conſenſu Epiſcopi & Monachorum.xii.q.2. Abbatibus. Poteſt etiam ancilla, coacta à domino ad fornicandum,opem Epiſcopi implorare, vt dominus eam manumittat,& poteſt compelli.l.Si lenones.C.de Epiſcop.Audientia.

DISSENTIVNT. Diſcrepant autẽ IVRA CIVILIA & CANONICA circa manumiſſos ab Eccleſia,& à priuatis. I. propter operas non præſtitas ſeruus reuocatur in ſeruitutem ab Eccleſia.xii.q.2.Diaconi. Secus in ſeruis ſecularibus. C. de lib. cau. l. ſolo.II. filij ſeruorum remanent obnoxij Eccleſiæ ſuæ patronæ.xii.q.2. de libertis. Seculares ſerui non,C.de liber.& eorum li.l.1.& 2.III.Serui Eccleſiæ cum hac conditione poſſunt manumitti, vt non alij, quàm

quàm Eccleſiæ ſua bona relinquant.xii.q.3.c.1,&3.

Hoc autem inter Leges & Canones CONVENIT, in manumiſſione dominum ſeruo ſeruitium ſpiritnale quoddam imponere poſſe.Nam is ſi hoc non ſeruat,etiamſi ordinatus fuerit,degradatur, & priſtinæ ſeruituti ſubijcitur.c.nullus.de Seru.non ord.Ita Auth.de Sanct. Epiſcop. ſeruis hanc pœnam imponit, vt ſi nondum profeſſi deficiant ab religione,ad ſeruitutem redeant. CONSENTIVNT.

III.

Pater poteſt filium petere in poteſtatem vbi detinetur,fretus iure PATRIAE POTESTATIS, iuxta Gloſſ. in Inſtitut.de Patria poteſt.Secus eſt de iure Canonum;nã in filio Monacho ſoluitur ius patriæ poteſtatis, vt notat Gloſſ.in c.1.xx.q.2.& Gloſſ.in l.Si ex cauſa, ff. de minoribus. Pari modo cùm Pater Monachus non ſit ſui iuris, filium in poteſtate habere non poteſt:nam ea ſoluitur,vt notatur in Auth. ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ. DISSENTIVNT.

Quòd etiam in Epiſcopis ſoluatur patria poteſtas, ſupradixi.

IV.

Conſentiunt iura Ciuilia & Canonica, LIBERVM hominem non poſſe dari in pignus, & in ſubſidium aliarũ rerum deficientium, c. lator, de Pignorib. Nam perdit recipiens eum in pignus debitum: & tantundem de ſuo darè tenetur detento, vel eius parentibus,vt notat gloſſ.in c.ex reſcripto, de Iureiur. & C.de act.& oblig.Authent.omnino. Vbi dicitur;quòd quadruplum reſtituat Ratio:quia illa,quæ non ſunt in noſtro commercio, obligari non poſſunt.l.1.§ eam rem, ff.Quæ res pign. Sed liber homo nõ eſt dominus membrorum ſuorum. l. liber homo.ff ad legem Aquiliam. Hæc conſuetudo ortum habuit à legibus antiquis, ſecundùm quas pater poterat occidere filios l. in ſuis in fin.ff.de li.& po.quæ eſt SVBLATA, maximè de iure Canonum.Et ideo ſolùm permittitur venditio cauſa paupertatis ſeu egeſtatis victus.Quia filius ſic venditus, po- CONSENTIVNT. NB.

teſt ſe redimere, pretium offerendo, ipſe, vel alius pro eo, vel mancipium.

Neq; etiam de iure Canonum & Legum in obſidem dari poteſt LIBER homo, niſi per Papam & Imperatorē; vt not. in l. obſides, ff. de teſt. & l. diuus, ff. de iure Fiſci.

CONSENTIVNT. At de conſuetudine (quæ vim obtinet legis, l. de quibus, ff. de legibus) cōtrarium hodie ſeruatur. Nam pro pace ſeruanda dari ſolent obſides, ſecundùm gloſſam in c. pridie. XXIII. q. 8. ſed non pro pecunia, vt in dicto ca. ex reſcripto, de Iureiur. Quia liber homo non poteſt obligari pro pignore; nec poteſt in eo haberi ius pignoris, ſed tantùm ius retentionis.

CAPVT XIX.
DE MATRIMONIO.

Leges & Canones in GRADIBVS *conſanguinitatis & affinitatis ſuper Matrimonijs contrahendis, & vtraq;* ARBORE, *partim conuenire, partim diſsidere.*

XIII. Locus præcipuus THEOLOGIAE *Jureconſ.*

QVia libertatis (quæ ingenuitatem reſpicit) & patriæ poteſtatis, à nobis modò tractatę, cauſa efficiens eſt Matrimonium, de eo iã proximo loco dicendum erit.

CONVENIVNT. Quod ad gradus affinitatis & conſanguinitatis attinet circa Matrimonium contrahendum, in eo ius Ciuile & Canonicum PRIMÒ conueniunt, quòd mutârunt cōſuetudinem illam, quæ ante legem Moyſis in vſu erat, qua in primo gradu conſanguinitatis & affinitatis permittebatur matrimonia contrahere. Sic enim Abraham ſororem ſuam cōſanguineam in vxorem duxit, (licet alij dicãt, fuiſſe fratris filiam.) Gen. 20. Et Iacob duas ſorores, Rachel & Liam, vxores habuit, in primo gradu affinitat. Geneſ. 29. Si Sara cōſanguinea fuit

Digitized by Google

fuit Abrahæ, prohibitus eſt hic gradus de iure Ciuili in §. inter eas, Inſtitut. de Nuptijs, & de iure Canonico in c. non debet, de conſanguin. & affinitate. Si autem fuit fratris filia, vt interpretes ſentiunt, hic gradus quoque prohibitus eſt in §. fratris, Inſtitutionib. de Nuptijs. Et c. non debet, de conſanguin. & affinit.

Quod exemplum Iacob attinet, de iure Canonico prohibitæ ſunt nuptiæ duarũ ſororum ſimul & ſeparatim. cap. qui dormierit, cum ſimilibus xxvij. q. 7. Ius ciuile ſeu poſitiuum etiam improbat eas nuptias.

Deinde, ſecundùm Legem Moyſis licebat ducere fratris filiam, vt colligitur ex Leuit. 18. Eum gradum prohibuerũt iura Ciuilia, §. fratris. Inſtitut. de Nuptijs. & iura Canonica, c. 1. de conſanguin. & affinit.

Adhæc Leges & Canones mutant Legem Moyſis, & interdicunt ducere relictam fratris, ſiue ſponſa, ſiue vxor fuerit. c. ſi quis. xvij. q. 2. ca. fin. de Diuortijs. Et C. de inceſt. & inutilib. nup l. fratris.

SECVNDÒ notandum; omnes caſus, qui de conſuetudine ante legem Moyſis, item per ipſam legem Moyſis, (Leuit. 18. & Deut. 25.) & per ius Ciuile prohibiti erant, etiam de iure hodierno omnes prohibiti ſunt: non enim extat aliquod exemplum, quod ius Canonicum permiſerit gradum, qui prius prohibitus fuerit.

TERTIÒ, LEGES & CANONES DISSENTIVNT. Nam ius Ciuile, permittẽs nuptias inter filios fratrum & ſororum, (in ſecundo gradu conſanguinitatis, l. ſi neptẽ, ff. de ritu nupt.) per Canones ſublatum eſt, qui prohibent matrimonia inter conſanguineos vſque ad quartum gradum incluſiuè. c. fin. de conſang. & Affinit. DISSENTIVNT.

QVARTÒ, ARBOR Ciuilis & Canonica (ſecundùm quam perſonarum diſtantiæ inter ſe mutuò diſcernũtur) in quibuſdam CONVENIVNT, & quibuſdam DIFFERVNT. Primùm enim cõueniunt in eo, quòd vtraq;

CONVENIVNT. arbor habet lineas & gradus. Secundò conueniunt, quòd vtriuſque eſt eadem regula in aſcendentibus & deſcendentibus: vtroque enim IVRE pater & mater in linea aſcendentium, filius & filia in linea deſcendentium ſunt in primo gradu: & ſic deinceps. Quia in aſcendentibus & deſcendentibus poteſt primus gradus conſtitui, etiã in iure Ciuili. l.j.in princ.ff.de grad. affin.

DISSENTIVNT. DIFFERT tamen arbor Ciuilis ab arbore Canonica PRIMÒ: Arbor Ciuilis habet rationem circa ſucceſſiones, & tutelas. In ſucceſſionibus enim & tutelis plerumque proximi ſunt potioris iuris, & excludunt remotiores, è contra autem in matrimonijs contrahendis (ad quæ potiſſimum reſpicit arbor Canonica) vlteriores gradu ſunt tutiores, & proximi repelluntur. Arbor Ciuilis & Canonica. SECVNDÒ, in arbore Ciuili in collateralibus non conſtituitur primus gradus l.j.in princ. ff.de gradib.affinit. De iure verò Canonico conſtitui poteſt. c. ad Sedem, xxxv.q.v. Vt frater & ſoror ſunt proximi collaterales, & tamen de iure Ciuili in ſecundo gradu ſunt: de iure verò Canonico ſunt in primo gradu. Ratio iſtius Regula iuris Ciuilis. differentiæ ſumitur ex regula iuris Ciuilis, quæ dicit: „ quod vnaquæque perſona adiecta conſtituit nouũ gradum. Ideo, quia ego ſum patri meo in primo gradu, ſi naſcitur poſtea alius ex eodẽ patre ſoror vel frater, ex generatione iſtius cauſatur nouus gradus, & per conſequens appellatur ſecundus. Ius verò Canonicum hoc non conſiderauit, ſed tantùm illud, quòd duo fratres, aut duæ ſorores tribuunt initium tranſuerſali lineæ, & ideo in primo gradu illius lineæ eos conſtituit. TERTIA differentia eſt, quòd in iure Ciuili traditur regula, quòd in linea tranſuerſali ſola perſona adiecta nouum facit gradum, vt diximus: quia ius Ciuile numerat gradus quoad ſucceſſiones & tutelas: ſucceſſio verò, & tutela deferuntur de vna perſona ad aliam:

meritò

Digitized by Google

meritò ergo quælibet perſona in collateralibus conſtituit nouum gradum. Sed in iure Canonico regula eſt, quòd ad cauſandum nouum gradum requiruntur duæ perſonæ. Et eſt ratio; quia ius Canonicum numerat gradus ratione matrimonij: ſicuti ergo nuptiæ requirunt duas perſonas, ſic quoque duæ perſonæ ſimul de iure Canonico conſtituũt vnũ gradum. c. ad Sedem xxxv. q. 5. vt frater & ſoror de iure Canouico conſtituũt primum gradum, conſobrini & patrueles ſecundum, ſobrini tertium, filij ſobrinorum quartum gradum. De iure CIVILI verò tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ, ſtipite dempto. Eſt autem ſtipes ea perſona, à qua cæteræ omnes, de quibus quæritur, deſcendunt, & originem trahunt: vt frater & ſoror ſunt in ſecundo gradu, quia numera cum eis ſtipitem, hoc eſt, patrem, & habes tres perſonas; deme nunc ſtipitem, & remanẽt duæ, quę conſtituunt ſecundum gradum. Item, quando quęritur quoto gradu diſtent inter ſe patrueles & cõſobrini, numerando habes quinq; perſonas cum ſtipite, deme ſtipitem, & efficies quartum gradum. Sic ſobrini diſtant à ſe mutuò ſex gradibus, filij ſobrinorũ octo gradibus: tot enim vbique perſonas habebis, ſi ſtipitem ademeris.

Regula iuris Canonici.

Stipes in iure Ciuili.

Atque hæc eſt ſumma arboris Ciuilis & Canonicæ. Qui omnia auet plenius vberiusque cognoſcere, conſulat Canoniſtas & Inſtitutionarios.

Quod AFFINITATEM attinet, differunt Leges & Canones. Nam ex interdictis & illicitis nuptijs de iure Ciuili non contrahitur affinitas. l. non facile. ff. de grad. affin. At ſecundùm Canones, per coitum extra Matrimonium, ſiue ſit licitus, ſiue inceſtuoſus, contrahitur affinitas. c. diſcretionem. cap. pen. extra de eo, qui cogno. conſang. vxor. ſuæ.

DISSENTIVNT.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XX.

Cur cognitio cauſarum Matrimonialium Epiſcopis delegata fuerit: & in quibus punctis, circa Sponſalia contrahenda aut diſſoluenda, Canones & Leges conueniant.

LEx Moyſis, & conſuetudo ſui temporis de matrimonijs diſponentes ad Chriſtianos non pertinent. Et quia ius Ciuile & nouum Teſtamentum circa DIVORTIA non videbantur conuenire, per Chriſtianos Imperatores cauſæ matrimoniales ad cognitionem Epiſcoporum reiectæ ſunt, vt ipſi ſecundùm ea, quæ in nouo Teſtamento diſpoſita ſunt, iudicent. De alijs verò caſibus, in nouo Teſtamento omiſſis, (ceu ſunt omnes conſanguinitatis & affinitatis gradus) condant rationabiles Canones, ſecundùm quos in cauſis matrimonialibus decideretur. Itaque auctoritas Canonum, in caſibus à nouo Teſtamento non deciſis, per multa ſecula in omnibus Chriſtiani orbis regnis obtinuit.

I.

CONSENTIVNT. Sufficit, ſecundùm Leges & Canones contrahentes ſponſalia eſſe 7. annorum. extra de ſpon. impub. l in ſponſalib. ff. de Sponſali.

II.

Quilibet poteſt cõtrahere ſponſalia, qui matrimonium contrahere poteſt ſecundùm Canones. At ſecundùm Leges non. l. ſi quis officium, ff. de ritu nuptiarum, & in l. ſolet, ff. de his, qui not. infam.

III.

DISSENTIVNT. Canones in contrahendis ſponſalijs requirunt conſenſum expreſſum aut tacitum. c. ſufficiat, xxvij. q. 2. & de Deſponſat. impuberum, c. vnico. At Leges ciuiles permittunt ſponſalia cõtrahere ſine mãdato alterius.

IV.

IV.

In eo autem Canones & Leges conueniunt, quòd ea pars, per quam ſtat, quò minus ſponſalia de futuro deducantur in matrimonium, tenetur ad duplum arræ, ſi data eſt arra. l. mulier, in prin. C. de ſponſal. Secundò, quòd ſecuta copula carnali, efficiunt perfectum matrimonium. c. is qui. extr. de ſpon. Tertiò, conſanguinei ſponſi non poſſunt ducere ſponſam, & è contra: quia licet affinitas contracta non ſit, ſi copula non acceſſit, publica tamen honeſtas contracta eſt, c. ad audientiam, & c. ſponſam alterius. extra de ſponſalib. CONVENIVNT.

V.

Præterea, in ſponſalibus de futuro diſſoluendis, in quatuor punctis conſentiunt Leges & Canones. Primò, diſſoluuntur diſſenſu vtriuſque partis: (& quoq; de iure Ciuili diſſenſu parentum, quod tamen per Canones corrigitur) c. præterea. extra de ſponſa. l. in poteſtate, ff. de ſponſa. Secundò, ſi ſponſus in terrã longinquam ſe contulerit, & per triennium abfuerit, ita qùòd ſponſa alteri nubat. c. de illis. extra de ſpon. & l. liberum, C. de repud. Tertiò, ſi ſuperueniunt ſponſalia de præſenti cum alio, vel cum alia. c. ſicut ex literis. extra de ſpon. Quartò, per affinitatem ſuperuenientẽ. cap. ſuper eo. extra de conſang. & affinit. CONSENTIVNT.

Canones addunt adhuc alios modos diſſoluendi ſponſalia, non expreſſos in iure Ciuili. Primò, quãdo alter lepram vel paralyſim incurrit, aut viſum, aut naſum amiſit, aut ei aliquid turpius euenit: vt in c. literas, de coniug. leproſ. & in c. ſicut. & in c. quemadmodũ. de Iureiur. Et hoc verum, ſi turpitudo aduenit poſt contractum, ſecus ſi tempore cõtractus inerat. Secundò, quando alter fornicatur, innocens liberatur: at ſi innocens velit contrahere, ille qui fornicatus eſt, non poteſt reſilire. c. 2. de tranſla. Prælat. Et ſi etiam fornicatio eſſet violenta, poteſt ſponſus eam dimittere, Additio Canonum.

Digitized by Google

xxvij. q.2. Raptor. Tertiò, quando alter eorum efficitur Hæreticus.xxviij. q.1.non ſolùm. Quartò, propter capitales inimicitias,c.2.de ſponſalib. Quintò, ſi fama ſit, quòd inter eos ſit Canonicum impedimentum, & de fama vel ſcandalo doceatur.c cùm in tua.de ſponſ. de conſang.& affinit.c.2.de teſti.c.ſuper eo.Sextò,quãdo ſponſalia fuerunt contracta infra annos pubertatis,& poſt pubertatem petit abſolui, ante aliquem tacitum conſenſum habitum in pubertate. c. de illis. & c. à nobis,de ſponſ. Secus, ſi pubes contraxit cum impubere, ipſe non poteſt reſilire. Similiter nec pubes ante pubertatem. Septimò,propter ſuſceptionem Ordinis ſacri. xxvij.q.2. Octauò, propter votum ſimplex caſtitatis poſtea factum. c.veniens. Qui cle.vel nou. Nonò,propter ſæuitiam ſponſi. c.veniẽs. Qui cle.vel nou.

CAPVT XXI.

De concordia & diſcordia Canonum & Legum circa conſenſum Matrimonialem, & INCESTAS *nuptias, earumque* EFFECTVS.

I.

CAnones & Leges conueniunt in hoc, quòd conſenſum vtriuſque partis requirũt, xxvij. q.2.ſufficiat. & l. nuptias, ff. de Regul. iuris.

Regula Iuris. „ Nuptias non cõcubitus, ſed conſenſus facit.

II.

ERROR autem iuris non inducit cõſenſum matrimonialem de iure Ciuili & Canonico. Quia nihil tam contrarium conſenſui, quàm error. l. ſi per errorem, ff. de iuriſdict.om.iudi. & c.ſciſcitatus,de Reſcriptis.

De clandeſtinis & publicis Matrimonijs, ac qualis ad ea contrahenda CONSENSVS *requiratur, is cum omnibus circumſtantijs ſuis limitatus, traditur & exponitur, fuſiſſimè à Canoniſtis & Caſiſtis. Iura Ciuilia nil omnino ferè de eo tractant.*

III.

Digitized by Google

III.

Nuptiæ illicitæ cenſentur, vel inceſtæ ſiue nefariæ, vel INVTILES. Inceſtæ ſunt, (conſentiente iure Ciuili & Canonico) quæ natura repugnante & prohibente contrahuntur. Quarum cauſæ ſunt. Prima, ratio ſanguinis inter aſcendentes & deſcendentes vſque in infinitum, ſiue ſint naturales & legitimi, ſiue naturales tãtùm, ſiue legitimi tantùm, ſiue ſpurij, ſiue inceſtuoſi. Quales ſunt pater, filia; auus, neptis; auia, nepos; mater, filius. l. nuptiæ, & l. fi. ff. de ritu nuptiarum. l. ſi adulterium. ff. de adult. Secunda cauſa, eſt cõſanguinitas inter collaterales proximiores. Quales ſunt, frater, ſoror, fratris, vel ſororis filia, patruus, auunculus, amita, matertera. l. quin etiam, ff. de ritu nuptiarum. Tertia cauſa, eſt affinitas proximior, vt nurus cum ſocero: itẽ vitricus cum priuigna, nouerca cum priuigno, fratris vxor, fratris ſoror, ſororis maritus. l. ab inceſtis. C. de inceſtis & inutilibus nupt. l. auunculo, ff. de condictione ſine cauſa. CONSENTIVNT.

Hæc omnia CANONES ratum habent, ſed addunt; matrimonia inter CONSANGVINEOS vſque ad quartũ gradum incluſiuè prohiberi. c. fin. de conſanguinitate & affinitate. Similiter etiam vetant matrimonia inter affines, vſque ad quartum gradũ incluſiuè. c. 1. de conſang. & affinit. Hoc intellige de primo genere affinitatis, quod impedit matrimonium contrahẽdum, & dirimit contractum vſque ad 4. gradum. At in ſecundo & tertio genere non impedit, licet olim impediebat. xxxv. q. 3. per totum. & c. non debet. extra de conſanguinitate & affinit. Primum autem genus affinitatis voco id, in quo cõtrahitur affinitas inter ſponſum, & cõſanguineas ſponſæ, & viciſſim inter ſponſam & conſanguineos ſponſi. ADDITIO CANONVM. NB. PRIMVM genus affinitatis.

IV.

Adhæc cognatio legalis (adoptio) in prima, (quæ eſt

q. deſcendentium,)& tertia (quæ eſt q.affinitas) ſpecie, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit cõtractum. (c. vnico de cognat. legali, & c.1. & in c. per adoptionem. xxx.q.3.) At in ſecunda ſpecie (quæ eſt q. collateralium)non impedit, niſi ad tempus,id eſt, quãdiu ſunt in eiuſdem patris poteſtate. Sed ea ſoluta, vel morte,vel emancipatione filij adoptiui,vel naturalis, vel alio modo, quo adoptio ſoluitur, non præſtat impedimentum. Qua in re CONSENTIVNT Leges & Canones. in Inſtitut.de nup.§.1.2.& 3.ac xxx.q.3. Ita diligere debet homo.

ADOPTIO.

CONSENTIVNT.

In hoc autem DIFFERVNT Leges & Canones. Per adoptionem acquiruntur quædam iura,quæ per emancipationem diſſoluuntur.l.penul.C. de adopt. Et Ius Canonicum(contra Ciuile)indiſtinctè tenet, & loquitur de adoptato,non arrogato. Ideo idem ius, & ſic patet, quòd etiam filius illegitimus,qui non eſt in poteſtate patris,non poteſt contrahere cum filia adoptiua patris.

DISSENTIVNT.

V.

Leges & Canones etiam in hoc CONSENTIVNT, quòd nefarias iſtas nuptias non reputant pro matrimonio,nec vocantur mariti & vxores : & ſic neq; dos, neque donatio propter nuptias debetur, neque liberi, ex eis editi, ſunt in poteſtate parentum; cùm neque naturales, neque legitimi ſint,ſed inceſtuoſi,ideoque hæreditate paterna indigni ſunt. Neque etiam de rigore iuris Ciuilis debentur eis alimenta à patre, Authent. ex complexu, C.de inceſt. & inutilib. nup. Tamen de AEQVITATE Canonica ali debent, cap. cùm haberet, extra de eo, qui dux. in matrim. quam poll.per adult.

CONSENTIVNT. EFFECTVS inceſtarum nuptiarum.

DISSENTIVNT.

Etiam in pœnis, hiſce nuptijs imponendis, CONSENTIVNT Leges & Canones.Nam prima pœna eſt cõfiſcatio omnium bonorum.cap.cùm ſecundùm,de hęretic.in 6. niſi extent liberi ex priori licito matrimonio.

CONSENTIVNT.

nio. Secunda, priuatio cinguli, id eſt, dignitatis Tertia, miſſio in exilium, & ſi vilis perſona fuerit, corporis caſtigatio. in Auth. de inceſt. nupt. Collat. 2.

CAPVT XXII.

Canones & Leges conuenire & diſſidere in MODIS, *quibus contrahuntur inutiles nuptiæ; at in earum* EFFECTIBVS *cõſentire.*

I.

INutiles nuptiæ ſunt, quæ tantùm Lege & Canone prohibente, & non natura repugnante contrahuntur. In quibus partim Canones & Leges CONSENTIVNT, vt in hiſce punctis. Cauſæ inutilium nuptiarum ſunt: Primò, cognatio legalis inter fratrem & ſororem adoptiuam, adoptione durante (nam Leges, nuptias inter patrem adoptiuum, & filiam adoptiuam, inter inceſtas numerant) Secundò, conſanguinitas in 2. 3. & 4. gradu incluſiuè, computando à conſobrinis. c. non debet extra de conſang. & affinit. (nam primus conſanguinit. gradus à Legibus & Canonibus INCESTIS nuptijs annumeratur. Tertiò, affinitas quoque in 2. 3. & 4. gradu. (nam primus gradus inter inceſtas nuptias refertur.) Quartò, cognatio ſpiritualis, quæ eſt inter eũ, qui puellam ſuſcepit ex Baptiſmo, & ſuſceptam. l. Si quis alumnum. in fi. C. de nupt & extra per totum, de cognat. ſpirituali. Canones numerãt tres ſpecies huius cognationis. CONSENTIVNT. Cauſæ inutilium nuptiarum.

Canones etiam ADDVNT alia impedimenta: CONDITIONEM ſuſpenſiuam actus, Errorem, Votum caſtitatis ſolenne, cultus diſparitatem, metum ſeu coactionem, ſuſceptionem Ordinis ſacri, ligamen alterius cõiugis, iuſtitiam publicæ honeſtatis, impotentiam præcedentem contractum matrimonij, priuationem ſen- Additio Canonum.

 ſus;

ſus cuiuſdam,& indebitam ætatem.(in maſculo 14. annorum, in fœmella 12.) De hiſce impedimentis impedientibus Matrimonium contrahendum, & dirimentibus contractum, paſſim tractant CANONES, quos vide.

II.

DISSENTIVNT. NB. ANTINOMIAE. Partim etiam DISSIDENT Leges & Canones, nempe in his QVATVOR caſibus. Primò, cum RAPTA virgine ſeu muliere coniugium coire poſſe negant Leges; (in Authent. de raptis mulier. quæ raptoribus nubunt, per totum titulum:) at CONCEDVNT Canones. cap. raptor. XXVII. q. 2. Vide XXXVI. q. 1. per totum, & capit. cùm cauſa. extra de raptorib. Lex etiam priuat raptā omnibus bonis ſibi datis à raptore, quę tamen REPVDIATVR à Canoniſtis, vt notat Gloſſ. in c. de puellis. XXXVI. q. 2. Secundò, pupillam cum tutore vel curatore, ſeu eius filio, contrahere nō poſſe leges aſſerūt; (l. 1. C. de interd. matrim. inter pupill. & tutorem:) at IMPROBANT Canoniſtæ. Vide Summam Angelicam de Matrimonio, NB. Impedimento 17. Tertiò, irritum eſſe Matrimonium ob rationem honeſtatis pronuntiant Leges; (nam eæ non ſolùm quod licet, ſed etiam quod honeſtum eſt, id eſt, decens, conſiderant in coniunctionibus. l. ſemper ff. de ritu nuptiar.) ceu ſi filia Senatoris, vel Ducis nuberet alicui artem ludicrā exercenti. Canones CONTRA decernunt, inæqualitatem conditionis ſeu fortunæ perſonarum non impedire cōiugia. XXVIIJ. q. 2. Quartò, Leges reſcindunt coniugium contractum à ſeruo cum ancilla, vel cum libera, quæ ſcit eum ſeruum. l. cum ancillis. C. de inceſt. & inutilibus nupt. Canones CONTRA ſentiunt. c. penult. & vlt. de ſecundis nupt. & c. 1. extra de coniug. ſeruorum.

III.

Hæ INVTILES NVPTIAE, ſi CONTRACTAE fuerint, non habentur pro Matrimonio, nec ipſi pro maritis & vxori-

vxoribus: ideoq́; neq; dos,neq; donatio propter nuptias debentur. (De VTROQVE IVRE.)Liberi ex illis nuptijs procreati non habentur pro legitimis, & excluduntur ab hæreditate, ſi ſcientes impedimentum ſubeſſe contraxerunt. leg. qui contra legum. C.de inceſt. & inutilibus nupt. CONSENTIVNT Canones ca. referente.extra,qui fil.ſint legitimi.Et illæ nuptiæ non ſoluuntur,neque per diuortium, neq; per alium modum,cùm ipſo iure non valeant, niſi in quibuſdam caſibus DISPENSETVR. Effectus inutilium nuptiarum.

IV.

Ad extremum,etiam hunc caſum,licet παρεργὸν,addere lubet. Lex Ciuilis punit mulierem contrahentem infra annum luctus. C. de ſecund. nupt. quaſi per totũ. Quod IMPROBANT Canones, &limitant, niſi pœna apponeretur fauore filiorum.Sicut Lex, quæ imponit pœnam matri,quæ agnouit tutelam filij, tranſeunti ad ſecunda vota,non petito tutore filio. vt in l. omnem matri. C.ad Tertul.Quod etiam PROBANT Canones.

CAPVT XXIII.

Canones contra Leges rectè iudicare, ad ineunda coniugia CONSENSVM *parentum non* NECESSARIVM *eſſe;at eum* EXPEDIRE, *vtrinq; ſapienter deciſum eſſe.Item reſpondetur Sectariorum obiectionibus.*

AN Matrimonium, contractum ſine conſenſu parentum,valeat necné,ambigunt, & in diuerſas ſententias abeunt Theologi,Canoniſtæ,Legiſtæ, & cum ijs Lutheraniſmi Doctores.Quam quęſtionem hîc diſceptare,nõ alienum fuerit ab inſtituto noſtro:nam in eius deciſione Canones & Leges non conueniunt. In hoc igitur dubio duo conſideranda ſunt. Primum,vtrum conſenſus parentum requiratur in matrimonio contrahẽdo. Secun-

Digitized by Google

Secundum, vtrum matrimonium ſine conſenſu parentum contractum, valeat, necnè. In primo membro cōueniunt omnes. Nam Theologi, Canoniſtæ, & Legiſtæ ſentiunt, in matrimonio contrahendo conſenſum parentum adhibendum eſſe. Theologi allegant 4. præceptum, *Honora patrem & matrem*, & alios ſimiles locos. Canoniſtæ habent cap. noſtrates xxx. quæſt. 5. cap. penult. Quæſt. 2. xxxII. Legiſtæ allegant legem Titia, ff. de Verborum obligation. Nec eſt dubium, quin liberi peccent ſine conſenſu parentum contrahentes. Quod verò ad ſecundum membrum iſtius quæſtionis attinet, in quibuſdam conueniunt, in quibuſdam non conueniunt. Diſtinguendum hoc pacto. Aut poſt matrimonium, ſine conſenſu parentum iam contractum, carnalis copula ſubſecuta eſt, vel minus. Si primum, conſentiunt Theologi & Canoniſtæ, matrimonium ſeparandum non eſſe, vtcunque conſenſus parētum defuerit. Theologi conſiderant maius ſcandalum ſi reſcinderetur, & allegant exemplum Eſau Geneſ. 28. Canoniſtæ habent textum expreſſum in c. cum cauſa. extra de Raptoribus.

CONSENTIVNT.

Secundo caſu, quando ſcilicet non interceſſit carnalis copula, nec parentes conſenſerunt, itidem diſtinguendum eſt: Aut enim duri ſunt contrahentium parentes, qui vel prohibuerunt liberis matrimonia, aut occaſionem quærere noluerunt; & tum PARITER de iure Ciuili & Canonico deciditur, quòd matrimoniū ſine huiuſmodi parentum conſenſu valeat. l. qui liberos, ff de ritu nuptiarum, & cap. ſufficiat, xxvII. q. 2. Aut parentes non ſunt vſq; adeò duri, & tamen liberi, ſine ipſorum conſenſu, alibi contraxerunt. Ad quod vel tacent parentes, nec impugnant expreſsè, & valet matrimonium exemplo Tobię (cap. 6.) ac permittitur in Canonibus dicto c. ſufficiat. Aut parentes impugnāt ideò, quòd pars altera, quæ alteram induxit dolo ad contrahendum

hendum ſine conſenſu parentum, eſt inhoneſta, vel ſaltem humilis conditionis, & tum Canoniſtæ & Theologi contractum pro firmo iudicant; id autem irritum eſſe, pronuntiant Legiſtæ cum Sectariorum Prædicantibus. Catholicis fauet textus Matth. 19. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, & cap. ſufficiat, XXVII. q. 2. ait Canon: Sufficiat SOLVS SECVNDVM LEGES CONSENSVS. Neque audiendi ſunt Legiſtæ, qui ob PATRIAM poteſtatem putant conſenſum parẽtum neceſſarium eſſe. Nam ea non eſt iuris Naturalis, neque Gentium; ſed tantùm iuris Ciuilis. Secundò, in cauſis ſpiritualibus & conſcientiæ, (vt ſunt matrimoniales) conſenſus parentum non tantum habet poteſtatis ac auctoritatis, quantum in reliquis contractibus. c. ſi annum, de Iudicijs lib. 6. Tertiò, ſi matrimonium auctoritate parentum dirimeretur, & filia alij, cum conſenſu eorũ, nuptui collocaretur, ipſa SEMPER haberet MALAM conſcientiam.

NB.

Contra SECTARIOS.

Reſponſio ad obiectionem Legiſtarum.

DISSENTIVNT.

Neque hac in re curamus diſſentiens Ius Ciuile, (in Inſtitutionibus Tit. de nuptijs, & l. nuptiæ, ac l. ſeq. ff. de ritu nupt.) quod parentum conſenſum ad nuptias liberorum de neceſſitate requirit. Nam leges Ciuiles conſcientias humanas vinculis ſuis (contra Canones) alligare non queunt, & hoc in caſu EMENDATVR à CANONIBVS.

APPENDIX AD CAPVT XXIII.
De Adiunctis Matrimonij.

De priuilegijs & proprietatibus DOTIVM: *Item de ſtatu & onere liberorum* LEGITIMATORVM, *& quis Legitimare queat: Item de* DIVORTIIS *partim conuenire, partim diſſentire Canones ac Leges.*

I.
DE IVRE DOTIVM.

k Conſen-

Digitized by Google

CONSENTIVNT.

COnſentiunt Leges & Canones in ſequentibus punctis. Primò, fructus & fœtus rerum dotaliũ lucratur maritus, l. plerunq; in, ff. de iure dotiũ. & Gloſſ in c. ſalubriter, De vſuris.

Secundò, mulier ex quo inuenit ſibi maritum ſine dote, is tenetur eam alere ſicut filiam. In Auth. quibus modis na. effi. le. & c. per noſtras, de Donation. inter vir & vxor. Et etiamſi prę moriatur relictis filijs, tenetur ſibi relinquere quartam partem ſuorum bonorum maritus. Secus ſi filios non habet. Ideo ceſſat vtrumq; debitum, à patre aliâs perſoluendum, quod eſt alimentorum & dotis. Primum, quia habet vnde ſe alat, ſcilicet ex bonis mariti, & dos ſuccedit loco alimentorum. Et ſic limitanda eſt Gloſſa in c. fin. xxxij. q. 2. quæ dicit, quòd pater tenetur filiam dotare; verùm ſi promiſit, ſecus autem non obligatur.

CONSENTIVNT.

Tertiò, frater tenetur dotare ſororẽ, vt notat Gloſſ. in l. cũ plures, ff. de admi. tu. & in l. omni non. C. eod. tit. Quia cauſa dotis eſt fauorabilior, quàm alimentorum. At frater tenetur ſorori alimenta præſtare, ſi aliunde non habet, & dos ſuccedit loco alimentorum. Auth. ex complexu. C. de inceſt. nupt. Vt etiam Clericus ſororem, ſi eſt inops, dotet de redditibus Eccleſię, permittũt Canones. c. primum. de cohab. cler. & mulier. & in c. omnino, xxxi. Diſtinct. Vbi aſſeritur, poſſe de redditibus Eccleſiæ conſanguineos pauperes clericum alere; ergo multo magis dotare: quia dotis cauſa eſt fauorabilior.

NB.

Priuilegia dotis.

Quartò, mulier habet tacitam hypothecam in rebus mariti pro dote ſua: (c. ex literis, de pignoribus) & contra maritus in reb. vxoris: & hoc adeo verum eſt, quòd etiam procedat, ſi res dotalis fuerit euicta, per textum in l. vnica de rebus dotalibus euictis. Idem quoque iuris eſt in donationibus propter nuptias, & in bonis paraphernalibus. l. vbi adhuc in princ. C. de iure dotium.

Digitized by Google

Et hoc priuilegiũ non cõpetit ipſi mulieri, ſed actioni ex ſtipulatu;id eſt,non eſt perſonale priuilegium,ideoque trãſit ad quemcunq; mulieris ſucceſſorem in dote.

Quintò, dos non perditur propter maleficium viri, nec etiam patris,vt not.Gloſſ. c. ex literis, de pignorib. & c.de primipi.l.vtilitas.

Sextò, actio dotis præponitur omnibus creditoribus,etiam prioribus, qui habent perſonales actiones, vel tacitas hypothecas. l. aſſiduis, C. qui potior. in pig. habe. & de regul. iuris libr.6. Qui prior eſt tempore, potior eſt iure. Et hoc priuilegium tranſit ad filios, vt notat Gloſſ.in l.1.C.de priuil.dotium.

Septimò, Eccleſiaſtici iudices etiam ad ſe trahere poſſunt cauſas dotium, non ſolùm in fauorem viduarum,vt in c.nuper de donat. inter virũ & vxor. Sed etiã mariti petentis ſibi dotem promiſſam, eod, tit. c. per veſtras.

Octauò, fundus dotalis alienari non poteſt, etiam de conſenſu mulieris. l.Iulianus, ff. de fundo dotali; quod limitant Canones, niſi iuramentum interceſſerit, c. cùm contingat, de Iureiur. & c. licet de iureiur. lib.6.

Nonò,viro vergente ad inopiam,poteſt vxor petere dotem conſtante matrimonio, ſi modò eam non conſumat:vt notatur in c.veſtras,de do.inter vir.& vxor. & in l.vbi C.de iure dotium.

Decimò,vir propter adulterium vxoris lucratur dotem.c.plerunq;,De donationibus inter virum & vxor. Dummodò etiam ipſe fidem nõ fregerit:aliâs, PARIA DELICTA MVTVA COMPENSATIONE TOLLVNTVR. l.viro.ff.ſolu.matr.& ff.de dolo, in l. Si duo.c. intelleximus,de Adulter.

II.

DE LEGITIMATIONE.

DE LEGITIMATIONE hæc ſequentia puncta conueniunt

CONSENTIVNT. niunt inter Legiſtas & Canoniſtas. Primò per reſcriptũ Cæſaris, Papæ, aut alterius Principis, qui non habet ſuperiorem, legitimationem fieri poſſe c. per tuas. Qui filij legit.

Secundò, maior pars Canoniſtarum tenet, Papam non poſſe filios legitimare, vt ſuccedant in hæreditate, & in alijs bonis. Quod intelligo de ditionibus ipſi non ſubiectis quoad politiam, maximè, quando tales ſunt adulterini vel inceſtuoſi. c. dicat aliquis. xxxij. q. 4. & in c. vnico. xxxv. q. 7.

Tertiò, legitimati per ſubſequens matrimonium ſuccedunt omnibus fratribus ex eo matrimonio editis, nec excluduntur à legitimè natis, & per conſequens ſunt legitimi, quoad omnia. in Authent. quibus mod. natur. effi. ſui. At ſi legitimati eſſent per dationem Curiæ, vel per reſcriptum Principis, ij fratribus legitimè natis non ſuccederent. §. filium verò in Auth. Quibus modis nat. effic. ſui.

Quartò, legitimatum ab Imperatore, vel ab habente poteſtatem ab eo, non eſſe legitimum quoad ſpiritualia (puta ſacros Ordines, &c.) omnes docent Canoniſtæ.

III.

DE DIVORTIIS.

I. Modus diuortiorum. CONSENTIVNT Leges & Canones, ex QVATVOR cauſis fieri Diuortia. Primò, propter adulterium. Nam in hoc caſu vnaquæque pars ius habet petendi diuortium. cap. ex literis, de diuortijs. Sunt tamen 7. caſus, in quibus vxor adultera non poteſt accuſari à marito, nec peti diuortium. Primus eſt, ſi maritus quoq; conuincitur de fornicatione & adulterio, & tunc quò ad ipſos, fit criminis compenſatio. c. ſignificaſti. in fin. de diuortijs. & xxxij. q. 6. per totum. Secundus, ſi maritus ipſe proſtituit eam. c. diſcretionē. De eo qui cogno. conſang. vxor. ſuæ. Tertius, cùm vxor credens virum defun-

CONSENTIVNT.

Digitized by Google

defunctum, nupſit alij: quia prior maritus tenetur eam recipere, non obſtante adulterio, niſi ſcienter poſt reditum apud eum permãſerit. c. cùm per bellicã. c. ſi virgo. xxxiv. q 2. c. dominus, de ſecũd. nupt. Quartus, ſi cognita fuerit ab aliquo, quem credebat eſſe proprium maritum, argumento c. in lectum, xxxiij. q. 2. Quintus caſus eſt, ſi vxor fuerit oppreſſa. l. fœdiſſimam, C. de adult. l. vim paſſam. ff. de adul. c. propoſitio. xxxij. quęſt. v. Hoc tamen intellige dę vi abſoluta, non de leuibus minis. Sextus eſt, quando adulteram reconciliauit ſibi poſt adulterium commiſſum, vel eam publicè adulterantem retinet in conſortio maritali, xxxij. per totum. l. crimen C. de adulterijs. Septimus eſt, ſi infidelis fidelẽ dimittit, dato ſibi libello repudij, & illa nupſerit, & poſtea vterque conuertatur ad fidem, tenetur prior eam recipere, non obſtante quòd ab alio ſit cognita. c. gaudeamus. de Diuortijs.

SECVNDÒ diſſoluuntur coniugia propter infidelitatem, vt quia alter eſt Gentilis vel Iudæus; & is, aut vult cohabitare ſine blaſphemia Chriſti, & non ſunt ſeparandi per ſententiam Pauli, 1. Cor. 7. Aut infidelis non vult cohabitare, vel cohabitare, non tamen ſine contumelia & blaſphemia nominis Chriſti: & ſeparandi ſunt. c. quanto. de Diuortijs. Et hoc caſu, ſine dubio fidelis, etiam ſuo coniuge infideli viuente, iterum poteſt nubere, per tex. Pauli: *Si infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater vel ſoror in huiuſmodi.* 1. Cor. 7. Si tamen infidelis fuerit conuerſus, priuſquam fidelis iterum contrahat, tenetur fidelis recipere cõuerſum. c. gaudeamus. extra de Diuortijs. 2. Modus diſſoluendũ coniugia.

TERTIÒ, fit diuortium ob impotentiam coeundi; quæ eſt naturalis & accidentalis, quæ vtraque ſpecies in quibus caſibus & circunſtantijs dirimat matrimonium, vide fuſiſſimè tractantes Canoniſtas & Caſiſtas.

QVARTÒ, fiunt diuortia, ſi alter coniugum alteri conti-

Digitized by Google

continuis inſidijs mortem machinetur: neutri tamen licet contrahere iterum, altero viuente. Vide in c. 1. & gloſ. in c. 2. extra de Diuortijs.

Canones addunt etiã QVINTVM caſum; cùm nempe coniuges communi conſenſu vouent continentiam, etiam diſſiliunt coniugia.

IV.

DISSENTIVNT. Alios caſus Diuortiorũ, PERMISSOS à iure Ciuili, planè CANONES SVSTVLERVNT. In §. diſtrahuntur. in Auth. de nuptijs. collat. 4. enumerat Imperator varias cauſas, propter quas matrimonia legitimè contracta diſtrahuntur. Sed tam is §. videtur correctus per §. prædictis itaque cauſis. in Auth. vt liceat matri & auię, Collat. 8. Sed tamen de illo iure nouiſſimo quoque extant multæ cauſæ diuortij. Prima eſt, ſi alter (etiam altero non conſentiente) ingreſſus fuerit Religionem, in Authent. vt liceat matri & auiæ. Secunda eſt, qualiſcunq; impotentia coeundi. Tertia eſt captiuitas. ibid. De antiquo iure Authenticorũ licebat ob quodcunq; publicum crimen alterutrius coniugis SEPARARE coniugia, vt habes Tit. de nuptijs. Sed hæc iura in cauſis matrimonialibus non ſunt conſideranda; cùm in nouo

NB. Teſtamento (quod SEQVVNTVR Canones) quędam videantur expreſsè SVBLATA, præſertim ea, quæ de diuortio dicta ſunt. Nam Chriſtus Matth. 19. dicit: *Ego autem dico vobis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, mæchus eſt*. Per quam ſententiam, reliquæ cauſæ diuortij ſublatæ ſunt, (vt CANONES explicant) præcipuè ea, quæ de captiuitate diſponit, licet ius Ciuile quoque non diſtinguat in captiuitate; ſcilicet vtrum conſtet, an coniunx in captiuitatem redacta, viuat, & tum non permittatur alteri aliud matrimoniũ: ſi verò dubium fuerit an viuat, expectetur per quinquennium, & poſtea permittuntur nuptiæ. in Auth. de nupt. Collat. 4.

Digitized by Google

Ad extremum eſt notandum, ſi de ſtricto iure Canonum loquendum eſt, nulias ferè cauſas eſſe veri diuortij: nam ij plerunque magis quoad thorum & cohabitationem, (vt in adulterio) non quoad vinculum ſeparant coniugia: aut ea non dirimunt, ſed potius NVLLA eſſe declarant, vt ſunt inceſta. Nota.

CAPVT XXIV.

DE CONCVBINATV, & ILLEGITIMORVM *Liberorum ſtatu, & conditione, & Legitimorum commodis.*

I.

IAm de repugnantibus Matrimonij (vt ſunt ſtuprum, adulterium, & inceſtus) quippiam tractare, ratio ordinis poſtulat; at quia circa finem huius libri, ea inter atrociora delicta cõnumerabo, ibi hæc tractandi forſan opportunior erit occaſio. Tantum de cõcubinatu, qui euanidam quandã Matrimonij repræſentat imaginẽ, modò dicã.

Concubinam, olim amicam, poſt pellicem dictam, honeſtiori vocabulo LEGES concubinam appellant. Quæ lege coniugali ſoluta, ei cohæret, qui poſſet eſſe maritus, & ſecum concumbit. Et ſolùm illæ mulieres in concubinatu permittũtur retineri, in quas ſtuprum non committitur; id eſt, quæ non ſunt virgines vel viduæ: aut in quas inceſtus non committitur; vt ſunt cognatæ, & Moniales. Et ſecundùm LEGES, iſta poteſt eſſe concubina, quæ poteſt eſſe & vxor, vt in Auth. vt liceat matri & auiæ. Collat. 8. cuiuſcunque ætatis concubinam haberi poſſe palam eſt, niſi minor ſit annis 12. Quia concubinatus per Leges nomen aſſumpſit, vulgò putârunt legitimam eſſe coniunctionem; cùm præſertim extra Legis pœnam eſſet: nam ab ea permittitur. ff. de Concubinatu. L. 1. DISSENTIVNT.

Sed

Sed permiſſum eſſe putemus concubinatum lege Ciuili, vel fori, non iure poli. Nam ſecundùm diuinas & Canonicas Sanctiones, omnis fornicatio prohibita eſt. xxxij. q. iv. nemo ſibi blandiatur, & c. meretrices. At obijcis, Diſt. 34. c. Chriſtiano, permitti laico vxorē, aut vxoris loco concubinam. Sed reſponſio in promptu eſt: ibi concubinam appellari non ſolenniter ductam, cum qua tamen mutuus conſenſus interuenit.

Solutio Obiectionis.

II.

DISSENTIVNT.

Appellatione filiorum veniunt etiam naturales, cùm tractatu[r] de commodo. xxxv. q. 7. c. vnico. Et hoc ex benigna i[n]terpretatione potius, quàm ex ſignificatione propri[a]. Nam de iure Ciuili, (CONTRA) nomine filiorum veniunt ſolummodò naturales legitimi, non naturales vel adoptiui tantùm, l. ſi quis, ff. de le. Non veniunt etiam, vbi tractatur de commodo, ſpurij, & ex coitu damnato nati.

III.

CONSENTIVNT.

Illegitimum non patris, ſed matris conditionem ſequi conſentiunt ambo iura, c. 1. de coniug. ſeru. & Gloſſa ibi, quam communiter ſequuntur DD. l. partū, C. de rei vendit. Et in c. liberi. xxxij. q. 4. dicitur, qui naſcitur, deteriorem ſumere partem, id eſt, matris, quæ fragilior eſt. At conſuetudo, quæ habet vim legis, aliud hodie inuexit: nam qui natus eſt ex ancilla, non eſt ſeruus, ſi pater eſt liber.

IV.

DISSENTIVNT.

Filium naturalem tantùm effici legitimum per ſequens Matrimonium inter patrem & matrem eius, communiter ſentiunt Canoniſtæ, licet repugnent Legiſtæ. Vide Bartol. in l. pen ff. de concub.

V.

Licet clandeſtinè contrahentes non præſumantur coniuges, vt dicit Gloſſ. in c. lator. qui filij ſint legit. tamen reſpectu filiorum dicuntur, & præſumuntur eſſe con-

coniuges. Vide Panorm. ibid.

VI.

Pater, qui non habet filios legitimos, illegitimos nothos poteſt hæredes inſtituere, etiam in totum, legitima tamen ſeruata parentibus, ſi habet, vt notatur in Auth. liceat patri. C. de naturali. Licet multi Legiſtæ ſentiant quòd non ſuccedant, cùm hodie talis coitus ſit reprobatus, vt in Auth. de leno. colla. 3. & in Auth. Scenicas, collat. v. & C. de cõcub. l. vnica; tamen Gloſſa in c. tanta, & in c. niſi cùm pridem. De Renunt. ſentit eos ſuccedere de iure CANONICO. Quia ex quo ius Canonicum non ſtatuit oppoſitum, non debemus in hæreditatibus recedere à diſpoſitione iuris Ciuilis. c. per venerabilem, Qui filij ſint legitim. CONSENTIVNT.

VII.

At filios ſpurios, (ij ſunt nati ex illicito coitu quocunque, præterquam de concubina in domo retenta ab eo, qui non eſt coniugatus, vt notatur in c. tanta. Qui filij ſint legit.) non poſſe à patre hæredes inſtitui CONVENIT de iure Ciuili & Canonico. c. de natur. liber. & c. dicat aliquis. xxxij. q. 4. Et tales in nihilo ſuccedunt patri.

VIII.

Malitiam patris nocere etiam filijs quoad pœnam temporalem, in vtroque iure certum eſt. C. ad l. Iul. maieſt. l. quiſquis. & in c. cùm ſecundùm, de Hæretic. lib. 6. ac Diſtinct. 56. nunquam. & c. naſci.

CAPVT XXV.

In deciſionibus, quæ de IVDAEORVM *ſtatu, conditione, pœnis, oneribus, & exercitio nefandæ* ἐθελοθρησκείας *(vt ſcitè D. Paulus nominat) aſſeruntur,* CONSENTIRE *Ius Canonicum & Ciuile.*

CONSENTIVNT.

IN deciſione quæſtionũ, quæ de IVDAEIS moueri ſolẽt, CONSENTIVNT Leges & Canones. PRIMÒ, Iudæi puniuntur ſi quid agunt in cõtemptum Chriſtianæ fidei. c.etſi Iudæos, de Iudæis, & l. Iudæos, C. de Iudæis. Secundò, in Iudæorum feſtiuitatibus Iudęi non poſſunt conuenire, nec conueniri. c. ſicut, de Iudæis. & l. die Sabbathi, C. de Iudæis. Tertiò, non licet Iudęum offendere, nec eorum bona propria auctoritate inuadere. c. ſicut Iudæi. Tit. eod. & l. nullus. C. de Iudæis. Quartò, Iudæus actor, vel reus ſequitur forum Chriſtiani. l. ſi qua. C. de Iudæis. Quintò, Iudæi non poſſunt adipiſci honores, ſeu fungi publicis & Ciuilibus officijs, l. hæc valitura. C. de Iudæis. & 17. q. 4. conſtituit. Sextò, pœna ſanguinis cauetur, ne Iudæi peruerſo dogmate Chriſtianam fidem impugnent. l. hac victura. C. eod. Septimò, non licet eis nouas Synagogas erigere, quas ſi excitârint, 50. libris auri puniendi erunt. C. de Iud. l hac victura, & 28. q. 1. Octauò, Chriſtiani cum Iudæis non poſſunt matrimonia contrahere ſub pœna capitis, licentia accuſandi cuilibet conceſſa. l. ne quis. C. eod. Nonò, prohibentur leges ipſorum de coniugijs & gradibus. l. nemo. Cod. eod. Decimò, Iudæi ex teſtamento Chriſtiani nihil poſſunt capere. l. 1. C. de Iud. Vndecimò, Chriſtiani eis nil legare poſſunt in teſtamento, niſi legatum eſſet ſummæ neceſſitatis. xxiiij. q. 2. ſanè. Duodecimò, Iudæos nõ templa aut Synagogas, ſed priuatas ædes ad exercenda ſua ſacrilegia habere permittitur. C. de Iud. l. in Synagogis. Decimotertiò, eorum reſcinditur immunitas, quam antiquitus obtinuerunt. l. iuſſio, C. eod. Decimoquartò, Iudæi habent ea, quæ ſunt ciuium Romanorum, & coram Iudicibus Chriſtianis debent litigare, & poſſunt vnum ex eis arbitrum aſſumere. l. Iudæi. C. eod. Decimoquintò, Iudæi non poſſunt cogi ad vendendas res proprias, aliter, quàm Chriſtiani. l. nemo exterus. C. de Iud.

Digitized by Google

de Iud. Decimoſextò, Iudæorum ſerui vendicantur in libertatem, ſi volunt fieri Chriſtiani. c. fraternitatem. Diſt.54. Eodem modo Vernæ nati ex ancillis Iudæorũ, libertatem acquirunt. l. Deo nobis, C. de Epiſc. & clericis. Decimoſeptimò, non poſſunt teſtimonium dare contra Chriſtianos. Nam repelluntur ab omnibus actibus legitimis. 2. q. 7. alieni. At in caſu HAERESEOS, pro teſtibus admittuntur. c. cõtra Chriſtianos, lib. 6. de Hæretic. Decimooctauò, non impediuntur obſeruare ſuas conſuetudines in ſuis feſtiuitatibus, dummodò nihil faciant in opprobrium Chriſtianorum. Diſtinct. liv. Qui ſyncera, & c. ſicut Iudæi, de Iud. & l. Iudæis, C. eod. Decimononò, ne quenquam, qui non eſt ipſorum originis & ſectæ, circumcidant, etiam ſi ſit ipſorum ſeruus. l. vnica. C. ne Chriſtianum mancipium, & ibi conſtituitur pœna capitalis. Viceſimò, cùm quempiam Chriſtianam fidem profiteri volentem, minis aut vi ab inſtituto diuellere nituntur, puniuntur pœna ignis. l. Iudæis, C. de Iudæis. Viceſimoprimò, An pueri Iudæorũ ſint inuitis parentibus baptizandi? Varietate ſententiarum colluctantur inter ſe Doctores Theologi & Canoniſtæ. Potior illorum opinio obtinuit, qui docent, inuitis parentibus eſſe baptizandos, non priuatorum, ſed Principum auctoritate; apud quos, aut eorum dominos religioſè educandi, & ab inſidijs parentum defendendi eſſent. Inter alia hoc argumẽto vtũtur, quòd Iudæis pleno iure, ceu ſeruis ac mancipijs, Chriſtiani dominentur. c & ſi Iudæos, extra de Iudæis. Nec illorum ratio valet, qui ob vinculum patriæ poteſtatis, (de iure Ciuili) parentes ſuo iure non priuari poſſe, & ideo liberos, ipſorum imperio ſubtrahi, ac ad Baptiſmum rapi non debere aſſerunt. Nam (de iure Canonũ) fortiora ſunt Dei imperia, & æternæ ſalutis, ac animæ, quàm patriæ poteſtatis iura & beneficia.

NB.

NB.

An liberi Iudęorum ſint baptizandi inuitis parentibus.

Solutio Obiectionis.

DISSENTIVNT.

prӕter propoſitū in actibus moralibus. Quare ex vno actu duo effectus prouenire poſſunt, puta propriæ vitæ conſeruatio, & inuadentis occiſio. Si ergo intenderet occiſionem vt finem, ſic non liceret ſine mortali peccato. Si autem ſuam defenſionem, ſic denominabitur defenſio, non occiſio. Nam actus moralis non denominatur ab eo, quod eſt præter intentionem; nam hoc eſt cauſa per accidens, vt ſcribit Ariſtoteles, cap. 4. V. Ethic. Axioma Logicum.

Obijcis, Religioſis prohibetur ſeipſos defendere, cū cenſeantur mortui. At prȩualet ius naturale, quod permittit defenſionem. xvi. q. 1. c. placuit. & l. Deo nobis, C. de Epiſc. & Cler. Solutio Obiectionis.

II.

A iure DEFENSIONIS ortum traxerūt BELLA. Quorū duo iura Captiuitatis & Poſtliminij, à iure Ciuili cōceſſa, (l. Poſtliminij, & l. Si quid bello, & l. hoſtes, ff. de captiuit.) abrogârunt CANONES. Quorum tamen vigore, ius Poſtliminij eatenus valet, vt ille, qui aliqua perdidit in iuſto bello, ſua integrè recipiat. Ideo contra eum non valet Præſcriptio ſecundùm Gloſſ. in c. prima accuſatione. xvi. q. 3.

Hoc inter Canoniſtas & Legiſtas CONVENIT, quinq; requiri ad iuſtum bellum gerendum, ſecundùm Gloſſ. 23. q. 2. in Summa. Primò, vt perſona non ſit Eccleſiaſtica, cui non licet ſanguinem effundere. xxiij. q. 8. Clerici; niſi hoc fieret neceſſitate ineuitabili. Poſſunt tamen Clerici milites cohortationum claſſicis ad pugnādum accendere. c. quod in dubijs de pœnis. Secundò, vt cauſa ſit legitima, præſertim defenſionis, xxiij. q. 8. ſi nulla: & iuxta notata per Legiſtas in l. præſcriptione, & l. fin. C. ſi contra ius vel vtilit. Tertiò, ſi fiat bellum pro repetitione rerū, & huiuſmodi. c. olim, de Reſtitut. Spol. Quartò, vt non ex odio belligerentur Duces. xxiij. q. 1. Quid culpatur. Quintò, vt fiat auctoritate ſuperioris. CONSENTIVNT.

dicto c. quid culpatur,& l. vnica. C. Vt ar. vſus inſcio Princ.li.xi. Si Princeps ſuperiorem non habet, propria auctoritate res ſuas repetere, & bello recuperare poteſt.l.Iudæi,& l.nullus,C.de Iudæis.

III.

Duellum eſſe grauiſſimum peccatum, decernitur per Concil.Trid.Seſſ 25.cap.19.& c.2.de Cleric.pugnante in duello.

IV.

CONVENIVNT. De METV,in ſequentibus articulis CONVENIVNT Leges & Canones. Primò,metus probabilis & leuis nõ excuſat,reſcindit,& nihili facit cõtractum: quia nõ tollit actum requirẽtem liberum conſenſum;talis autem metus cadit in virum leuem, qui timet vbi timendum non eſt;vulgò dicitur meticuloſus. ff. quod met. cauſa, l.metum.Secundò,differt metus à vi:nam metus eſt vis conditionata.Vis autem eſt quædam coactio, qua quis ligatus,cogitur facere aliquid corporaliter. Ea excuſat à toto,ſi intrinſecus non conſentit;quia nõ dicitur quis agere,ſed potius pati.Leges autem VIM magis largè accipiunt, qui eam nominant impetum, cui reſiſti non poteſt,ſcilicet commodè.ff.quod met.cau.l.1.& 2. & c. quamuis,de pactis lib.vi. Tertiò,contractus requirens liberũ conſenſum factus ex metu iuſto, eſt nullus.Quia licet coacta voluntas ſit voluntas.xv.q 1. meritò tamen non eſt voluntas libera,& ſic deficit qualitas libertatis, quæ eſt de ſubſtantia contractus.In alijs autem,vbi non requiritur liber conſenſus,nõ eſt nullus ipſo iure.Quia coacta voluntas, pura volũtas eſt;vt notatur in l. ſi mulier,ff.Quod metus cauſa.

Quid ſit VIS?

Coacta voluntas eſt voluntas.

V.

DE CONSENSV. LIBER autem CONSENSVS in ſequentibus actionibus requiritur.I.in Matrimonio,c.notificaſti.33. q. v. At ſi ſponſa METV contraxiſſet, & viro cohabitaret ſponte,præſertim ſi carnalis copula intercederet, præſumeretur

retur matrimonium.c.vnicu m, de Deſponſ. impub. li. 6. nam ex metu præſumitur quis conſentire, ſi interueniat aliquis actus poſitiuus approbatiuus primi actus. I I. in dotis promiſſione vel ſolutione. leg. ſi mulier, ff. de dotibus. Quia ſi principale non valet, nec acceſſorium. De reg. iur. lib. 6. III. in iuriſdictione: quia eius prorogatio ex iuſto METV, nulla eſt. l. 2. ff. de iudi. IV. in electione Prælati: nam ea per metum facta nulla eſt. c. vbi periculum, de Elect. lib. 6. V. in auctoritate Tutorum: quia ea per metum extorta, eſt nulla. l. 1 ff. de auct. Tut. VI in teſtibus teſtamentorũ; nam ij ſi non liberè agunt, nil valet. l. qui teſtamento, ff. de teſtam. Canones addũt abſolutionem, ab excommunicatione, & votum.

In quibus actionibus liber requiratur conſenſus.

DIFFERVNT autem Leges & Canones in duobus caſibus. Primò, quando non adeſt voluntas domini rerũ in dando, niſi ex METV, acceptum eſt reſtituendum; niſi in aliquo caſu metus fuerit in culpa. Huic repugnant Leges, quæ loquuntur de foro contentioſo. l. vani. ff. de re. iur. & l. metum. ff. quod met. cau. Secundò, qui per metum quippiam extorſit, contra eum poteſt agi ad pœnam infra annum, ſed poſt non. Et hoc ſolùm ad rei perſecutionem. Quia Prætoriæ actiones ſunt perpetuæ quoad rei perſecutionem, at quo ad pœnam ſunt temporales. ff. de vi & vi arm. l. 1. At ſecundùm CANONES, tenetur ad pœnam etiam poſt annum, quia nulla conditio temporis poteſt opponi. 3. q. 1 c. reintegranda.

DISSENTIVNT.

Quæ actiones ſint perpetuæ.

CAPVT

CAPVT XXVII.

DE IVRE, quod in REBVS cōſiſtit, & Primò DE ECCLESIIS, earumque duobus & quadraginta Priuilegijs.

In OCTODECIM ECCLESIARVM PRIVILEGIIS *Ius Canonicum & Ciuile dulci conſenſu probè ſibi inuicem conſtare. Hinc conſtat, huius Capitis, ut & duorum ſequentium Capitum Eccleſiarum Priuilegia, non à ſolis* PONTIFICIBVS ROMANIS *& Clericis conficta eſſe; ut Sectariorum Iureconſ. ementiuntur.*

XIV. Locus præcipuus THEOLOGIAE *Iureconſ.*

LEges & Canones in ſequentibus de IMMVNITATE Eccleſiæ punctis conſentiunt.

I. Priuilegium. Conſentit Concilium Trid. Seſſ. 25. c. 20.

PRIMÒ, Priuilegia Eccleſiarum rata & firma, inuiolabiliterque ſeruari iubentur. leg. Priuilegia, C. de Sacroſanct. Eccleſ. c. non minus, & c. aduerſus, de Immunit. Eccleſiarum.

Contra SECTARIOS.

Secundò, STATVTA contra LIBERTATEM Eccleſiarum decernuntur eſſe irrita, & ipſo iure nulla, & de voluminibus Statutorum eradēda, in præuaricatores grauiſſima pœna ſtatuitur, nempe publicationis omnium bonorum. Authent. caſſa, C. de Sacroſ. Eccl. In Conſtitutione Friderici, quæ habetur poſt librum Feudorum, facientes ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam, puniuntur pœna priuationis iuriſdictionis, & mille marcarum. Rectores, ſtatutarij ſcriptores, & iudicantes ſecundùm talia ſtatuta, ſunt ipſo iure infames, eorum decreta irrita, & alij eorum actus reſcinduntur. De iure Canonum, omnes ISTAE PERSONAE impugnantes libertatem

bertatem Eccleſiæ, excommunicatione feriuntur. c. nouerit fraternitas, de ſentẽt. excommunicat. Cæterũ, omne id, quod ſtatuitur contra priuilegium vniuerſalis Eccleſię, iura Canonum, aut quo Clerici timidiores, laici verò audaciores efficiuntur, pugnare dicitur cum LIBERTATE Eccleſiarum. Libertas Eccleſiarum quid?

Hinc elicimus TERTIÒ, laicorum ſtatuta non habere locum ſuper rebus Eccleſiæ. cap. fin. de rebus Eccleſ. non alien. niſi nominatim eſſent approbata à Papa. III.

Hinc ſequitur QVARTÒ, ſtatuta laicorum impedientia liberam facultatem donandi quippiam Eccleſijs, aut pro anima, nullius eſſe momenti. Nam & l. prima, quæ eſt Conſtantini Magni, C. de Sacroſ. Eccl. cauetur, vt quilibet liberam habeat facultatem pijs locis quod vult donandi. Quod idem approbatur à Canonibus, c. relatum, de Teſtam. Ita ſi ſtatutum eſſet, vt teſtamentũ inſinuetur per hæredes infra ſex menſes, aliter eſſe irritum ipſo iure; Eccleſia, ſi hæres eſſet inſtituta, hoc ſtatuto non aſtringeretur. Eodem modo, ſi quodam ſtatuto caueretur, MVLIEREM, non poſſe donare Eccleſiæ, ſeu ad piam cauſam non poſſe teſtari, & ſe obligare Eccleſiæ, vel ad pias cauſas ſine præſentia duorum agnatorũ ſuorum nõ poſſe donare, teſtari, & ſe obligare Eccleſiæ ſine hac ſolennitate; hoc DECRETVM planè NVLLVM eſſet. Nam relicta vel donata Eccleſiæ, ſeu ad pias cauſas, debent decidi ſecundùm Canones, & non SECVNDVM LEGES vel STATVTA, quæ ſunt pars iuris Ciuilis. l. omnes populi, ff. de iuſtit. & iure. Hoc verum eſſe colligitur ex c. relatum, de teſtam. & l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & c. fin. de reb Eccleſ. non alien. IV. Laicorum Statuta & conſuetudines contra vtilitatem Eccleſiarũ non valent. NB.

QVINTÒ, Eccleſia non tenetur ad munera patrimonialia ſeu realia, ſi res non erant oneratæ certo & inuariabili onere, quando peruenerunt ad Eccleſiam. Sic impoſitiones cenſuum, quibus cuiuſcunque bona, vt plus minuſve ſoluant, cenſentur, Eccleſijs imponi non V.

m poſſunt.

Antenea-tur Eccleſia pro poſſeſ-ſionibus ſoluere tri-buta.
NB.

poſſunt. Si autem tales res, quibus imponuntur patrimonialia munera, habebant onus tale perpetuum annexum, & inuariabile ac certum, ſiue ex diſpoſitione publica, puta Principis, ſiue diſpoſitione priuata, (vt c. quanto de cenſibus) & antequam venirent ad Eccleſiã; ſicut eſt exemplũ de tributo, l. Imperatores, ff. de publ. & c.1. in fi. de cẽſibus, vbi innuitur, quòd quælibet poſſeſſio ab antiquo eſt onerata onere ſoluendi tributa. Et ſic Eccleſia de talibus rebus tenetur, quia RES TRANSIT CVM ONERE SVO. De Deci. Paſtoralis. & de Pign. ex literis.

Sunt tamen aliqua onera, quæ naturali ratione ſuccumbunt ipſis rebus, ad quæ etiam Eccleſiæ tenentur; ceu ſunt ante domum reficere viam, purgare puteum, neceſſariũ toti viciniæ, in qua eſt Eccleſia, & ſoluere ad portam vel pontem pro plauſtro, pro ipſius portæ vel pontis conſeruatione.

Ad onera etiam, quæ imponũtur per CAPITATIONEM (id eſt, per capita, non habito reſpectu ad bona patrimonij) non tenetur Eccleſia, c. quanquam, de cenſibus lib.6. vt nec perſonæ, quatenus poſſident patrimonium ab Eccleſia ſoluere quippiam tenentur.

VI. SEXTÒ, Eccleſia nullum agnoſcit onus, niſi ORDINARIVM, & propter ſubitum aduentum Principis. Ali-
NB. ud onus ei imponens, ſacrilegus iudicatur, & exilio ac
Contra ſectarios. deportatione mulctatur. l. Placet, C. de Sacroſ. Eccleſ. onerantes Eccleſias oneribus & exactionibus, vigore Canonum excommunicantur. c. nõ minus, & c. aduerſus, de Immunit. Eccleſ.

VII. SEPTIMÒ, hinc deducitur, Eccleſiam eſſe immunem ab oneribus SORDIDIS, vt calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, cuſtodia aquæductus, calefactione balnei, ſtabuli mundandi, & huiuſmodi (de quibus vide l. maximarum, C. de excuſat. mun.) Deinde etiam immunem eſſe ab oneribus EXTRAORDINARIIS; tum SVPERINDVCTIS

Digitized by Google

DVCTIS, id eſt, impoſitis à Principe tempore ſterilitatis. Tandem etiam immunē eſſe à TRANSLATIONE, id eſt, non poſſe Eccleſiæ prędia transferri ad fiſcum Principis ob tributum non ſolutum, ſiue illud debitum ſit, ſiue minus. Hæc quatuor priuilegia exſtant l. placet, C. de Sacroſ. Eccleſ. & l. neminem, C. de Epiſcop. & cleric. & confirmantur à Canonibus, xvi. quæſt. 1. c. generaliter.

Vt his alijſq; oneribus Eccleſias liberarent Canones, in ijs ſtatutum reperitur, Manſum Eccleſiæ ſeu dotem, debere eſſe liberum ab omni munere, antequam conſecretur, vt notatur in c. 1. de cenſibus.

OCTAVÒ, quilibet poteſt rē ſuā Eccleſiæ relinquere; l. generali, & l. Sancimus, C. de Sacroſ. Eccl. Et etiā DONARE inter viuos ſine INSINVATIONE in infinitum, l. illud, ibidem & in Authent. de non alienand. rebus Eccleſ. §. Si minus. Et licet Gloſſa in l. Sancimus, C. de Donationibus velit, quòd in piam cauſam non valeat donatio ſine inſinuatione, niſi vſque ad octingentos ſolidos; tamen contrarium ſentit Bartolus, in l. illud, C. de Sacroſanct. Eccleſ. VIII.

NONÒ, transfertur dominium rei in Eccleſiam ſolo PACTO, id eſt, ſola nuda promiſſione l. Vt ſi inter diuinum, C. de Sacroſanct. Eccleſ. Aliâs plura requiruntur ad transferendum dominium; quæ requiſita vide in ff. de acquir. rer. dom. & in Inſtitutionibus lib. 2. tit. 2. IX.

DECIMÒ, cenſus nouos imponere Eccleſijs, aut veteres augere, prohibetur omnibus Epiſcopis & Prælatis, in c. prohibemus, de Cenſibus, etiamſi eripuerunt eos de manu laici, vt in c. Eccleſijs, eod. tit. Quod intelligendum eſt de vtilitate Prælatorum propria. Secus eſſet de vtilitate alterius Eccleſiæ. Nam Prælatus habens rationabilem cauſam & iuriſdictionem Epiſcopalem, ac Eccleſiam pleno iure ſibi ſubiectam, hoc facere poſſet, vulgatis Canonibus. X.

XI. NB. VNDECIMÒ, Si Prælatus Eccleſiæ potuit acquirere aliquid, & non fecit; ipſi Eccleſię obſtrictus eſt, ceu tutor, qui ad hoc tenetur. l. quicquid. C. arbit. tutel. ex qua lege elicitur, quòd etiam teneatur de leui culpa, ſi non laborat vt acquirat Eccleſiæ. Vide text. cum gloſſa. xij. q. 4. c. fin.

XII. DVODECIMÒ, vnam Eccleſiam nemo poteſt lædere, quin videatur omnes lædere: quia particulares Eccleſiæ ſunt membra vniuerſalis Eccleſiæ. c. loquitur, xxiv. q. 1.

XIII. Contra SECTARIOS. DECIMOTERTIÒ, loca pia ſunt ſub iurisdictione Eccleſiæ, c. ad hæc. de rel. domib. & in Clement. quia contigit, de relig domib. Quocirca, qui ea lædunt, cenſendi ſunt SACRILEGI. c. cùm ſit generale, De foro compet.

XIV. NB. DECIMOQVARTÒ, coadunatio hominum, aut cõuenticula, quæ coeunt ob res politicas tractandas, non debent fieri in Eccleſia, ſeu alio loco conſecrato. l. denuntiamus, C. de his, qui ad Eccleſ. confug. & c. decet, de immunit. Eccleſ. & lib. 6. eod. tit.

XV. NB. DECIMOQVINTÒ, contractus in Eccleſia non ſunt peragẽdi. c. 1. de Immunit. Eccl. & l. nemo. C. de Sacroſ. Eccleſ.

XVI. DECIMOSEXTÒ, Eccleſia, vel eius poſſeſſiones non poſſunt pro alienis debitis obligari, & obligans, eſt ſuſpenſus ab adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium. De ſolu. c. 2.

XVII. DECIMOSEPTIMÒ, nefas eſt laicis vſurpare Regalia, bona mobilia, immobilia, aut alia iura Eccleſiarum. c. generali, de Elect.

XVIII. NB. Attendite ô Sectariorũ Iurecõſ. DECIMOOCTAVÒ, ita edicit l. 1. C. de ſepulch. viol. Res religioni deſtinatas, quin imò iam religionis effectas, ſcientes qui contigerint, & emere & DISTRAHERE non dubitauerint, tametſi iure venditio non ſubſiſtat, læſæ tamen religionis crimen inciderunt, (id eſt, Sacrilegij arguuntur.)

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

De alijs Eccleſiarum PRIVILEGIIS, *quæ in* ALIENATIONIBVS *&* PRAESCRIPTIONIBVS *bonorum: Item,* LIBERTATE, *&* IVRE PATRONATVS, *ac Donationibus conſiſtunt.*

I.

DE ſequentibus Eccleſiarum Priuilegijs etiã CONSENTIVNT LEGES ET CANONES. PRIMÒ, Res, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt, duplices ſunt. Quædam enim dedicantur ad vſum & cultum diuinum ſimpliciter & immediatè, vt calices, libri, ornamenta, &c. Et illæ alienari non poſſunt, niſi cauſa pietatis: vt ſi alienentur pro redemptione captiuorum, vel ſuſtentatione pauperum tempore famis, iuxta regulam: "Aurum habet Eccleſia, non vt ſeruet, ſed vt eroget, & ſubueniat in neceſſitatibus." c. aurum. xij. q. 2. & l. ſancimus, C. de ſacroſ. Eccleſ. vel, ſi Eccleſia habet ſuperflua vaſa, & debent, & poſſunt alienari, ad ſoluenda debita in caſu neceſſitatis. Auth. præterea, C. de ſacroſ. Eccleſ.

Eccleſiaſtica bona nõ niſi ob grauiſſimas cauſas ALIENARI poſſe.

NB.

Quædam verò res ſacræ non dicuntur ſimpliciter ad cultum diuinum, ſed pro ſuſtentatione miniſtrorũ Eccleſiæ deputatæ, & illæ poſſunt ALIENARI quatuor ob cauſas. Primò, ſi Eccleſia eſt grauata ære alieno, nec poteſt de mobilibus ſeu fructibus ſatisfacere. §. hoc autem, in Auth. de alie. & emphyt. Collat. ix. Secundò, ob vtilitatem, vt nempe Eccleſia rem habeat meliorẽ. Auth. hoc ius. C. de ſacroſ. Eccleſ. & x. q. 2. c. hoc ius. Tertiò, ob pietatem, xij. q. 2. c. Sanctorum. Quartò, ob commoditatem, vt quia res eſt magis damnoſa, quàm vtilis Eccleſiæ, vt in c. terrulas. xij. q. 2.

In alienatione autem rei Eccleſiaſticæ QVINQVE requiruntur, vt notat Panormit. in c. cùm Apoſtolica, de

NB.

Digitized by Google

mittitur eas alienari, aut pignori obſtringi, debitis ſolennitatibus adhibitis, de quibus ibid. In Auth. Sicut alienatio, C. de ſacroſ. Eccleſ. aſſeritur, alienare, vel acquirere damnoſa Eccleſię, pariter eſſe prohibitum.

Hęc omnia in Canonibus nõ inueniũtur eſſe vetita.

II.

Secvndò, Donatio facta Eccleſię ſub modo, non reuocatur, ſi modus non ſeruetur, niſi expreſſum fuerit, quòd poſſit reuocari. Quia donatum Eccleſiæ ſub modo, videtur donatum pro ſalute animę principaliter. c. requiſiſti. de Teſtam. & gloſſa in l. ſi quis Titio, ff. de legib. 2. Et ideo modus appoſitus non videtur cauſa finalis, ſed impulſiua; & ideo ceſſante cauſa impulſiua, non ceſſat effectus, niſi ſit expreſsè actum. Huc facit text. in l. legatum, ff. de admi. rerum ciuit. & quod notat Bartolus in l. legatum, ff. de vſufruct. legat. XXI. Priuilegium.

III.

Tertiò, res sacrae, ſanctę, & religioſę, nullius dominio svbiicivntvr, ac poſſideri non poſſunt. In Inſtit. Tit. 1. lib. 2. XXII. NB. Contra Sectarios

Quapropter eas res, à legibus poſſideri prohibitas, qui poſſederit, mala fide dicitur possidere, nec vſu capit etiam longo tempore. l. vbi, ff. de vſucapionibus, c. vigilãti. extra, de præſcriptionib. c poſſeſſor malæ fidei, De Regul. iuris, lib. 6.

IV.

Hinc ſequitur, ivra decimarvm, primitiarvm, vel oblationvm, & omnia alia ivra spiritvalia, non poſſe praescribi a laicis. c. cum eo, extra de præſcriptionib. Vide etiam in lib. 6. de prębend. c. 2. Ab ijs autem, à quibus poſſideri queunt, (Eccleſiaſticis) praescribvntvr. c. ad aures, de Præbẽd. & præſcriptionibus. XXIII. Attendite ô Sectariorũ Iureconſulti. Praescriptiones de rebus Eccleſiæ.

Etiã annexa Spiritualibus, vt ivs patronatvs, &c. non poſſunt à laicis praescribi.

Quo-

Alio etiam PRIVILEGIO gaudent RES SACRAE & ECCLESIAE, nempe hoc; Poſt conſecrationem rei ſacræ nullũ onus imponi poteſt: nam eæ OMNIS SERVITVTIS expertes ſunt. ff. de ſerui. l. ſeruitutes, §. vlt. Et quod humani iuris deſinit eſſe, ſeruitutem non recipit. ff. communia prædio. l. caueri. Arrigite aures Iureconſ. Sectariorum.

VII.

Eccleſiæ etiam fruuntur beneficijs IVRIS PATRONATVS. I. Quòd non poteſt pignori obligari, extra de Iu. Patron. II. Et ſine licentia Epiſcopi, Eccleſiæ, aut loco religioſo DONATVM, VALET, vt notatur in c. nullus. & c. ex inſinuatione, & c. illud, de Iure Patronatus. III. Id laicus cuicunque laico non poteſt donare ſine licentia Epiſcopi, c. nullus, & c. præterea, eod. tit. IV. Poteſt etiam dari in feudum, intellige cum VNIVERSITATE BONORVM, ſpecialiter autem non. Eodẽ modo transferri poteſt VENDITIONE; nempe cùm emptor vel vaſallus acquirunt directum vel vtile dominium rerum, vnà acquirunt IVS PATRONATVS licitè. ff. de contrahen. empti. lege Dolia. Vide c. cùm ſecundùm, & c. ex literis, de Iure Patronatus. V. Ius Patronatus, ſi plures ſunt hæredes, in omnes, & etiã fœminas, non per capita, ſed per ſtirpes tranſit. c. 1. de Iure Patron. & Clemen. ſin. eod. tit. XXV.

De alijs ECCLESIARVM PRIVILEGIIS vide in tit. de SVCCESSIONIBVS & HAEREDITATIBVS infra. XXVI.

CAPVT XXIX.

De ſeptem alijs Eccleſiarum PRIVILEGIIS.

I.

SEquũtur alia ECCLESIARVM PRIVILEGIA, quibus earum dignitas & bona conſeruantur ac defenduntur. Nam ACTIO ex teſtamento datur in duplum contra eum, qui XXVII.

negat ex hæreditate, quam ipſe adiuit, Eccleſiæ quid legatum eſſe, vel ſi fatetur, ſine iuſta tamen cauſa, illius LEGATI differt ſolutionem. Vide Tit.6.in lib.4.Inſtitut. In duplum ideo damnatur; quia ſimplum habetur pro re legata, aliud ſimplum pro pœna, & veniunt quoque fructus ſiue vſuræ legatæ.

Notent hęc Iureconſ. Sectariorū.

Datur autem hæc actio primùm contra hæredem ex teſtamēto, ſiue ſit directus hæres, ſiue FIDEICOMMISSARIVS. Deinde datur contra executores teſtamenti, negantes mendaciter & doloſè, legata pijs locis relicta eſſe, vel DIFFERENTES SOLVTIONEM. Tertiò, datur contra eum, qui eſt hæres ab inteſtato: nam etiam ab inteſtato, IN PRAESENTIA DVORVM TESTIVM PIIS LOCIS RELINQVI POTEST. Reus ſiue neget, ſiue fateatur dilationem ſeu procraſtinationē, incidit in pœnam dupli.

Quæ dicantur legata ad PIAS CAVSAS.

Extenditur hæc actio primò ad ipſam Eccleſiam, deinde ad eius ſingulas perſonas, quibus quid legatum eſt, tertiò ad legata PAVPERVM, & pro redemptione
» CAPTIVORVM; cum ECCLESIA enim ILLA AEQVI-
» PARANTVR, & in AEQVIPARATIS IDEM EST IVS,
» per gloſſ. in l. ſi quis ſeruo, & ibi Bartol. C. de furtis.

II.

XXVIII. Non poſſe inuitos extra Eccleſiā, aut alia loca conſecrata extrahi, PARITER DOCENT LEGES & CANONES. c. ſicut antiquitus. xvij. q.4. & l. fideli. C. de his, qui ad Eccleſias confugiunt.

Seruus etiam fugiens ad Eccleſiam, ſi venit ſine armis, nempe vt domino ſe ſubtrahat, ei reddetur, præſtito tamen iuramento de impunitate. c. inter alia, de Immunit. Eccleſ. Si autem venit cum armis, continuò extrahitur. l. ſi ſeruus. C. de his, qui ad Eccleſ. confug. intellige promiſſa impunitate.

An confugiens ad Eccleſiam propter DEBITA, hac gaudere queat IMMVNITATE diſtinguunt Legiſtæ & Cano-

Digitized by Google

Canoniſtæ. Si enim debitum ſeu tributum Principi erit perſoluendum, extrahetur, vt in Authen. de mandat. Principum, §. publicorum verò tributorum. Si verò debitum eſt contractum aliunde, non EXTRAHETVR INVITVS. Quod expreſsè definit LEX præſenti, C. de his, qui confugiunt ad Eccleſ.

Maior pars Canoniſtarum ſentit, debitori huic dandam eſſe ſecuritatem ſtandi & exeundi extra Eccleſiā, per 30. dies, infra quos reſpondeat aduocatus ad iudicium; & iudex ſi tulerit ſententiam cōdemnatoriam, aut redeat ad Eccleſiam, aut pareat ſententiæ. Eiuſmodi proceſſum, contra ære alieno obæratum, innuere videtur modò allegata l. præſenti. Cod. eod.

Eum, qui maleficium committit, & ſtatim confugit ad Eccleſiam, non poſſe inde violenter extrahi, & ob id ad mortem damnari, aut alia pœna corporali affligi, cum Panormitano (in c. inter alia, de Immunit. Eccleſ.) ſentit Gloſſa in c. reum, xvij. q. 4.

Iſto PRIVILEGIO tria hominum genera priuātur; nam ab Eccleſia minimè recipiuntur aut defendūtur, vt ſunt. I. piratæ, graſſatores, & publici latrones. II. populatores agrorum. III. Qui aliquod enorme maleficium committunt in vna Eccleſia, vt defendantur ab alia. Additur quartum genus, quod eſt raptorum virginum, homicidarum, & adulterorum, per Authē. De mandatis Principum, §. Quòd ſi delinquentes. At hæc Authētica ſublata eſt per IVS CANONICVM: nam iſti gaudent hoc defenſionis beneficio. Vide Tit. de Immunit. Eccleſiarum. DISSENTIVNT.

Violenter aliquem abſtrahens de Eccleſia, niſi in caſu permiſſo, tenetur eum reſtituere; quia de facto eſt priuatus. Ita cenſet Panorm. in c. inter alia, de Immunitat. Eccleſ. & Bartolus in l. præſenti C. de his, qui ad Eccleſ. confug. Nam & Eccleſiæ datur actio, cùm ſit ſpoliata LIBERTATE, vt in c. miror, xvij. q. 4.

Qui tales violenter extrahit, cōſtringit, aut ijs moleſtiam faceſſit, vel veſtes ac victum negat, de Iure Ciuili crimen læſæ Maieſtatis incurrit, & vltimo ſupplicio percellitur, l. præſenti, C. de his, qui ad Eccleſ. confug. De Iure Canonico excommunicatur, & ſatisfacere cogitur mulcta, & publica pœnitentia, nec reſtituitur communioni, niſi ſiſtat eum, quem violenter abſtulit. c. miror, iuncto c. ſi quis contumax, & c. quiſquis, & quod ibi notatur xvij. q. 4.

Non ſolùm in Eccleſia & Cœmiterio valet hoc priuilegium, ſed etiam inde per 40. paſſus, ſi eſt Eccleſia maior, id eſt, matrix: vel per 30. ſi eſt minor, ceu Capella. xvij. q 4. ſicut antiquitus, c. frater, & c. miror.

III.

XXIX. Aliud Eccleſiarum Priuilegium exſtat in C. de ſacroſ. Eccleſ. l. vt inter: quod valde notabile eſt, & paſſim à Canonibus approbatur. Eius ſummā paucis perHanc legem ſepelierunt Sectariorū Iurecon. cenſebo: Quælibet Eccleſia in rebus relictis iure hæreditario, legatis, donationibus, & venditionibus habet Priuilegium circa præſcriptionem CENTVM ANNORVM, & circa DOMINII acquiſitionem ſine traditione poſſeſſionis, & habet perſonalem hypothecam, & etiam in rem actionem.

Aliâs ſecundùm ius Ciuile, non ſola traditione, nec ſolo titulo, niſi ex aliqua iuſta cauſa vera vel putatiua, transfertur dominium. l. nunquam nuda, cum ibi notat. ff. de acquiren. rer. domin. At in rebus DATIS ECCLESIAE, ſeu alijs Spiritualibus ex ſolo titulo, ſine traditione dominium tranſit in alium. c. ſi tibi abſenti, de præbend. lib. 6. & c. inter cætera, de præbend.

IV.

XXX. Optima Lex. Item, ne Eccleſiæ bona diſſipentur, alio Priuilegio ei proſpectum eſt, l. ſi quis Preſbyter, C. de Epiſc. & clericis. Nam hæres cuiuſcunque adminiſtratoris Eccleſiarum tenetur reddere rationem.

V. Vlti-

V.

Vltimum Eccleſiarum Priuilegium, omnium aliorum complementum & præſidium hoc eſt; cùm LEX IMPERIALIS eſt damnoſa Eccleſijs ſeu Eccleſiaſticis perſonis, irrita cenſetur, niſi nominatim approbetur ab Eccleſia. Hæc enim eſt communis opinio Canoniſtarũ, in c.fin.de ſolut.& in c.Eccleſia S. Mariæ, de Conſtitutionibus, & c.fin.de rebus Eccleſ.non alien.& Diſt. 10. Si in adiutorium. XXXI. NB.

VI.

Ad extremum, hoc ceu fortiſſimo vallo ſepiuntur & propugnantur Priuilegia Eccleſiarum; nam ea rata & firma eſſe iubentur. l. Si qua per calumniam, & leg. omnes qui, C. de Epiſcopis & Clericis. Item l. Priuilegia, C. de Sacroſanct. Eccleſ. Præuaricatoribus acerrima pœna denuntiatur; nam violans Priuilegia Eccleſiæ, punitur in quinque libris auri, quod intelligendum eſt de particularibus Eccleſijs. l. Si Eccleſiæ, C. de Epiſcop. & clericis. Item ibidem in Authentica, Quicunq; ſi communitas propter violatam LIBERTATEM Eccleſiæ eſt excommunicata & per annum in ea perſeuerat, PROSCRIPTIONI SVBIICITVR; à qua nõ eximitur, niſi prius impetrata abſolutionis beneficentia. Vide etiam extra, Tit. de Immunit. Eccleſiarum. XXXII. NB. Eccleſiarũ Priuilegia, non eſſe à Papa, & eius Sectatorib. conficta.

De alijs Eccleſiarum Priuilegijs fusè tractaui libro priori: in minoribus autem percenſendis, nõ multum operæ ponendum eſſe duxi.

VII.

Omnia bona Adminiſtratoris Eccleſiarum, ſunt tacitè obligata ipſi Eccleſiæ, arg. xiij. q. 2.

CAPVT XXX.

De PRIVILEGIIS *omnium piorum Locorum: &* DECEM *alijs Eccleſiarum Priuilegijs ſecundùm Canones.*

IAm enumeratis Priuilegijs gaudent omnia PIA LOCA, vt Monaſteria, & præſertim HOSPITALIA, pro omnis generis infirmis, & ætatis hominibus conſtructa. Nam ea ſemper Eccleſiarum Priuilegijs annumerantur, vbicunque de ijs fit mentio; ceu l. vt inter, & l Sancimus C. de Sacroſ. Eccleſ. & l. omnia priuilegia, C. de Epiſc. & cleric. Item, Hoſpitalarij æquiparantur curatoribus & tutoribus, & coguntur inuentarium cõficere, & adminiſtrationem auctoritate ſuperioris recipere. Tum, bona Hoſpitalis, niſi ex VRGENTE CAVSA, non debent, nec poſſunt ALIENARI. Sic enim nominatim cautum eſt, l. orphanotrophos huius, C. de Epiſcop & cleric. & in Clement. de Religioſis domibus, c. quia contingit. In qua Clemẽtina etiam aſſeritur, Epiſcoporũ eſſe prouidere, vt bona hoſpitaliorũ ad vſum deſtinatum diſpenſentur. Tandẽ Hoſpitalia expreſsè omnibus priuilegijs, quibus Eccle-ſiæ communitæ ſunt, donantur. l. omnia priuilegia, C. de Epiſc. & clericis.

Conſentit Concilium Trid. Seſſ. 25. c. 8.

Iam de Priuilegijs Eccleſiarum, pauculas Legum & Canonum antinomias annotabo. In quibus illud obſeruare conuenit, quod iam ſæpè monui, Legem Imperialem, ſi Canonibus repugnat, per eorum diſpoſitionem tolli & aboleri.

NB.

DISSENTIVNT.

XXXIII. PRIMÒ, notum eſt, Ius Ciuile, ad confectionem legitimi teſtamenti, multas requirere ſolennitates, ceu inſtitutionem hæredis, ſubſcriptionem teſtium ſeptem & tabellionis, teſtamenti factionem actiuam & paſſiuam, & cæt. iuxta legem, hac conſultiſſima, C. qui teſt. facere poſſunt: at in diſpoſitis ad PIAS CAVSAS, id eſt, ECCLESIASTICAS, valet teſtamentum ſolùm coram duobus teſtibus factum. Sic enim definitur, c. cùm eſſes, & c. relatum, extra de Teſtamentis. Ea legata AD PIAS CAVSAS gaudent eodem priuilegio cum relicto Eccleſiæ, teſte Panormitano, in c. relatum, de Teſtament.

SECVN-

Digitized by Google

SECVNDÒ, in legatis ad pias cauſas Falcidia locum non habet;id eſt, hæres,cui nihil relictum eſt, non poteſt à legatis ad pias cauſas integram quartam partem defalcare ſeu abſcindere,iuxta Authenticam de trien. & ſemiſ.§.Si autem hæredes:& Authent.de Eccleſ.titulis.§.Sin autem. CONTRA IVS CIVILE,c.ad leg.Falcid. XXXIV.

Neque etiam(TERTIÒ)de eiuſmodi LEGATIS detrahitur Trebellianica; (iuxta notata per Bartolum in l. Marcellus,ff.ad Trebell.Baldum in l. id quod pauperibus,C.de Epiſcop.& clericis) per quam licet hæredi inſtituto adire hæreditatem, eamque poſtea fidei commiſſario reſtituere,retinendo tamen QVARTAM PARTEM Legatorum, ſeu hæreditatis, ſiue ei illa QVARTA ſit à teſtatore relicta, ſiue non relicta. CONTRA ff. ad Trebellianic.Senatuſconſ. XXXV.

QVARTÒ, cùm hæres renuntiat hæreditati, vel eam nolit adire,legata nihil valent. At de Iure Canonico, legata ad pias cauſas, eiuſmodi ſolennitatibus iuris Ciuilis non ſubijciuntur, iuxta Panormit. ſententiam in c.relatum,de Teſtam. XXXVI.

QVINTÒ,de Iure Ciuili, voluntas defuncti pro lege debet ſeruari, & ſi eius legatum per legatarium nō impletur,redit ad hæredem. At in PIIS CAVSIS legatum ad certum vſum,poteſt in alium vſum conuerti,prçſertim cùm is alijs vſibus melior eſt. Quia qui melius facit, non aliud,ſed idem facit,c. peruenit, de Iureiurando. At, inquis, eſt in teſtamento clauſula, quòd res non poſſit,conuerti in alium vſum, quàm deputatum. At voluntas teſtatoris debet exponi ſecundùm ius commune,nempe vt res vertatur in meliorem ſtatum ſi poteſt;& magis valeat, quàm pereat, (ſi caſus adeſt neceſſitatis)c.Abbate,de Verb.ſignificationib. Quocirca nō obſtabit talis clauſula. XXXVII. Solutio Obiectionis. NB.

Atq; hç de teſtamentis & legatis Iuris Canonici conſtitutiones regulam habent iuris diuini & humani, ac Cur ius Canonicum gentium;

partiores ſolēnitates deſideret, quàm ius Ciuile. gentium;ſecundùm quam diſponentis voluntas declaratur,quæ voluit vt LEGATA Deo & religioni debita, ac peccata redimentia,valerent.xiij.q.2.animæ.De pœnitent.diſtinct 1 medicina. At in rebus prophanis nulla eſt talis regula,ex qua eliciatur, teſtatorem aliud voluiſſe.Quocirca eius voluntas incerta eſt,& ad aliorum

NB. commoda flexiloqua.Quas hæredipetarum & hæreditatis vulturum captiones, & verſutiarum captationes,

Contra Hereditatum incubatores. ac fallacia emungendarum hæreditatum aucupia, vt præſcinderet Ius CIVILE,ideo tot ſolēnitates & requiſita teſtamentorum, ac legatorum præſcripſit; quò omnes verſipellium auarorum doli euitari poſſent, & de teſtantis voluntate euidenter quippiam conſtaret.

XXXVIII. SEXTÒ,Ius Ciuile exigit ab Eccleſia exactiones ad reſtaurationem pontium,viarum, & aliarum eiuſmodi publicarum neceſſitatum.C de Sacroſanct.Eccleſ. l.ad inſtructionem.At Eccleſias ab eiuſmodi onerib. communis eximit Canoniſtarum ſententia:in c.fi. de Vi.& honeſt.Cleric.& in Clement c.præſenti,de Cenſib.

XXXIX. SEPTIMÒ,præcipit l.neminem,C.de Sacroſ.Eccleſ.vt in ſubito aduentu Principis, Clerici & Eccleſiæ ad tributa obſtringantur.At ij, eorumque ſerui, ac coloni, cùm dominio ſpirituali ſint ſubiecti, Immunitate fruuntur,c.ſi Imperator.96.Diſtinct.

XL. OCTAVÒ,de Iure Ciuili,nullus niſi in numerū Sāctorum relatus,in templis tumulari deberet.l.nemo Apoſtolorū,C.de Sacroſ.Eccleſ.at conſuetudine Canonica, ibi ſepeliuntur Epiſcopi,Abbates, vel digni Preſbyteri, aut fideles laici.xiij q.2.nullus.

XLI. NONÒ, DONATIONEM factam PIO LOCO, propter ſuperuenientiam filiorum,non in TOTVM REVOCARI poſſe, ſed ſolùm quoad legitimam debitam, ſtatuitur in iure FORI.Cui opinioni aſtipulatur Gloſſa in xvij. q. vlt c.fin.& alia Gloſſa xxvij q.1.c vt lex. At iure Poli, id eſt, quadam naturali æquitate,in totum reuocatur, vt

ſentit

ſentit Gloſſa in c.fi.xvij.q.vlt.& c.Si quis iraſcitur.Quod fit ob rationem præſumptæ voluntatis donatoris.

DECIMÒ, Eccleſiæ donatum ſemper intereſſe videtur donantis, cum pacto de eo non alienando; (ſecus eſt de Iure Ciuili,in donatione facta priuato) quaſi ſit fauorabile animæ dantis, niſi quando id alienaretur cauſa NECESSITATIS. Intellige quando aliter prouideri non poteſt. Si enim donator hoc modo non voluiſſet, turpiter intellexiſſet,nec valuiſſet prohibitio.c. ſicut hi. 47. Diſtinct. cum ibi notatis in gloſſa. c. 1. Diſt. 83. Vel quando alienaret ob magis PIAM CAVSAM, vt notatur c.licet,De regula,& c. peruenit,de Iureiur. & c. aurum,xij.q.2.& C.de Sacroſ.Eccleſ.l.Sancimus. XLII.

Non me clam eſt, multos Legiſtas contrarium ſentire;at hæc,quam recitaui,communior eſt ſententia. Ij obijciunt;ſi quis teſtamento cauiſſet, ne fundus alienetur;ſi ſecus fieret, licere ipſi & hæredibus eum ad ſe reuocare,hoc fore plenum æquitatis & officij.At ęquitas Canonica hanc alienationē ob piam cauſam cōcedit, quando alia non habetur,quæ cōmodè poſſit alienare. Cui opinioni aſſentitur Gloſ.in c.Imperator Leo.x q.2.

CAPVT XXXI.

Ius Canonicum ac Ciuile, in XV. Regulis de acquirendo RERVM DOMINIO, *ac in doctrina de* VENATIONIBVS *conſentire.*

HAc ſequentia DE RERVM DOMINIO effata pariter à iure Ciuili & Canonico comprobantur.

I.

Quod nullius eſt, & adhuc commune omnium exiſtit,alicuius fieri poteſt, & primò occupanti quaſi præmium induſtriæ conceditur. l.3.ff.de acquir. Rer.domin.c.qui venatoribus,Diſtinct.86. CONSENTIVNT.

II.

Res alterius DOMINIO & poteſtati ſubiectas fruſtra quis occupat; cùm non ſecundùm, ſed contra naturam agat, rem alterius eripiendo. l. nam hoc natura 14. ff. de condict. Indebiti. c. locupletari. 48. de R. I. in Sexto.

III.

Feras, quæ in ſyluis circumſeptis vagantur, à nobis non poſſideri, Paulus ait Iureconſ. quoniam relictæ ſunt in naturali libertate. Impunè igitur & capiuntur & occupantur. l. poſſideri 3. §. item feras, 14. ff. de acquir. vel amitt. poſſ. Quando domini ſubditis ſtrictiſſimè interdicunt venatione, & ſibi feras appropriant, tenentur ad omnia damna, quæ feræ agris, ſeminibus, & fructibus ruſticorum inferunt, & ſi non reſtituant, licet
NB. ſubditi ex timore & metu non petant, & quaſi coacti conſentiunt: grauiſſimè peccant, & in damnationis ſtatu viuunt, donec reſtituant: nec poterunt euadere iudicium eius, apud quem nulla eſt acceptio perſonarum.

IV.

In priuato proprio quilibet quemlibet impedire poteſt, ne fundum ſuum ingrediatur, (l. Diuus Pius 16. ff. de ſeruit. ruſtic. prædiorum, & l. quod enim, ff. de acq. Rer. Domin.) cùm quilibet rei ſuæ moderator ſit & arbiter, (l. in re mandata 21 c. Mandati) nulliq; ius ſuum debeat auferri, (l. id quod noſtrum, xi. ff. de R. I.) & denique manifeſtiſſimi iuris ſit, per agrum alienum, qui ſeruitutem non debet, inuito domino ire vel agere non licere. (l. per agrum, C. de ſeruitut. & aqua.) Et qui contra prohibitionem domini venandi gratia ingreditur, iniuriarum actione tenetur. l. iniuriarum, §. fin. ff. de iniurijs.

V.

In ijs, quæ nullius ſunt, & iure naturali communia cenſentur, non plus iuris habet vnus, quàm quilibet alius.

lius.l.item ſi fundi,ff.de Vſufruct.

VI.

Qui Reipubl.ius ſolus habet, (vt Cæſar cum Principibus) idem quoque bona publica, ſuo quodammodo iure poſſidet.l ſeruitutes,ff.de ſeruitutib.

VII.

Hinc Principes in locis publicis Iura quæpiam acquirendi alijs dare & permittere: alijs verò derogare & adimere poſſunt; cùm nulli alij iniuriam facere videantur, ſed iure legibus conceſſo vtantur. l. nullus, & l. nihil, ff de R.Iur.

VIII.

Rerum communio plerumque ſeminarium eſt diſcordiarum atque litium, l.cùm pater.ff.de Legat.

IX.

Princeps non poteſt ius priuatum bono titulo acquiſitum temerè ſubditis aufferre. leg. vlt. C. ſi contra ius, vel vtilit.publicam.

X.

Si Principes ius quoddam in locis quibuſdam priuatis, eo temporis ſpatio, cuius initij memoria non exſtat, ſubditis ſcientibus & patientibus PRAESCRIPSERVNT, eo iure vtendi omnibus indiſtinctè interdicere poſſunt.

XI.

Vbi certæ leges non exſtant, ibi ad vetuſtatem recurrimus: tantumque PRAESCRIBIT quilibet, quantum POSSEDIT, cùm ſine poſſeſſione, vel quaſi, nulla currat PRAESCRIPTIO. c. cùm olim extr. de Præſcript. c. ſine poſſeſſione, de R.I.in Sexto.l.1.§.ſi quis hoc interdicto, ff. de itiner.actuq; priuato. NB.

XII.

„ Qui non eſt dominus, dominium, quod nõ habet, in alium transferre non poteſt, iuxta regul. Nemo. ff. de Regul.Iur.

XIII.

Mediante præſcriptione & vſucapione, quæ facit quem verum dominum, & interim ſi quaſi dominus rē amiſerit, habet actionem Publicianā, ad repetēdam rē amiſſam, à quocunque poſſeſſore ea poſſeſſa fuerit. Tit. de Actionib.

XIV.

Extinguitur dominium, ſi res noſtras tradimus alteri animo alienandi. Deinde, ſi quis bona fide id, quod noſtrum eſt, poſſederit, vel vſu ceperit. l. traditionibus. C. de pactis.

XV.

De venatione.

Modus acquirendi res priuatas, de Iure gentium cenſetur eſſe OCCVPATIO, cuius ſpecies eſt VENATIO. Quam olim triplicem faciebant: Arenoſam, oppreſſiuam, & ſaltuoſam. Gloſſ. & DD. in c. 1. Extra de Clerico venatore, & in c. qui venatoribus, Diſt. 86. ARENOSA venatio, tanquam ſcenicum artificium, & ars quaſi Hiſtrionica, Reipublicæ vtilitati nihil inſeruiens, ſed ad inanem quorundam voluptatem comparata, pro turpi & infami vitæ genere, meritò fuit repudiata per LEGES, & CANONES. l. 1. §. fin. de his, qui notantur infamia, l. 1. C. de Gladiatoribus. & Diſtinct. 86. c. qui venatoribus. OPPRESSIVA autem, qua homines à ſceleratis opprimebantur & trucidabantur, aquè à Legibus & Canonibus iudicatur illicita & inhumana. Diſtinct. 6. §. is ita, in fin. Tertia dicitur SALTVOSA, quæ fit in ſyluis & ſaltibus; & hæc fidelib. eo tempore prohibetur, quo aſtricti ſunt eſſe in Eccleſia, & orare. Diſtinct. 86. an putatis. Diſt. 3. de conſecratione irreligioſa, & Diſt. 5. ieiunia. Niſi fortè neceſſitate famis ingruente, c. licet de Ferijs. Alijs diebus licita eſt laicis, c. non eſt in poteſtate, de Decim.

An Clerici venationi poſſint operam dare.

Clericis verò & Religioſis eſt prohibita, niſi ob vrgentem neceſſitatem. Proceres tamen Eccleſiaſtici, recreandi

creandi & appetitum excitandi cauſa, cum modeſtia & ſilentio indulgere poſſunt venationi, exceptis ijs tẽporibus, quibus ipſos Spiritualibus negotijs vacare conuenit. extr. de cenſibus, cùm Apoſtolus, §. cùm Archidiaconi. Clemẽtina 3. in pr. §. porrò. De ſtatu Monachorum. Canones, qui contrarium decernere videntur, (c. 1. 2. & 3. Diſtinct. 34. Item c. 1. 2. extr. de Clerico venatore, & c. 1. extr. Ne clerici vel Monachi. c. Eſau & c. an putatis, Diſtinct. 86) intelligendi ſunt de ijs Eccleſiaſticis, qui, omiſſis Spiritualibus officijs, vni venationi dant operam, aut eam non tam recreationis, quàm aſſiduæ voluptatis cauſa captare ſolent.

CAPVT XXXII.

De modis acquirendi rerum Dominia in Specie.

De Bonæ & malæ fidei poſſeſſionibus, ac EMPHYTEVSI *Eccleſiaſtica ac priuata, Canones & Leges partim conſentire, partim diſſentire.*

DIctum eſt de regulis DOMINII in genere; eius cauſæ ſecundùm Ius Ciuile ſunt duplices. Aut enim acquirimus rerum dominia ſigillatim, aut per vniuerſitatem. Sigillatim acquirimus per vſucapionem, præſcriptionem, legata, donationem, fidei commiſſum ſingulare. De quibus ordine dicendum eſt. Modi acquirẽdi rerum dominia.

Quia autem vſucapionis & præſcriptionis cauſa eſt POSSESSIO, iuxta tritum axioma, ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit, de Reg. Iur. in 6. de ea primò dicendum eſſe cenſeo; tum de naturalis poſſeſſionis Speciebus, ceu ſunt, Vſusfructus, Emphyteuſis, Feudũ. Axioma iuris.

I.

Malæ fidei poſſeſſor eſt, qui poſſidet rem, quam ſcit ad alium pertinere; & è contrario, Bonæ fidei poſſeſſor eſt, qui cùm ignoret ſe poſſidere alienum, poſſidet co-

gitatione domini. textus eſt in c.ſi virgo. xxiij.q.2. & c. grauis, de Reſtitut. ſpoliatorũ. Quilibet malæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere rem, ſi extat. c. Si res. xiiij.q.6. & c. cùm tu, de vſur. Vel ſi perijt, aut eſt diminuta, tenetur eam reſtituere cum moderamine. Tenetur etiam non ſolùm ad fructus perceptos, ſed etiam ad illos, quos ipſe dominus percepiſſet, ſi eam poſſediſſet. c. grauis. de Reſtitut. Spoliatorum. & l. in re furtiua, ff. de condi. furtiua, & l. ſi nauis, ff. de rei vendic. Intellige, ſi res erat fructuoſa, & de fructibus, qui honeſtè percipi potuerunt. l. fructus, ff. de rei vendic. Hæc accipio de poſſeſſore malæ fidei, qui rem habuit ſine aliquo titulo, vt l. generaliter, ff. de reg. iur. At poſſeſſor prædictus, qui rem habuit cum titulo, tenetur de fructibus perceptis, & non percipiendis. l. ſi fundum, C. de rei vendic.

At tres ſunt caſus, in quibus poſſidẽs mala fide etiam cum titulo, tenetur de percipiendis. Primus eſt, quando titulus eſt acquiſitus contra interdicta legum. l. quemadmodum, C. de agri. cenſ. & colo. Secũdus eſt, quando titulus habetur in fraudem creditorum. l. 1. ff. de his quæ in frau. cred. Tertius eſt, quando titulus habetur ex emptione rei fiſcalis, ſine debita ſolennitate. Nec datur diſtinctio in iſtis poſſeſſoribus malæ fidei; quia tenentur fructus reſtituere, ſiue res alienæ non tranſierint in dominium illorum, ſiue alijs debeantur. Nam de VTROQVE IVRE, licet tranſeant in dominium illorum, tamen obligati ſunt ad reſtitutionem, vt patet ex l. cùm fundus, ff. ſi cert. pet. & l. indebiti. in princ. ff. de condict. indebi. Et clarius in l. videamus, ff. de vſur. vbi dicit text. Nam verbum reſtituas, quod in hac re Prætor dixit, plenam habet ſignificationem, vt FRVCTVS QVOQVE RESTITVANTVR: & ideo cùm reſtitui Prætor iubet, veluti interdicto vnde vi: etiam FRVCTVS SVNT RESTITVENDI. Quod idem Canones comprobant. Vide Canoniſtas in c. grauis. De Reſtit.

ſtit. ſpol.& Gloſſ.in c.non liceat Papæ.xij.q.2.

II.

Bonæ fidei poſſeſſor, omnes fructus tam naturales, quàm induſtriales, ſiue poſſideat cum, vel ſine titulo, tenetur reſtituere, (in conſcientia,) ſi exſtant: Si verò conſumpſit, tenetur ſolùm reſtituere in quantum factus eſt locupletior: puta, quia in eam rem expendit, in quam oportuiſſet expendere tantum de ſuo; vel aliqua emit, ex quibus auxit patrimonium ſuum. Facit huc l. certum, & l.ſi me & Titium, ff. Si cert.pet. Si verò nõ eſt factus locupletior, non tenetur de conſumptis. ff. de peti.hæred.l.vtrum, ex quo dolo non deſit poſſidere.

Bonæ fidei poſſeſſores etiã poſſunt vſucapere fructus prædictos, naturales nempe per triennium, nec tenentur reſtituere. Qua in re CONVENIVNT Leges & Canones. c. grauis, de Reſtitut. Spoliatorum, & notatur in l.ſequitur. ff. de Vſucapionib. Bonæ fidei poſſeſſores.

Alij Legiſtæ & Canoniſtæ alia diſtinctione vtuntur. Bonæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere tantùm exſtantes fructus ante litis conteſtationem, & non conſumptos; poſt litem verò conteſtatam, vniuerſos. C.de rei vendic. Malæ fidei autem poſſeſſor, non autem violentus, tenetur reddere omnes fructus, qui probantur ad eum perueniſſe ante litem cõteſtatam, & poſt. C. de rei vendic. Si fundum. Si verò fuerit violentus, tunc tenetur reſtituere perceptos, & eos qui percipi potuerũt per veteres poſſeſſores. c grauis, & c. conquerente. de Reſtitut. ſpoliatorum.& c.cùm cauſa, de officio deleg. & xij.q.2.non liceat.

III.

Iam, quomodo præiudicium alicui fiat circa poſſeſſionem, CONSENTIVNT Canones & Leges in hunc modum. Aut poſſideo rem aliquam per me; vel per alium, ceu ſeruum vel colonum. Si per me, licet ſponte recedam, nõ animo deſerendi poſſeſſionem, adhuc CONSENTIVNT.

eam

eam retineo, niſi ſciens prudensque negligam. ff. de ac quir. poſſeſ. l. ſi de eo. Licet alius intret talem poſſeſſionem, quam ſolo animo retineo, adhuc retineo poſſeſſionem, niſi ille me venientem non admittat; licet ſi non audeo accedere ad poſſeſſionem, & etiam ſuſpicor me poſſe repelli. ff. de acquir. poſſeſ. l. ſi id quod. Et ſtatim atque comperero alium eſſe in poſſeſſione, poſſum expellere ipſum. ff. de acquir. poſſeſs. l. quod meo nomine & ff. de vi & vi armata, l. idem eſt. At ſi alius eſt in poſſeſſione nomine meo, tunc ſi ille expellitur: vel alij tradat poſſeſſionē. ſtatim perdit eam. ff. de acquir. Poſſ. l. poſſideri. Et hæc vera ſunt in rebus immobilib. Sed ſi quis rem tuam mobilem occupat, ſtatim perdis poſſeſſionem. vt ff. eod. l. ſi rem mobilem.

IV.

Quæſtio eſt, an quis minis & metu territus, à poſſeſſione recedens, eam perdat. Item, ſi quis parens alicuius mandato, gerit ſe pro eius ſubdito, vt c. dilectus, de Capellis Monachorum, & c. ex ore. De his quæ fiunt à maiori parte Cap.

NB. Reſpondetur: Talem metum non priuare ipſum poſſeſſione; quia hoc non facit animo obediendi, ſed potius deliberandi quid ſibi expediat. Non enim gerit ſe quis pro obediente, ſi hoc non faciat animo obediendi. ff. de acquir. hæred. l. pro hærede. Et qui ex timore quippiam facit, hoc non dicitur facere. c. qui ex timore. De re iudicata.

V.

De emphyteusi, consentiunt leges & canones in ſequentibus Punctis.

Quæ ſit natura & proprietas Emphyteuſis.

Primò, Dominus Emphyteuſis, retento dominio directo & ciuili poſſeſſione, transfert in Emphyteutā vtile dominium & naturalem possessionem rei immobilis, ad hoc vt ſingulis annis ipſe, vel hæredes eius, domino, ſuiſque hæredibus annuam penſionem ſol-

uant.

uant. C. de iure Emphyteut. & extra, de Locato & conducto.

SECVNDÒ, Ius Emphyteoticum tranſit etiam ad extraneos hæredes. c. fi. de locato: etiam in re Eccleſiaſtica, modò ea detur cum hac ſolennitate, quæ eſt c. 1. de re. Eccl. non alien. lib. 6. & c. ſine exceptione, xij. q. 2.

TERTIÒ, Emphyteota non poteſt dimittere rem Emphyteoticam, & ſe liberare quando vult. c. iudicatū de Immunit. Eccleſ. Quia quòd à principio eſt voluntatis, ex poſt facto EST NECESSITATIS. l. ſicut, C. de act. & obligat. Item, quia perſonaliter eſt obligatus ad penſionem. l. 1. & 2. C. de iure Emphyteot. Ergo tenetur perſonaliter: cùm omnes actiones ſint perſonales, in Inſtitut. de Actionib. & ſic dimittendo rem, obligaretur ad penſionem. Axioma Iuris.

QVARTÒ, Emphyteota alij poteſt ius ſuum reſignare, & id locare. in Inſtitut. locati, §. adeò. Quia propriè non eſt vera alienatio.

QVINTÒ, Emphyteota cuiuſcunque, etiam Eccleſiæ, poteſt donare aut legare meliorationes, quas fecit in re Emphyteotica, vel etiam ipſam rem Emphyteoticam ſine alia ſolennitate. Ita ſentiunt plerique Canoniſtæ in c. fin. de locato. Si alienat donando vel legando, aut etiam PERMVTANDO, SALVO TAMEN IVRE DOMINICO, non irritari poteſt donatio hæc, legatum, aut permutatio. Tutius tamen eſt, vt non permutet ſine conſenſu domini, propter multos Doctores, qui ſentiunt non poſſe permutare. l. fi. C. de iure Emphyteotico, & c. potuit, de locato. Pignori etiā obligare poteſt. l. tutor. ff. de pignor. act. licet tutius ſit agere cum conſenſu domini.

SEXTÒ, Emphyteuta VENDERE poteſt Eccleſiaſticam Euphyteuſim, quinque conditionibus ſeruatis. I. vt dominum ſeu Rectorem Eccleſiæ requirat, an ipſe velit emere. II. quòd domino directo poſt duos men-

ſes reſponſum differente, & ei pretio denuntiato, is non velit emere; alij vendatur, modò domino detur quinquageſima pars. l.fin. C. de Iure Emphyteut. & c. fin.de locato. III. quòd non vendat prohibitis perſonis, quæ notantur ibid. ceu ſunt ſerui Eccleſiæ, Capitanei, & omnes perſonæ maiores, qui non poſſunt facilè conueniri. Vnde poſſet dominus & Eccleſia præiudicium pati: vt ff. qui ſatiſda.cog l. 2. IV. quòd non vendat niſi vtile dominium ſibi competens, & meliorationes, quas in re fecit. V. quòd prius non exciderit à iure ſuo, puta non ſoluendo Canonem. Quia ne-

Axioma Iuris. „ mo PLVS IVRIS in ALIVM TRANSFERRE POTEST, „ quàm ipſe habet. l. nemo, ff. de reg. Iur.

SEPTIMÒ, In quinque caſibus Emphyteuta excidit à iure ſuo. I. cùm domino petenti penſionem eam negat, & dominum directum non agnoſcit. Et tacitè negat recognitionem domini, cùm triennio non ſoluit Canonem. Et tum res cadit in cõmiſſum. II. cùm vendit rem Emphyteuticã citra conſenſum domini. Quod secũdùm Canoniſtas intellige (in c.potuit, de Locato) ſi res ſit tradita. Si ſecus, licet fuerit vendita, non cadit in commiſſum. Et ſi eſſet tradita, tamen hac lege, vt ſi dominus vellet emere tantundem, illi emptor reſtitueret eam: quia ſic non caderet Iure ſuo; vt notatur in l. voluntas. C. de fideicommiſſis. Licet vendidit & tradidit rem Emphyteuticam & poſtea redemit, nihilominus cecidit à iure ſuo. Quia per ALIENATIONEM Ius quæſitum eſt domino, & ideo ſine facto ſuo non poteſt ab eo auferri. III. ſi res Emphyteutica eſſet hæreditaria, & filius hæreditatem refutaret, ea caderet. IV. cùm Emphyteuta non ſoluit Canonem. l. 2. C. de Iure Emphyteutico. c. potuit, de Locato. Quæritur hîc primò, an dominus recipiendo Canonem ab Emphyteuta, qui cecidit iure ſuo propter non ſolutionem, ſi-

Solutio quæſtionis. bi PRÆIVDICET? Reſpondetur cum diſtinctione.

Aut

Aut Dominus eum expulit, & ſic non præiudicat ſibi: aut non expulit;& tunc aut recipit Canonem pro tempore poſt moram contractam, & ſic præiudicat ſibi. Quia videtur per actum contrarium iuri ſuo renuntiaſſe. c. ſolicitudinem, de ap. aut recipit Canonē pro præterito cum proteſtatione,quòd non intendat ſibi præiudicare, & ſic non præiudicat: aut non fecit proteſtationem, ſed abſque conditione recepit,& non videtur præiudicare iuri ſuo. Quia in dubio, non videtur quis velle renuntiare iuri ſuo. c ſuper hoc; de Renuntiat. ff. de probationib. l. cùm indebito. Deinde quæritur,ſi primus Emphyteuta reſtabat aliquos cēſus ſoluere, an ea de cauſa conueniri queat ſecundus Emphyteuta. Sed facilis eſt reſponſio negatiua. Quia hæc perſonalis eſt actio, quæ non tranſit ad tertium poſſeſſorem. ff. ad Trebel. l. 1. Tum in dubiū vocatur, an Emphyteuta impedito ſoluere Canonem, ob domini impedimentū; puta ſi is defunctus eſt,& hæreditas iacet, tēpus currat & committat. Reſpondent Canoniſtæ negatiuè, argum. ff. de vſur. leg. pecuniæ, & in c. cùm tu. eod. tit. Quæritur quartò, ſi emphyteuta non ſoluerit totum Canonem, an per ſolutionem partis euitet commiſſum. Affirmatur, dum tamen de reſiduo dominus det fidem. Nam tunc dominus partem capiens, videtur remittere. arg. C. de pactis inter Emp. & vend. l. commiſſoriè. & in c. ſuā, de pœnis. Secus, vbi de reſiduo dominus non haberet fidem. arg. l. in executionibus. ff. de verb. obligat. C. de diſtract. pignor. l. quamdiu. Quinto, inter DD. grauis eſt diſceptatio; num ne Emphyteuta per 40. annos ceſſans à ſolutione penſionis, poſſit exceptione PRAESCRIPTIONIS ſe tueri? Maior pars in negantem partem propendent, ob ea, quæ leguntur & notantur in l. malè agitur, C. de præſcriptionib. 30. annor. & in l. notiſſimi, eod. tit. & in l. cùm fundus, ff. de vi, & vi arm. Ac in c. conſtitutus, de Religioſ. domib.

"Axioma Iuris.

NB. Solutio dubitationis.

Pulchra queſtio.

ręcti:aut pars rei perit, etiã maxima : & ſpectat ad Emphyteutam; adeò, quòd nihilominus tenetur ad penſionem. Huc facit optimus Text. in Inſtitutionibus, de locato, §. adeò. Hæc conſentiẽter LEGES ET CANONES. Vide Gloſſ. in c. vlt. & penult. de Locato.

DECIMÒ, Primùm tantùm ſteriles fundi concedebantur in emphyteuſim, vt maiori fide & diligẽtia colerentur, poſtea ex cõſtitutione Zenonis Imperatoris diſpoſitum eſt, idem ſeruandum eſſe in fertilibus fundis, vt ſcilicet pro annua penſione concederentur. Si fundi ſunt ſteriles, diminuetur penſio. x. quæſt. 2. Si verò quædam, & in Authent. de alienat. & Emphyteoſ. Item in c. terrulas xij. q. 2.

In pauculis punctis diſcrepant Leges & Canones. I. Eccleſiaſtica Emphyteuſis amittitur, ſi Emphyteuta intra biennium Canonem nõ ſoluerit. c. potuit, extra, de locato. At in priuata Emphyteuſi Ius Ciuile expectat triennium, l. 2. C de iure Emphyteut. II. Emphyteuſis redit ad Eccleſiam, ſi quis accepit eã pro ſe & ſuis filijs, & moritur ſine filijs legitimis, relictis ſolùm naturalibus. Secus eſt in Emphyteuſi data priuato. Vide DD. in l. 1 & 2. de iure Emphyteut. III. Dominum propria auctoritate poſſe expellere Emphyteutam, ſi debito tempore Canonem non ſoluerit, affirmant CANONES, c. fi. de locato & x. q. 2. hoc ius porrectum. Dicit enim lex, pertimeſcat crimen, cùm ſibi arbitrium SVAE VLTIONIS SCIAT CONCESSVM. At negant LEGES, & cẽſent hoc iudicis auctoritate faciendum eſſe, C. de pignor. l. 3. IV. Secundùm ius CIVILE, poteſt dominus expellere Emphyteutam, ſi is ceſſans per biẽnium, & eò amplius, quòd non poſſit purgare moram, & dominus poſtea ab eo receperit penſionem. Nam recipiendo penſionem, videtur iuri ſuo renuntiare. ff. de le. com. l. poſt diem. CANONES diſtinguunt de Eccleſia. Aut Prælatus de conſenſu Capituli recepit penſionem, & tum non po- DISSENTIVNT.

rerit expellere emphyteutam poſtea: cùm liberum ſit Eccleſiæ, vel emphyteutam expellere, vel penſionem petere. in Auth. de alien. & Emphy. cõtractus, §. Si quis verò, collat. ix. & eligendo vnum, alteri renuntiaſſe videtur. At ſi ſolus Prælatus ſine conſenſu Capituli recepit penſionem, non impedit quò minus poſſit expelli emphyteuta, niſi poſtea Capitulum conſenſiſſet. arg. de his, quæ fiunt à Præl. ſine conſenſ. Capitu. c. paſtoralis.
V. Secundùm ius Ciuile, res emphyteutica conceditur aut ad certum tempus, aut in tertiam perſonam vel generationem, vt in Auth de non alien. Collat. 2. §. Emphyteoſi: vel priuatus cõcedit in perpetuum, vt in ead. Auth. de alienat. & Emphyteoſi, Collat. ix. Ius Canonicum verò diſtinguit de Emphyteuſi, quæ fit aut ſine ſolennitate, de qua habetur xij. q. 2. ſine exceptione, & in c. 1. de reb. Eccleſ. non alienand. in vi. & in c. nulli, extra eod. tit. & tunc non valet vllo modo: aut ſit cum dicta ſolennitate, & valet, ac tranſit ad omnes etiam EXTRANEOS.

CAPVT XXXIII.

DE FEVDIS *conſentire Leges & Canones; at in particulis diſcrepare.*

CONSENTIVNT. I. FEudum eſt beneficium ex beneuolentia conceſſum, quo vſusfructus rei immobilis tranſit ad recipientem, vt is cum hæredibus domino fideliter ſeruiat, qui eius rei immobilis proprietatem penes ſe retinet. Vide lib. de conſuetud. Feudorum, c. vnicum; Quibus de cauſis feudum amittatur.

II. ALIENATIO Feudi eſt VTROQVE IVRE interdicta; cap. Imperialis, de prohibit. feud. alienat. & c. quæ in Eccleſ. de Conſtitutionib. Quia omnibus per alienationes feudorum exhauſtis, ſeruitia dominis ſubtraherentur, & vires exercituum Principum attenuarentur

Aucto

Auctor eſt Hoſtienſis in Summa de Immunit. Eccleſ. FEVDVM in tantum non poſſe alienari, vt ne legari, aut diſponi queat pro ANIMA, DE IVRE CANONICO. Hinc deducunt Canoniſtæ ex c. vlt. de Feudis; feudum neque etiam pignori poſſe dari. Quia quę prohibentur alienari generaliter à lege, vel per teſtatorem, vel per pactum contrahentium, prohibentur oppignorari. l. fin. C. de re. Eccl. non alienand. Secus ſi à iudice. l. in quorum, ff. de pignoribus. RATIO; Quia per cõſtitutionem pignoris, facilè peruenitur ad diſtractionem rei. Quapropter V O prohibito, prohibetur omne, per quod peruenitur AD ILLVD. l. oratio. ff. de ſpon. Hoc tamen ſciendũ, quòd vaſallus vtilitates feudi licitè queat alienare, modò vtile dominium non transferat; Auctore Baldo in tit. de Pace Conſtantiæ. Nam alienati fructus ſeparati, non præſupponunt alienationem feudi. ff. de do. l. in ædibus. Quæ res poſſint oppignorari.

III. An Clericus queat in feudo ſuccedere, diſtinguũt Canones. Nam aut feudum ad ipſum immediatè ſpectat, & tunc, ſi promouetur ad ſacros Ordines, ei renũtiare videtur. Huc facit c. de multa, de præbẽd. & Clem. gratia, de Reſcript. Nec poteſt in iſto caſu per ſubſtitutum ſeruire, niſi eſſet feudum re[...], id eſt, requirẽs reale ſeruitium. Nam hoc propriè non eſt feudum, quod eius ſtatui repugnat. Ideoque hoc caſu ſuccedet. Quia per clericatum iura ſucceſſionis non perduntur. xij. q. 3. c. 1. Si verò conſecutus eſt ſolùm minores Ordines, ſuccedere poteſt: nam per ſubſtitutum ſeruire valet, vt cẽſet gloſſ. in c. 1. de benef. feud. Aut feudum nõ immediatè ad ipſum ſpectabat; puta quia erãt tres fratres, & primogenitus poſſidebat feudum, & ipſe erat vltimus, qui factus eſt Clericus. Poſtea mortui ſunt alij fratres ſine hærede; & tum ſuccedit Clericus. Non enim animum habuit renuntiandi, nec etiam facultatem. Quare ob æquitatem iuris feudo non priuabitur; præſertim cùm

per

per ſubſtitutum ſeruire queat. An Monachus poſſidere queat feuda, aut ea amittat, dixi ſupra.

IV. DE VTROQVE IVRE, filius, qui non conſenſit feloniæ patris, à ſucceſſione feudi non excidit. c. fin. de Feudis, & gloſſ. fin. in l. adoptiuum, ff. de in ius vocan. Extra, de Feudis, c. vlt. Sciendum eſt de Feudo ECCLESIASTICO & SECVLARI; quòd ſi vaſallus intra annum & diem inueſtituram eius ab hæredibus domini non petierit: vel domino petente iuramentum fidelitatis, tertiò commonitus non præſtiterit, vel aliquam feloniam contra iuramentum fidelitatis fecerit, perdit feudum, quod reuertitur ad dominum. Si verò aliquid graue contra dominum perpetrauerit, puta fratrem eius, vel patrem interfecerit, vel aliud ſcelus cõtra eum deſignârit; ſi feudum eſt paternum, amittit illud; & nõ ad dominum, ſed ad feudatarios ſuos pertinet: vt in li. feud. Quibus modis amitt. feud.

In tribus ſequẽtibus articulis pertenuis licet diſcrepantia videtur eſſe inter Leges & Canones. Primò, de iure Canonico dicitur feudum conceſſio rei pro HOMAGIO FACTA. Ita colligitur in c. ex diligenti, de Simonia. Homagium verò aliud eſt ſimplex, quod includit fidelitatem. c. indignum, de Reg. iur. in antiquis. Aliud dicitur ligium, in quo etiamſi non exprimatur, intelligitur auctoritas Principi reſeruata. de Iureiur. c. veniens. Et eſt Gloſſ. not. in Clem. Paſtoralis, ſuper verbo, homoq; ligius de re Iudic. Et dicitur ligium, quaſi ligatum tenens iurantem; ita quòd non poteſt ſine voluntate eius, cuius ligius eſt, homagium facere. Secundò, ſecundùm ius Ciuile, obſtrictus eſt vaſallus domino militare in quocunque bello; excipiunt CANONES

NB. niſi id ſit iniuſtum. Qui addunt, neque etiam dominis

Contra SECTARIOS. excommunicatis, aut proſcriptis ſeruitia exhibenda eſſe. Tertiò, filius non particeps felonię patris, non repellitur à ſucceſſione feudi. At in feudo Eccleſiaſtico ſecus ac-

cus accidit. Quia licet in temporali pater præiudicet filio perpetuò, tamen aliud eſt in Prælato Eccleſiæ: nam per culpā per eum commiſſum non priuatur Eccleſia, niſi durāte vita Epiſcopi, Abbatis, vel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ feudum tenentis de Capitulis, contra c. vnico. ſi de feud. def. fu. cont.

Quia de FEVDIS *nihil ferè tractant Canones, conſultò alia ſubnectere omitto: omnia de feudis dubia Zaſius ſatis enucleatè perſecutus eſt in tract. ſuo, de hac materia euulgato.*

CAPVT XXXIV.

De Proprietatibus, ac Requiſitis PRAESCRIPTIONVM*, partim conſentire, & partim diſſentire Leges & Canones.*

IN ſequentibus de PRAESCRIPTIONIBVS locis non pugnant LEGES & CANONES. CONSENTIVNT.

Primò conſentiunt in definitione. Vſucapio ſeu præſcriptio eſt ius, rem alienam meam faciens, quam præſcripto à Legibus tempore, bona fide & iuſto titulo continuè poſſedi. Hinc apparet, ſecundùm conſcientiam & ius Canonicum, partim etiam ex iure Ciuili, quinq; requiſita requiri ad Præſcriptionem.

I. Quia ad hoc, vt præſcriptio valeat, requiritur in vſucapione rei mobilis, de iure communi, ſpatium triennij: & rei immobilis, ſpatium decennij inter præſentes, & viginti inter abſentes.

II. Requiritur, vt BONA FIDE præſcribat: id eſt, exēpli gratia, non habeat rem alienam, aut vitioſam, aut alias, quæ à Legibus prohibentur poſſideri, ceu ſunt ſacræ, liberi homines, res pupilli, & cæt. Nā qui eiuſmodi MALA FIDE hæc poſſidet, etiam longo tempore nō vſucapit. l. vbi, ff. de Vſucapionibus, c. vigilanti, extra, de Prȩſcriptionibus. Et in lib. 6. de Regulis iuris dicitur; POSSESSOR MALAE FIDEI QVOVIS TEMPORE NON PRAESCRIBIT. Requiſita bonæ & legitimȩ prȩſcriptionis. NB.

Digitized by Google

Quapropter neceſſe eſt, ſi quis PRAESCRIBERE VELIT, vt poſſideat rem, quam credat eſſe SVAM, vel credat tradentem eſſe dominum, vel ius habere diſtrahendi, licet in FACTO ERRET. (ff de verb.ſig.bonæ fidei.) Hoc autem de ea præſcriptione accipio, quæ exigit aliquem actum poſitiuum; ſecus vbi nullum factum requiritur, vt in præſcriptione libertatis contra ſeruitutē ruſticam. Etſi enim ſciam me tibi debere ſeruitutem eundi; tamen ego poſſum præſcribere libertatem. Ita ſentit Panormitanus, c.fin.de pres.Idem dici poteſt de merè pœnalis actionis perſonalis præſcriptione. Neq; verò qui in IVRE ERRAT, hoc pacto præſcribere poteſt.l.nunquam, la.2.ff.de vſucapionibus.Quis enim dicat quempiam Poſſeſſorē eſſe bonæ fidei, qui CONTRA IVS POSSIDEAT? Videtur tamen is excuſari, ſi longi tēporis tenuit poſſeſſionē, vel probabilib. rationib. eā acquiſierit. Hoc innuit c.cùm Eccleſia Suterina, de ca.poſ. & propri. Hinc Canoniſtæ affirmant in c.Cura, de iure patron.quòd error mixtus, qui eſt iuris & facti, non tollat bonam fidem.

Dubium hîc oritur, de illo, qui tempore PRAESCRIPTIONIS habuit conſcientiam læſam, & poſtea incipit habere non læſam, nūquid interrūpatur præſcriptio? Et videtur quòd non: quia erronea fuit. Quare eā deponere debet.c.per tuas, de Simonia. & xi. q. 3. cui eſt illata.

Deinde, etſi adhuc dubitet, & habeat adhuc iuſtā cauſſā dubitationis, an res ſit ſua, nihilominꝰ dicitur poſſeſſor bonæ fidei, & vtitur fructibus: ff.de Vſuris.l. qui ſcit. Et licet habeat conſcientiam dubiā, non tamen læſam, in hoc caſu PRAESCRIBIT. Quia ignorat adhuc an ſit res aliena: cogitur tamē de ea ab alijs inquirere, vt perueniat ad veritatem, arg.37.diſtinct. §. vlt. & xxiij q.vlt. occidit.

Item, quid ſi Prælatus habeat malam conſcientiam ſeu læſam alicuius rei, quam poſſidet, licet Eccleſia ha-

Digitized by Google

beat BONAM FIDEM, nunquid tenetur dimittere illam? Conſultum eſt ne faciat, ſed ſignificet illi, ad quem pertinet vt petat. Sic enim purgabit conſcientiam ſuam, nec videtur fraudem facere ff. de neg. ge. l. at quæ natura. Sed ſi is veniat in iudicium, & petat, ac Prælatus confiteatur, nunquid præiudicat Eccleſiæ, quæ habet bonam fidem? Abſque dubio, Prælatus conſtitutus à Collegio ad defendendum, ſi cōfiteatur tanquam Syndicus in iudicio, præiudicabitur Eccleſiæ: quia tum ſuſtinet perſonam totius Capituli. Secus enim confeſſio Prælati præiudicaret Eccleſię: niſi fortè confiteretur de eo, quod ipſemet feciſſet. arg. xxv. q. 2. Poſtquam.

De ſequenti quæſtione variæ ſunt Canoniſtarum ſententiæ; de quibus æquo Lectori iudicium ſuum relinquo: An qui poſt completam præſcriptionem incipiat habere MALAM FIDEM, teneatur rem reſtituere vero domino? Affirmant nonnulli: Quia iam ſciat rem non eſſe ſuam: non dimittitur enim PECCATVM, NISI RESTITVATVR ABLATVM. in 6. de Reg. Iur. NONNVLLI negant, & muniunt poſſeſſorem vtroque iure; c. de quarta, & c. quoniam omne, de præſcriptionibus. Ergo iure videtur poſſidere; & per conſequens iuſtè & bene; vt xiv. q. 4 Quid dicam. Præterea, iura faciunt hoc meū, illud tuum. 8. Diſtinct. Quo iure. Nam cōditor Canonis vel Legis poteſt mihi dare rem alienam, & tutus ero. ff. de Euict. l. Lucius, & C. dè quadri. præſcriptione, l. bene à Zenone. Et ſic potuit inducere hanc præſcriptionem in odium negligentium. Quidam DOCENT, quòd quādocunq; habet quis conſcientiam rei alienæ, teneatur eam reſtituere, aliâs eum peccare. Alijs videtur, quòd non obſtrictus ſit eam reddere. Quia iam non eſt aliena, imò ſua, & iuſtè eam poſſidet, quia iure. xiv. q. 4. quid dicam. Sicut qui auctore Prætore poſſidet, iuſtè poſſidet. ff. de acquir. poſſeſſ. l. iuſtè. Alij dicunt, ſi emit rem ab eo, quem credebat eſſe dominum, quod non teneatur

NB. Diſceptatio pulcherrimæ quæſtionis.

Digitized by Google

tur reſtituere.xiv.q.1.quod docetur.

Tandem notandum eſt, ſi iure communi poſſint res poſſideri, quòd ſufficiat bona fides ad PRAESCRIBENDVM; quo pacto intelliguntur Canones. xvj.q 3. & q.4. per totum. Si verò de iure communi poſſideri nõ poſſunt ab eo, qui obijcit præſcriptionem, qualemcunque habeat bonam fidem, non præſcribit. Quia præſcriptio ius creatum aduocat: nouum autem ius non creat: vt c. diſ. contra morem, 93. diſt. illud. Sic IVS DECIMARVM non cadit in laicum; ideoq; nulla valet hîc Pręſcriptio. xvj.q 1.c.vlt.& q.3.§.poteſt,& q.7.c.1.

Vnica obiectio reſtat diluenda. Videtur enim quòd poſſidens MALA FIDE, id eſt, conſcientiam habens rei alienæ, PRAESCRIBAT. Nã eiuſmodi caſus occurrunt. xvj. q. 3. Placuit, & de Reſcriptis c.1. vbi præſcribit, qui certus eſt rem alienam eſſe. Reſponſio liqueſcit ex textibus ibid. nam ea conceſſerunt Canones in fauorem Eccleſiæ, & Catholicæ fidei. Sicut alia huius generis. 2. q.7. Si hæreticus.

Quæſtio. Theologica.

III. Requiſitum eſt, vt Præſcriptio nitatur iuſto titulo, (c. Si diligenti, de præſcriptionib.) id eſt, præbeat iuſtam CAVSAM poſſidendi: ceu ſunt tituli veri vel putatiui, quales ſunt modi acquirẽdi rerum dominia. Item tituli pro ſoluto, pro hærede, pro emptore; pro dote, pro ſuo, & cæt. Pro eo titul⁹ dicitur iuſtus, quia dat cauſam præſcribendi, licet in veritate non ſit iuſtus. Quia tunc præſcriptio non eſſet neceſſaria. Quocirca minus iuſtus titulus dat cauſam præſcribendi; ſi modò adſit BONA FIDES, vt credat titulum ſufficere, & eſſe iuſtum. Titulum autem neceſſariò ij habere debent, qui IVRE COMMVNI quippiam poſſidere nequeunt, vt laici decimas. Si enim carerẽt titulo, ſemper eſſent in mala fide. at qui capaces ſunt poſſeſsionis cuiuſdam, nõ opus habent titulo; præſertim in his caſibus. Primò, quando præſcriptio non eſt cõtra ius commune, per c.1. de præſcriptio-

Digitized by Google

ſcriptionib. lib.6. Huc pertinet l. quemadmodum, C. de agri.cenſ. & co. Secundò, quando non eſt in vſufructu præſcribendo. Quia licet ſit ius incorporale, l.1. in fi. ff. ad l.Falcid.& quædam ſeruitus in rebus alienis, l.1.ff. de vſufruct.tamen requiritur titulus in eo præſcribendo; aliâs non præſcriberet ſpacio x.vel xx.annorũ, vt probatur in l. fin. C. de præſcriptionib. long. temp. Quare aptè dicit gloſſa in l. corruptionem, C. de vſufructu; quòd ſi etiam vſusfructus in re mobili præſcriberetur, tamen actio perſonalis ad ipſam non tollitur triennio. Idem videtur dicẽdum in acquiſitione. Fructus tamen, qui capiũtur ex agro alieno, bona fide VSVCAPIVNTVR triennio. text. eſt not. in l.ſequitur, ff. de vſucap. Nam ibi non agitur de præſcribẽdo iure. Cùm verò capitulum Grauis, de reſtitutione Spoliatorum, iubet reſtituere fructus extantes, hac conditione intelligendum eſt, niſi poſſeſſor per triennium & bona fide poſſideret. Tertiò, quando non agitur de ſeruitute, per quam perſona obligatur, vel aſtringitur ad aliquod ſeruitium. Cùm enim quippiam graue ſit, neceſſariò requiritur in tali iure præſcribendo TITVLVS.

Si etiam allegetur præſcriptio tanti temporis, cuius contrarij non eſt memoria. c.1. de præſcription. nõ opus videtur eſſe titulo. Quam ob cauſam, in multis capitulis extra de Præſcript. nulla tituli fit mentio, ceu in c. de quarta. c. ad aures, & c. vlt. Nam tam diuturna poſſeſſio habet vim tituli. Quod de eo intelligo, qui capax eſt eam exercere, aliâs non. Vtcunque enim laicus actum exerceat ſpiritualem, vel alicuius Ordinis, nunquam poterit illum præſcribere. Hinc fama præbet iuſtam cauſam credendi, ceu ſi rumore peruulgatum eſſet, rem talem fuiſſe legatam olim, &c. præſcriptio in ſuo vigore permaneret.

IV. Requiſitũ eſt, ſi poſſeſſio inducere debeat præſcriptionem, vt præſcribens allegare queat POSSESSI-

Digitized by Google

ONEM, (quia ſine poſſeſſione Ciuili PRAESCRIPTIO NON PROCEDIT. in 6. de Reg. Iur.) & eam quidē CONTINVATAM. Nam ea ſi interrupta fuerit, non iuuat, quæ interruptio, vſurpatio dicitur. l. 2. ff. de vſucapionib. & c. illud. de Præſcriptionib. Si tamen interrupta poſſeſſio, ne quando poſſeſſor recuperat, eſt bonæ fidei, ſic præſcriberet, ea interruptione non obſtante. l. fin. C. de præſcrip. 30. annorum. Deinde poſſeſſio hæc propria eſſe debet, non aliena. Nam qui alieno nomine poſſident vt coloni, & qui precariò, & alij huius generis, non propriè poſſident, ſed hi, quorum nomine poſſident. c. cùm veniſſent, de Reſtitut. Spoliatorū, & in gloſſ. c. clerici. xvj. q. 3.

Quæris, qualis requiratur Poſſeſſio ad inducēdam præſcriptionem? Reſpond. CIVILIS, id eſt, vt ſit talis perſona, quæ poſſit legitimè de iure communi poſſidere, idque ad acquiſitionem rei vel iuris. Vbi verò præſcriptio inducitur ad extinguendum ſolummodò ius alterius, & ad defenſionem contra ius alteri congruens, tunc tali defendenti non opus eſt ciuilis poſſeſſio, vel quaſi. Aliâs enim ſequeretur, quòd non præſcriberentur actiones perſonales, contra id, quod habetur in l. 2. C. de conſti. pecun. & l. Sicut, C. de præſc. 30. annor. Quia nemo eam verè poſſidet, niſi is, cui verè competit. Præterea, ad vſumfructum præſcribendum non requiritur CIVILIS POSSESSIO, ſed ſufficit naturalis ſeu corporalis. l. fi. ff. de acqui. poſſeſ. Notandum etiam, quod poſſidens bona fide, & vendens ſub conditione, non interrumpat poſſeſſionem. Quare ſi deficiente conditione venditio reſoluatur, priora tempora cum poſterioribus continuare poterit.

B. hanc ... actio... ...m.

V. Requiritur, ne res ſit VITIOSA, id eſt, furtiua, aut vi poſſeſſa. Aliæ enim omnes res, omnia iura, omneſque actiones præſcribi poſſunt, c. ad aures, de Præſcriptionib. At ijs multæ obijciūtur exceptiones: mul-

Digitized by Google

ta enim ſunt, quæ præſcribi non poſſunt.

De rebus furtiuis & malo titulo acquiſitis, hoc notatur in Inſtitution. de vſucapionib. §. quòd autem: ꝙ nullus alius, quamuis à furibus & violentis poſſeſſoribus bona fide emerit, vel ex alia cauſa acceperit, VSVCAPIENDI IVS habeat. Vbi hoc obſeruare operæpretium eſt, quòd in re mobili oporteat iuſtum titulū interuenire à principio; aliter enim non præſcriberetur. Quia ſine titulo contra voluntatem domini contrectans, furtum committit. Et hoc modo furtiua eſt. Secus fit in re immobili. Quamuis enim mala fides fuerit in primo, poteſt tamen per alios præſcribi ex corū bona fide. Ideo nunquam RES IMMOBILIS in CONSCIENTIA poteſt RETINERI, QVANTVMCVNQVE PER LONGVM TEMPVS SIT POSSESSA ETIAM BONA FIDE: niſi qui habuit eam à principio, habuerit cum titulo. Et in rebus mobilibus non facilè procedit, vt bonæ fidei poſſeſſori vſucapio competat.

Quærūt hîc nonnulli, an qui emit rem alienā, eam queat vſucapere? Hoc verò nulli dubiū eſt: nam ipſam venditor vt ſuam alienauit. Ex præcedentibus etiā facile eſt reſpondere ad hoc, an vſucapio procedat, ſi quis credat ſe quippiam emiſſe, cùm tamen non emerit: nam facilè eſt hîc videre, cum errore proprij facti ſibi vſucapionem adimere, quam ſibi vendicat errans ex facto alieno: vt ſi hæres credat defunctū rem emiſſe, licet non emerit: quia eſt probabilis ignorantia, l. fi. ff. pro ſuo, & l. qui in alterius, ff. de Reg. Iur. Solutio dubitationis.

SECVNDÒ, has ſequentes res non PRAESCRIBI poſſe, docēt LEGES & CANONES. I. Iura ſpiritualia, eiſq; annexa. II. Limites Epiſcopatuum, Parochiarum, & prouinciarum. xvj. q. 3. licet inter. III. Liber homo pro ſeruo poſſeſſus. ibid. IV. Penſiones agrorum, vel fundus à colono. ibid. & C. de prēſcriptionib. 30. vel 40. annorum, l. malè agitur. V. Via publica ex nō vſu populi.

puli. l. viam, ff. de via publica. VI. Iura ciuitatum ad publicum vſum deſtinata. C. de aquæductu, l. diligenter. VII. Tributa, & alia regalia Principum. l. comperit Serenitas noſtra. C. de præſcriptionibus 30. annor. VIII. Res per Canones & Leges alienari prohibitæ. IX. Res precario nomine obtentæ, & nomine alieno poſſeſſæ. cùm veniſſent, de Reſtitut. Spoliat. item, res oppignoratæ non poſſunt præſcribi à creditore & vſufructuario. X. Res emptæ à prodigo, luxurioſo, aut luſore, quibus interdicta eſt bonorum adminiſtratio. XI. Res ignorantis (habitu & actu) jus ſibi competere. XII. Res excommunicati: nam impeditus eſt à Lege; ſi tamen non eſt in mora petendæ abſolutionis.

Tertiò, per præſcriptionem transfertur dominium, non tamen ipſo iure, ſed ope exceptionis: obijcitur enim exceptio præſcriptionis domino petenti rem præſcriptam. Item, ſi præſcribens poſſeſſionem rei præſcriptæ caſu amiſerit, poſt præſcriptionem completā, parit vtilem rei vendicationem. l. ſi quis emptionis. C. de præſcriptionib. 30. vel 40. annorum. Ratio autem, quare in vſucapione dominium ipſo iure transfertur, & datur rei vendicatio directa, hæc eſt, quia mobiles res vſucapiuntur, quamdiu eſt vilis, & facilis dominij tranſlatio: in præſcriptione autem ſunt res immobiles, quæ ſunt pretioſiores: ideoque ipſarum dominia non tam facilè transferuntur ipſo iure, ſed ope exceptionis. Quibus modis interrūpatur præſcriptio, vide gloſ. in c. illud, in verbo, interruptio, extra, de Præſcriptionibus.

DISSENTIVNT. Iam in ſequentibus Punctis DISCREPANT LEGES & CANONES.

Primò, de iure Civili malæ fidei poſſeſſores rem per 30. vel 40. annorum ſpatium PRAESCRIPTAM ſibi vendicant. Vide in C de Præſcriptionib. At ſecūdùm ius diuinum, ſine peccato mortali, laicus malæ fidei poſſeſ-

poſſeſſor talem rem præſcribere & retinere nõ poteſt. xiv.q.6.c.1. Ideo qui præſcribit, debet bonam fidem habere, ſiue res, quam præſcribit, vel ſpiritualis ſit, vel ciuilis, ſecundùm iura Canonica. c. finali extra de Præſcriptionibus. Cauſa huius Legum & Canonum diſcrepantiæ hæc eſt. Lex conſiderauit negligentiam non petentis rem ſuam. c. vigilanti, de Præſcriptionib. Sed Canon conſiderauit peccatum præſcribentis mala fide; quod non excuſat negligentiam non petentis rem ſuam. Ideo nulla valet præſcriptio, ſiue Ciuilis, ſiue Canonica, quæ ſine peccato mortali conſeruari non poteſt.

SECVNDÒ, de rebus furtiuis & vi poſſeſſis ita differunt Leges & Canones. Aut fures, ſiue violenti poſſeſſores ipſi poſſident: & nunquã poſſunt vſucapere, maximè ſecundùm ius Canonicum: quia ſunt malæ fidei poſſeſſores. c. poſſeſſor. de Reg. Iur. in 6. Aut quidam acquiſiuit ab eis, & diſtinguitur: aut mala fide acquiſiuit, id eſt, ſciens rem furtiuam vel vi poſſeſſam emit, & quoque non præſcribit ſecundùm Canones, per dictum c. poſſeſſor: aut bona fide acquiſiuit, id eſt, putauit alienantem dominum eſſe, & ſpatio 30. vel 40. annorum præſcribit de iure Codicis, non autem Canonici. l. omnes, & l. ſicut, C. de Præſcriptionib.

TERTIÒ, hinc exoritur quæſtio, an tutus PRAESCRIPTIONE teneatur in foro animæ reſtituere rem præſcriptam, cùm comperit eam eſſe alienam? Multi Canoniſtæ in negantem partem propendent, in c. vigilanti, & vlt. de Præſcriptionibus. Quidam Theologi affirmant: nam cauſam præſcribendi non omnino ad æquitatem ſufficientem eſſe autumant: concedũt autem, in foro contentioſo non teneri. Alij verò indiſtinctè affirmant.

QVARTÒ, Succeſſor vniuerſalis non PRAESCRIBIT de IVRE CIVILI, ſi defunctus habuit malam fidẽ,

etiam ſine violentia. Quia defunctus & hæres cenſentur vna perſona iuris fictione, text. eſt in Auth. de iur. à mo. præſt. in princip. Col. v. Hinc ſi defunctus mala fide poſſedit rem per octo annos, & poſt mortem eius hæredes per bienniũ bona fide, neſcientes ſcilicet rem alienam eſſe, poſſederint, præſcriptio completa non eſt, propter malam fidem defuncti. CONTRA ſentit Gloſſa, in c. de quarta, de Præſcriptionib. & alibi in c. tua, de Iure Patrona. quod de AEQVITATE CANONICA, ſi eſt bonę fidei poſſeſſor, & in perſonam ſuam inchoat præſcriptionẽ, ritè PRAESCRIBAT. Si enim hæredes poſt mortem defuncti, (exempli gratia) decem annis rem quampiam continuè & bona fide poſſediſſent, tum præſcriptionem completam eſſe aſſerunt: nam poſſeſſionem patris malæ fidei, in hoc tempus nõ computant. Panormitanus & alij arbitrantur, quòd ſucceſſor ſeu hæres non præſcribat: & cõcludunt, cùm nõ habeamus ius Canonicũ, in hoc caſu pugnans cum iure Ciuili, ab hoc non recedendum eſſe. In hoc autẽ caſu expreſsè Leges corriguntur per Canones. Leges enim non curãt malam vel bonam fidem hæredis, ſed tantùm defuncti: ideo ſi defunctus nouem annis prædium aliquod bona fide, & iuſto titulo poſſediſſet, & poſtea hæres eius vno anno cum mala fide, ſciens ſcilicet prædium alienum eſſe, nihilominus præſcriptio completa eſſet. At Canones æquè requirunt continuari præſcriptionem bona FIDE per hæredem, ac per defunctum, c. vlt. de Præſcriptionib.

QVINTÒ, ſecundùm Leges ciuiliter & naturaliter interrumpitur præſcriptio. At ſecũdùm Canones ſeu conſcientiã, ea interrũpitur quomodocunq; quis conſtituatur in mala fide, ante completã præſcriptionem.

SEXTÒ, Legiſtæ dicunt, nullum fore præſcriptionis vſum, ſi is, contra quem præſcribitur, petere queat reſtitutionem. At ſecundùm CANONES (in foro conſcien-

ſcientiæ) multum valet:nam is, qui præſcripſit,non tenetur rem reſtituere, niſi petatur: & ſi non petitur in tempus debitum,iam amplius non tenebitur,etiam ſi petatur.

Septimò, Ius Ciuile in introductione præſcriptionis reſpexit ad ius naturale, quo cōmunem ſocietatē ſeruare tenemur: illa enim conſeruari non poſſet, niſi certus terminus litibus eſſet præſcriptus. Ideo ſi quis intra terminum, à iure præſcriptum, res ſuas non petierit, cenſetur eas habere pro derelicto,& earum oblitus eſſe: quia tempus inducit obliuionem, obliuione autem amittitur dominium. c. vigilanti, extra de Præſcriptionibus. At præſcriptio de Iure Canonico nō ſolùm introducta eſt in odium negligentis, ſed etiam propter bonū & æquū. xvj.q.3 §. poteſt: ne dominia rerum ſemper eſſent incerta.ff de vſucapionib. l. 1. Præſcriptionem autem, licet diuturnam,ob malam fidem ideo reſcindunt Canones,quia præſcribens non excuſatur à peccato per legem Ciuilem. Ideo Canon voluit propter periculum animarū in hoc caſu Leges corrigere, quę licet in iudicio ſeculari contra Canones in hoc caſu pronuntiant: tamen ob conſcientiam magis ſtandum eſt Canoni, quàm Legi. Et hoc eò magis,quòd etiam cum iure naturali pugnat, aliquem per præſcriptionem ditari cum aliena iactura; vt extr. de pœn. c. ſuam,& ff de condi. inde.

Nota, quæ dixi de Præſcriptionibus, quæ in rebus immobilibus verſantur, intelligenda ſunt etiam de vſucapionibus, quarū vſus in mobilibus conſiſtit.

CAPVT XXXV.

De DONATIONIBVS *in genere, & Eccleſiaſticorum in ſpecie, nullam eſſe inter Leges & Canones diſcrepantiam.*

COnueniunt Leges & Canones in hiſce de DONATIONIBVS (quæ ſunt meræ liberalitates, nullo iure cogente conceſſæ. l. donari, ff. de donationibus) punctis.

I. Donationes ſunt duplices, impropriæ, & propriæ ſiue abſolutæ. Improprię diuiduntur in donationes ob cauſam, & donationes conditionales. Prioris ſpecies ſunt ſponſalitia largitas, & donatio propter nuptias. Poſteriores dicuntur, donationes cauſa mortis. Proprię donationes dicuntur inter viuos, cùm quis ex mera liberalitate, purè, ſine aliqua conditione, vel cauſa dat, vel permittit, vt ſtatim velit accipientis fieri, nec vllo caſu ad ſe reuerti. l. 1. ff. de donationib.

II. Donatione ſimplici vel cōditionali donare nō poſſunt inter viuos, omnes, qui non habent liberam adminiſtrationem rerū, quas volunt donare; ceu ſunt furioſi & amētes. xv. q. 1. & l. Iulianus, ff. de cura. fu. prodigi, minores xxv. annis, filij familiâs, omnes qui nihil habent proprij. xij. q. 1. non dicatis, vxor, ſi non habet vltra dotem, in eleemoſynam, Rei criminis læſæ Maieſtatis, hęretici, contrahentes inceſtas, nefarias, inutiles & prohibitas nuptias, res cadentes in commiſſum, condemnati de crimine capitali, milites meretricibus vel concubinis volentes donare. Alij non poſſunt donare propter legitimam cauſam, vt ſunt qui fœminis donant pro meretricio, nec viſitatoribus, aut iudicibus delegatis Eccleſiaſticis donari poteſt. c. fin. de officio delegati, lib. 6. Non poſſunt etiam aliqui donare ob damnum aliorum, ceu qui non ſunt ſoluendo creditoribus. Summatim dicendo, omnes qui non tenent rerū dominium, aut id perdiderunt, donare non poſſunt. Hinc etiam quilibet Prę lati religioſi, nihil donare poſſunt, niſi habeant liberam adminiſtrationem: (Diſtinc. 54. Abbati) aut per ſtatuta, aut conſuetudines aliter caueatur. arg. l. prohibere autem. §. non tantùm autem, ff. Quod

Digitized by Google

ff. Quod vi, aut clam. De his quæ fiunt à Prælatis, c. ea noſcitur.

Hoc etiam de Epiſcopis peculiariter notare conuenit, ipſis vigore Canonum conceſſum eſſe, quinquageſimā partem redituū, quos percipiūt de Eccleſia, donare poſſe ad exſtructionē Monaſterij: Eccleſiæ verò ſeculari, quā Monaſticis inſtitutis volunt exornare, vel pro ipſorum ſepulturis ditare, centeſimam partem dare, extra de Donationibus, c. Apoſtolicę Sedis. Et hoc poſſunt facere ſine conſenſu Capituli. Sufficit enim à iure ſemel conceſſum fuiſſe ff. de condi. inſti. quæ ſub condit & c. paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Cap.

Quidam Canoniſtæ ad haſce Epiſcoporū donationes requirunt etiam Capituli conſenſum, argumento, c. Si Epiſcopus. xij. q. 2. Nam regulariter in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum ſemper requiritur conſenſus Capituli, c. paſtoralis. extra de donationib. & xij q. 2. ſine exceptione. Si de conſenſu Capituli factæ ſunt iſtæ donationes, aiunt Canoniſtæ eas poſt mortem Epiſcopi per ſucceſſorem reuocari non poſſe. Secus autem eſſe, ſi fiant abſq; conſenſu Capituli.

III. Donatio ſemel perfecta nō reuocatur etiā prætextu Imperialis reſcripti, C. de reu. donat. l. ſi donationē, & l. vlt. & xxij. q. 2. nō enim. Nec ex ſola pœnitētia reuocatur. C. eod. l. poſſeſſ. Nec recipit conditionem poſtea perfecta donatio. C. de dona. quæ ſub. mo. l. perfecta. In caſibus tamen reuocatur propter ingratitudinem. Vnde diſtinguendum videtur. Aut quis donat liberto, aut extraneo. Si liberto, reuocatur donatio ſola ratione obſequij non pręſtiti. Quod mirum videtur. Nam reuocantur res emptæ ex pecunia donata. C. de reuoca. dona. l. 1. Sed libertas non reuocatur, ſolo obſequio nō præſtito. C. de lib. cau. ſolo. Sed propter eaſdem cauſas, quibus donatio reuocatur, libertus Eccleſiæ in ſeruitu- NB.

Digitized by Google

tem reuocatur.xij.q.2.octaua diſcuſſio. Et in Authent. vt liberti de cætero aureo annulo non egeant, §. illud. Collat.6. Reuocatur etiam donatio tota, propter liberos ſuſceptos à patrono.C.de reuoca.dona.l. ſi vnquã, & xvij.q.vlt.c.vlt.Sed hoc conceditur IVRE POLI, non IVRE FORI: aliâs autem totam nõ reuocat. C.de inof. dona.l.ſi totas.Si autem in extraneum collata ſit donatio, reuocatur ex ingratitudine. Cuius quatuor cauſæ notãtur per Canones,c. vlt.extra de donationib. & Leges,C.de reuo.dona.l.vlt.nempe ſi(I.) donatarius impias manus in donatorem iniecerit, ipſum vulnerãdo: vel(II.)atrocem iniuriam ei intulerit,vt pote eum vulnerando, vel fuſtibus cedendo:ſiue(III.)graue damnũ rerum ſuarum, vel(IV.)periculũ vitæ inferre præſumpſerit. Quibus addo quintam,ſi conditionem appoſitã non adimpleuerit,arg. c cùm dilecti, extra de Donat. & C.de reuo.do.l. vlt. Si verò mater filio donationem faciat,& poſtea tranſeat ad ſecundas nuptias, ex tribus tantùm cauſis eam donationem poterit reuocare;puta ſi eius vitæ inſidias ſtruxit: ſi ei atroces manus intulerit: ſi totius illius ſubſtantiæ molitus eſt facere iacturam. C.de reuo.dona.l.hæ quoq;:& in Auth.de nupt.Collat. 4.§.mater. Aliter non fit reuocatio.

DISSENTIVNT.

Tranſitio ad futuram tractationem.

De modis acquirẽdi rerum dominia SIGILLATIM iam dictum eſt; exceptis Fideicommiſſo ſingulari, & legatis,quæ in ſequẽtibus modis, quibus PER VNIVERSITATEM rerum acquirimus dominia, cõmodius tractabuntur; per quæ vniuerſa bona alicuius nobis adijciuntur: quod fit aditione hæreditatis, agnitione bonorum poſſeſſionis,arrogatione. Aditio autem hæreditatis fit duobus modis, aut ex TESTAMENTO, aut ab INTESTATO.Ratio igitur ordinis poſtulat, vt primùm de Teſtamentis,& de reliquis,poſteriori loco,pro mea tenuitate, LEGVM & CANONVM CONCORDIAM aut DISCORDIAM,explicem.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

Vndecim ANTINOMIAE *Canonum & Legum, circa Tractationem* TESTAMENTORVM, *&* HAEREDITATVM, *quæ Clericos concernũt: At in alijs Theorematibus nullam eſſe diſſenſionem.*

SOlennitates TESTAMENTORVM multas variaſq;, quas LEGES ſanciunt, CANONES non curant. Nam eorum diſpoſitio longè abhorret à iure Ciuili, quod ex ſubiũctis ANTINOMIIS planum fiet.

I.

Iure Canonum, non niſi duorum teſtium, & vnius Parochi præſentia opus eſt ad id, vt teſtamentum valeat. c. cùm eſſes, extr. de teſtam. Vide ibid. Couarruuiam cum multis allegationibus. At Leges teſtium rogatorum ſeptenarium numerum, (l. hac cõſultiſſima, C. qui teſtamẽta fac. poſſ. & l. ſi vnus, & l. cùm antiquitas, eod.) eorum ſubſcriptionem, Cod. eod. & ff. eod. l. ſingulos teſtes, & Notarij præſentiam in teſtamento nuncupatiuo requirunt. l. in donationibus, C. de Donationibus.

II.

Extenditur hęc iuris Canonici diſpoſitio vſque eò, vt abſente Parocho etiam quatuor teſtes LAICI ſufficiãt. Numerus enim duorum teſtium ſuperadditus, ſupplet defectum Parochi. Ita ſentit Speculator in tit. de Inſtrument. edit. §. compendioſæ, poſt numer. xij. Iaſon, in l. hac conſultiſſima, col. 2. verſ. ſed dubium, C. de Teſtam.

III.

In ditionibus Romanæ Eccleſiæ, iuri Canonico: in terris verò Imperij, LEGIBVS ſtandũ hac de materia, Canoniſtæ ſentiũt; iuxta eorum vſitatam regulam: Vbi ius Canonicum A CIVILI DISCREPAT, QVODLIBET IN

SVO

SVO FORO SERVANDVM EST, NISI PECCATVM CONTINEAT ID, QVOD IVS CIVILE PRAECIPIT. c. Duo ſunt, cum c.ſeq. Diſtinct. 96.

IV.

Teſtamẽtum ad PIAS CAVSAS dicitur illud, in quo teſtator aliquid reliquit pro ſalute animæ ſuæ, puta Eccleſijs, Monaſterijs, captiuis, pauperibus, hoſpitalib. & alijs MISERABILIBVS PERSONIS. Ita ſentit Baldus, ad Authent ſimiliter, num. 2. cum ſeqq. C. ad l Falcid. c. requiſiſti, verſ. nec eſt contrarium, ext. hoc tit. c. 2. ſup. de conſuetud. l. nulli, 28. l. ſi quis ad declin. C. de Epiſc. & Cleric.

V.

Eiuſmodi teſtamentum, ad PIAS CAVSAS factum, à ſolennitatibus tam iuris Ciuilis, ſiue in foro Eccleſiæ, ſiue etiam Imperij, quàm COMMVNI FORMA Iuris Canonici, exemptum eſt. Et id ob eam rationem, quia diſponere ſeu iudicare de cauſis pijs, & Eccleſiæ commodo ac fauore, iuris Canonici ſit, non Ciuilis (c. Eccleſia S. Mariæ, ext. de Conſtitutionib.) Proinde iure Canon. ſicut in alijs omnibus rebus Eccleſiæ, non CIVILI, in teſtamentis, ad commodum & fauorem Eccleſiæ, ſeu miſerabilium perſonarum conditis, vtendum eſt. c. 2. decernimus. c. quanto, eod & c. ſolitæ, de Maioritate & obedientia. Atque hanc ſententiam, contra Iaſonem & alios, tuentur Bartolus & Baldus, in l. 1. C. de SS. Eccleſijs: Iulius Clarus, de Teſtament. Sylueſter in verbo, Teſtamẽtum 1. num. 4. & 7 Couarruuias in c. relatum, ext. de teſtament & alij ab eo adducti. Cum quibus facit leg. ſi quis ad declinand. C. de Epiſcopis & Cleric. l. 1 C. de Sacroſanct. Eccleſijs. Si enim in leg. conſultiſſima, C. qui teſtamenta fac. poſſunt, teſtamentum inter liberos à ſolennitatibus iuris Ciuilis eximitur; ergo multo magis teſtamẽtum pro anima teſtatoris, quæ charior nobis liberis noſtris eſſe debet, excipietur.

VI.

Digitized by Google

VI.

Modò dictum teſtamentum ad PIAS CAVSAS hanc ob cauſam à iure Ciuili recedit, quia ſeptennario teſtium numero non eget:& à Canonico, quia ſine Parochi præſentia conſtitui poteſt. Vide c. cùm eſſes, & c. relatũ, extra de Teſtament.

VII.

Filiofamiliâs cuiuſcunq; ætatis exiſtenti, etiam cum conſenſu parentis, teſtari & codicillari interdictum eſt de iure CIVILI. l. ſenium, C. qui de teſtam. fac. poſſ. l. qui in poteſt. l. Si filiusfam. ff. eod. Item, l. diui, ff. de iure Codicil. l. 2. ff. de legatis, & cæt.

At de iure Canonũ, filius familiâs ad PIAS CAVSAS teſtamentum & codicillum, cum conſenſu parentis, (c. licet de ſepulturis, in 6. & Couarruuias 3. parte rub. ext. de Teſtam. n. 45.) item & cauſa mortis donationem, optimo iure, perficit. l. tam is. ff. de mortis cauſ. donat. l. filius famil. §. 4. ff. de donationibus.

VIII.

Lege xij. Tabularũ generaliter omnib. patrib. famil. permiſsũ erat teſtamenta cõdere, vt & de iure Ciuili teſtãdi ius omnib. cõpetit. l. verbis legis, ff. de verb. ſignif. CONTRA A CANONIBVS ſtatuitur, Monachos, Moniales, cùm ingreſſu Monaſterij ſe, ſuaq; Deo dedicent, eumq; rerum domini amplius non ſint, diſponere de ijs, quoquo modo, non poſſe. Auth. ingreſſi, C. de SS. Eccleſ. gloſſ. in c. 2. ext. de teſtam. Item Auth. Nunc autem, C. de Epiſcopis & clericis.

IX.

Reliquæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quę paupertatis voto non tenentur, (item & Eremitæ, qui propria bona habere poſſunt) ſuprema iudicia (gloſ. in c. qui verè, 16. q. 2.) de ijs, quæ aliunde, quàm ab Eccleſiaſticis beneficijs ſibi comparârunt, pro placito inſtituere queunt. l. Sacroſanctæ. Auth. licentiam. Auth. Preſbyteros, C. de Epiſc. & Cleric. c. quia nos, ext. de Teſtament. Cæterùm

Digitized by Google

XI.

Hæredibus interdicitur quicquid relictum eſt, ſi voluntatem defuncti nõ impleuerint, de iure Canonico. c.Si hæredes, extr. de teſtam. At de iure Ciuili, ad minus LEGITIMA priuari non poſſunt. Authent. de hæred. & l.Falcid.§.primum,& §. Si quis, Collat.I. At alia Authẽtica ſtatuit,(de Eccleſ.titul.§.Si quis autem, Collat. IX.) quòd hęres relicta ad pias cauſas conferre differens, totam hæreditatem amittere debeat.

Reliqua, quæ vulgò à Iuriſperitis de teſtamentis tractantur, à Canonibus non IMPROBANTVR. Quamobrem eæ ſolẽnitates in VTROQVE FORO ad vnguem obſeruandæ erunt. Si enim vel vnica, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter neglecta erit, teſtamentum corruet, exceptis hiſce, quas modò adduxi, diſcrepantijs.

Eas ſolennitates hîc pauciſſimis attigiſſe ſufficiat. Nã teſtamentum aut eſt nuncupatiuum, id eſt, ſine ſubſcriptione teſtium, & alijs ſolennitatibus, quæ requiruntur in teſtamento in ſcriptis facto: nam id coram teſtibus, & conditionibus legitimis nuncupat hæredem, & teſtantis explicat voluntatem: aut eſt in SCRIPTIS, quòd multa requiſita exigit: nempe vt ſeptem legitimi teſtes ſint rogati vnà cum tabellione: nomina legatorum, & perſonæ, quibus ea competant; & INSTITVTIO HAEREDIS exprimantur coram teſtibus: vt teſtes ſubſcribant, ſubſignent, & etiam tabellio, vno & eodem tempore ac loco: vt tales interſint teſtamento conficiendo perſonæ, quibus TESTARI, TESTIMONIVM FERRE, & HAEREDITATIS CAPACES ESSE, per Leges & Canones ſpecialiter non ſit interdictum. Hæc & alia de teſtamentis peruulgata dogmata, diffuſius explicare omitto; nam ex Practicorum libris ſunt notiſſima.

Quocirca ad alia, quæ magis concernunt inſtitutum noſtrum,
propero.

Digitized by Google

CAPVT XXXVII.

De SVCCESSIONIBVS & HAEREDITATIBVS in genere, & CLERICORVM in ſpecie.

I.

AN liceat exhæredare filium, vt pater Eccleſiam faciat hæredem, controuertitur in Legibus & Canonibus. Totius controuerſiæ deciſio his verbis conſignata eſt. c. quicunque.xvij q.4.(Verba ſunt D.Auguſtini:) Quicunq; vult,
„ exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat
„ alterum qui ſuſcipiat,non Auguſtinum:imò Deo pro-
„ pitio neminem inueniet. Quàm laudabile factum S.
„ Aurelij Carthaginenſis Epiſcopi. Quidam enim cùm
„ filios non haberet,nec ſperaret:res ſuas omnes (reten-
„ to ſibi vſufructu)donauit ECCLESIAE. Nati ſunt ei filij
„ nec opinanti,reddidit Epiſcopus ea, quæ donauerat: in
„ poteſtate habebat Epiſcopus NON REDDERE: SED IVRE FORI, NON IVRE POLI. Quaſi dicat, ad hoc non cogebatur iure actionis, ſed quadam NATVRALI AEQVITATE. Vbi videtur Lex corrigi per Canonem. At obijcis, nónne filius natus iure communi poteſt reuocare legitimã portionem ſuã, ſi pater omnia bona ſua donauit:vt C.de inoffi. dona. l.ſi totas.Nam ſi aliquis liberto ſuo dedit bona ſua, cùm crederet ſe non habiturum filios;nunquid filius poſtea natus, non ſolùm partem,ſed etiam totum reuocabit?vt C. de reuoca. dona. l.ſi nunquam. Reſpondeo, verum eſt; ex hoc Canone colligunt quidam, quòd Eccleſia non cogitur totum reddere,ſed tantùm LEGITIMAM PORTIONEM.

Reſponſio ad dubitationem.

II.

Conſentiunt Leges & Canones, quatuordecim de cauſis parentes liberos, & hos illos, octo ob rationes exhæredare poſſe: quæ fusè recitantur in Authenticis, vt cùm

vt cùm de Appellatione cognoſcatur, Collat. 8. §. aliud quoque, & §. ſi verò contigerit. Additur ibi quippiam, quod & auctoritate Canonum firmatur; nempe, ſi filius patre exhæredato inteſtatus moriatur, ei ECCLESIAM SVCCESSVRAM.

III.

In his ſequentibus de HAEREDITATIBVS & HAEREDIBVS punctis conueniunt Leges & Canones.

CONSENTIVNT.

PRIMÒ, hæreditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit tempore mortis. l. nihil. ff. de verb. ſignificat. & extra, de Succeſſionib. ab inteſtato.

SECVNDÒ, de VTROQVE IVRE triplex eſt ratio hæredum. Prima eſt deſcendentium, vt filiorum, filiarũ, nepotum, neptum, &c. qui ſui hæredes dicuntur, & excludũt omnes alios. Si ſunt primi gradus, multi æqualiter ſuccedunt. Si verò ſunt nepotes & vlteriores, SOLVM SVCCEDVNT IN STIRPES. (id eſt, plures tantum acciperent, quantum vnus; vt ſi extarent duo filij, & tres nepotes ex filio præmortuo, diuideretur hæreditas defuncti in tres partes, quarum quilibet filiorum vnam haberet, & tertia pars inter nepotes defuncti filij diuiditur. Succeſſio autem in CAPITA dicitur fieri, quando hæreditas diuiditur ſecũdùm perſonarum numerum) Nec refert, ſiue in poteſtate parentum, ſiue emancipati fuerint. §. Si quis igitur, in Authen. de hæredit. ab inteſt. venien. Coll. ix. Secunda, ſi defuerint deſcendentes, habetur ratio aſcendentium, vt parentum vtriuſque ſexus, ſecundùm graduum prærogatiuam, vt ſcilicet pater præferatur auo, &c. Tertiò habetur ratio Collateralium, dicto §. Si quis igitur. l. 2. in eod. tit. in Auth. Collat. ix.

Quid ſit ſuccedere in STIRPES, & CAPITA.

Hiſce tribus ordinibus non exiſtentibus, præferuntur qui gradu ſunt proximiores defuncto: & ſi pares ſunt, pariter admittũtur. C. de legi. hæred. autem poſt fratres. Et extenditur hæc computatio vſque ad DECI-

mvm gradvm, & vltra etiam, vt habetur xxxv.q.v. ad Sedem, licet Lex Ciuilis tãtùm decimi gradvs mentionem faciat. Et in hac ſucceſſione tam aſcendentiũ, quàm deſcendentium ſeu collateralium, ceſſat omnis differentia, tam sexvs, qvam emancipationis.

Iſtis autem tribus gradibus deficientibus, veniet vir ad ſucceſſionem vxoris, & vxor viri. vt C. vnde vir & vxor. l. vnica. Si verò eſſet pactvm, vel statvtvm, aut consvetvdo contra omnia, vel aliquid prædictorum, illud ſeruandum eſſet, ſi tale eſt, quod ivri queat derogare commvni.

Quis Clericis svccedat.

Tertiò, Clericus ab inteſtato mortuus, aut propria bona reliquit, de quibus liberè poterat diſponere, & in talibus ſuccedunt agnati. Si verò non habet, svccedet Eccleſia, cui ſeruiebat tempore mortis, vel altare, ſi ſolum ſeruiebat altari, quod habebat bona diſtincta ab Eccleſia, ipſi altari deputata; vt notatur in xij. q. vlt. c. vlt. & in Authentic. de ecclesiasticis titvlis, §. Si quis Epiſcopus. Fallit hoc in Preſbyteris, ex ſeruitute promotis ad ſacerdotium cum cõſenſu dominorũ. Quia de eorũ bonis, ſi ab inteſtato decedunt, fiunt quatuor partes; quarum vna Epiſcopo, altera Eccleſię, tertia pauperibus, & quarta cognatis aſſignabitur. Et ſi non ſunt idonei, vtputa hæretici. xxiv. q. 2. ſanè. Epiſcopus in vſum Eccleſiæ diſtribuet, vt in c. 2. de ſucceſſionib. ab inteſtat. Nec abrogatum eſt hoc decretum, vt ibi DD. communi conſenſu aſſerunt, cõtra gloſſam. Si verò ſunt bona Eccleſiæ, de quibus diſponere Clerici non poſſunt, ſuccedit Eccleſia. vt in c. 1. de ſucceſſionibus ab inteſtato, & c. 1. & c. relatum, & c. requiſiſti, de Teſtamentis.

NB.

Qvartò, Si aliàs legitimus hæres, quoſdam in captiuitate, quibus ſuccedere deberet, mori permitteret per ſuam negligentiam, hæreditate priuaretur. Auth. vt cùm de Ap. co. §. cauſas.

Qvin-

Digitized by Google

QVINTÒ, Hæres inſtitutus ſolùm in certa re, (qui propriè non dicitur hæres, ſed legatarius, l. quoties, C. de hæredibus inſtituendis) poteſt adire totam hæreditatem, ſi non alius datus ſit hæres, l. 1. §. ſi ex fundo, ff. de hæredib. inſtituendis. CONSENTIVNT Theologi & Canoniſtæ in c. quia ingredientibus, de Teſtamen. in foro animę idẽ ſeruari debere: nam IVS HVMANVM, NON CONTRARIVM DIVINO, eſt obſeruandum in CONSCIENTIA. Addunt autem hanc limitationem, ne per legatarium doloſè teſtator ſit perſuaſus ad eum in certa re inſtituendum, & quod non haberet regreſſum ad alia bona.

SEXTÒ, an hæres teneatur ex delicto, vel quaſi delicto defuncti, diſtinguitur per DD. Nam actio aut eſt pœnalis ex vtraque parte, ceu cùm pœna, quæ petitur, applicanda eſt parti. Nam tam ex parte rei, quàm actoris, eſt pœnalis. Et ſic non tenetur aliquo iure. Si verò eſt actio pœnalis ex parte rei, & perſecutoria rei ex parte actoris, velut cùm ago pro ſatisfactione damni mei, & ſic de IVRE CIVILI, ſi delictum fuit cõmiſſum circa contractum, qui quidem contractus tenuit, ſic tenetur hæres. Quia non fundatur intẽtio actoris immediatè ex delicto, ſed ex CONTRACTV; puta, quia agitur actione commodati, vel depoſiti, & huiuſmodi, & non ex dolo, vel delicto. Caſus eſt in l. ex depoſiti, ff. de acti. & obli. & l. ex contractibus, ibid. & bonus text. in l. ſi hominẽ, §. datur actio. ff. depo. Si verò fuit commiſſum delictum circa contractum, qui non tenuit, vtputa, quia dolus dedit cauſam cõtractui, NON VALET, vt in cap. delicti. de Empt. & vendit. ſic non tenetur. Quia cùm agere non poſſit ex contractu, cùm non ſit, oporteret vt ageret ex delicto contra hæredem, & CRIMINA MORTE EXTINGVVNTVR. xxiij. diſt. quorundã. Et nemo poſt mortem poteſt accuſari. xxiv. q. 2. c. 1. ff. de bo. eo. qui au. ſen. mor. ſi conſ. l. vltim. xxxiij. q. 2. admonere;

In hoc caſu DISSENTIVNT Leges & Canones.

monere: Niſi in caſu hæreſis.xxiv.q 2.ſanè; vel ſi hæreticos inſtituit hæredes. De hæretic.c ſi quis: vel ſi in crimine notorio deceſſit, vt notatur in gloſſ. c.quorundã. & xxiv.q.2. Summatim dicendo, quãdocunq; commiſit defunctus crimen, propter quod ipſo facto pœna ſit inflicta à Lege, ſicut in hæreſi, & crimine læſæ Maieſtatis, ſemper accuſatur, & agitur CONTRA HAEREDEM, non vt puniatur ex illo delicto, ſed vt bona auferantur ab eo, quæ in COMMISSVM ceciderunt. Facit l.cõmiſſa, ff.de publi.& textus bonus in c.2. de Præſcriptionibus, lib.6.aliâs non tenetur hæres, pro quocunque DELICTO COMMISSO à defuncto, ſiue in contractu nullo, ſiue extra omnem cõtractum; niſi in duobus caſibus. Primus, ſi lis fuit conteſtata cũ defuncto, vt l.vnica, C.ex delict.defun. Ratio, quia in iudicio quaſi contrahimus, vt in l.3.§.idem ſcribit, ff.de peculio. Et ideo videtur initus contractus cum defuncto per conteſtationem litis. Secundus, ſi aliquid peruenit ad hæredem ex delicto defuncti: quia in tãtum tenetur, & nõ plus, vt in dicta l. vnica. Fallit tamen in conditione furtiua. Quia in l. ſi pro fure, ff.de cõdi.fur.dicit tex. furti actio petit pœnam, petit legitimam, conditio rem ipſam, & ſequitur conditio rei furtiuę. Quia rei habet perſecutionem, hæredem quoque furis obligat, nec tantùm ſi viuat ſeruus furtiuus, ſed & ſi deceſſerit, id eſt, viuo fure, vel mortuo. DE IVRE CANONICO tenent Canoniſtę, indiſtinctè teneri, quando quis agit pro ſatisfactione damni contra hæredem. Hoc modo intelligendæ ſunt Gloſſæ in c.ex præſentium, de pigno.de ſolu.c. 1.de rapto. in literis. De vſu, tua nos. Intellige, in quãtum hæreditas ſe extẽdit. Hæc tutiſſima via eſt in CONSCIENTIA. Licet Panormit. in c. fin. de Sepult. ſolùm admittat verum, quando defunctum pœnituit. Quia iura Canonica loquuntur, quòd tenetur, QVANDO DEFVNCTVM POENITVIT, vt notat gloſſ. ſingularis,

NB.

in c.

in c.à nobis,de ſentent.excommunicat. Quia tunc agitur ex quaſi contractu, non ex delicto. Si verò nõ pœnituit, non tenetur, ſecundùm gloſſ.dicti c.à nobis, niſi quatenus de IVRE CIVILI tenetur.

In ſequentibus Punctis diſſentiunt LEGES & CANONES. DISSENTIVNT.

PRIMÒ, hæredem non teneri ad legata ſoluenda in teſtamento minus ſolenni relicta, decernit Lex, C. de fideicommiſs. l.fin.& l.ſi veritas. At in foro animæ quidam Canoniſtæ ſentiunt, hæredem teneri ad ſolutionem, alijs negantibus. Mihi hæc cõtrouerſia dirimenda videtur per diſtinctionem. Aut defunctus non voluit ſolenniter legata relinquere, ſed totum COMMISIT FIDEI HAEREDIS; quo modo is ad ſoluẽdum NATVRALI & CIVILI OBLIGATIONE obſtrictus eſt. Aut non commiſit fidei hæredis, ſed ſimpliciter, ſine ſolennitate debita reliquit legata; quo pacto hæres in FORO ANIMAE tenetur, (contra IVS CIVILE) ſi ei de hoc conſtet. Ratio, quia ſolennitates introductæ ſunt ad tollendos dolos & deceptiones. Vbi ergo cõſtat dolum procul abeſſe, ceſſabit etiã diſpoſitio LEGIS, (Ciuilis) & ſeruari debet æquitas, & obligatio naturalis, quæ oritur ex diſpoſitione defuncti. l.cum amplius, §.is natura debet. ff. de Reg. iur.

SECVNDÒ, Hæres, qui ſoluit legata integra, credẽs non poſſe retineri Falcidiam, non repetit quod ſoluit quaſi indebitum. Nam errauit in iure; naturaliter enim erat debitum, ſed non ciuiliter. CONTRA Canones aſſerunt; ſi ſciebat ſibi competere Falcidiam, & credidit probabiliter (vt in c. Apoſtolicæ.de cler.excom.& in c.2.de conſtitutionib. lib.6.) hæreditatem ſufficere, cùm tamen non ſufficeret, qui error eſt in facto, eum repetere poſſe.

TERTIÒ, Hæres tenetur ſatisfacere ex contractu vel quaſi defuncti, in quo ipſe defunctus erat obligatus vl-

tra vires hæreditarias, l.fin.C. de iure deliber. Canoniſtæ NEGANT in foro animæ, præſertim ſi non fecit inuentarium hæres.

QVARTÒ, Si pater erat patronus, vel habebat aliquod ius ſeu feudum in Eccleſia, in quod ſuccedere deberet filius, qui interfecit aut vulnerauit Rectorem, vel Clericum illius Eccleſiæ, is ipſo iure amittit ius hæreditarium (contra Ius Ciuile) in feudo; vt & pater, ſi hoc facinus patrauit. Eodem iure priuabuntur poſteri, vſque ad quartam generationem; qui in Collegium Clericorum non admittentur, nec in aliqua religione poterunt eſſe Prælati: & bona ipſorum ad Eccleſiam deuoluentur, cui iniuria facta eſt.

QVINTÒ, Qui tempore inſtitutionis, vel mortis, vel aditionis hæreditatis erat excõmunicatus, non valet, ſi inſtitutus eſt in hæredem. Secus ſi poſt inſtitutionem fuit excommunicatus, ſed ante mortem abſolutus, vel poſt mortem fuit excommunicatus, & ante aditionem abſolutus, tenet inſtitutio.

CAPVT XXXVIII.

Documenta Canoniſtarum de LEGITIMA *Liberorum, magis æqua eſſe, quàm Legiſtarum.*

I.

AN quis deducere queat DVAS LEGITIMAS PORTIONES (Falcidias,) id eſt, legitimam debitam naturæ, & Trebellianicam, (quartam) quęſtio eſt inter Leges & Canones valde anceps.

Quòd de iure Ciuili hoc fieri queat, probatur plu-
1. ribus argumentis. Et primò ſic; pater, dum rogat filiũ
de reſtituenda hæreditate, non grauat eum in legiti-
ma, quia non poteſt. Vnde fideicommiſſum in illa le-
gitima, non tenet ipſo iure; quia in illa nullum graua-
men

men poteſt imponi filio. C. de inoffic. teſtam. l. quoniam in prioribus. Et ideo in alio rogatus videtur, & de eo, in quo eſt rogatus, debet quartã deducere: in Auth. de Reſtitut. & ea quæ pa. §. quamobrem, Collat. 4. & in Auth. de Reſtit. §. nobis igitur, Collat. 8. Huius fundamentalis probatio deducitur ex Legibus, quæ aſſerunt, quòd ſi legatum relinquitur alicui vltra id quod capere poſſit, & lex Falcidia locum habeat: primò deducitur lex Falcidia, ac ſi totum caperet: poſtea detrahitur quod capere per legem non poteſt; vt illud præter Falcidiam habeat hæres. Et ſi id quod remanet, nõ excedit ſummam, quam capere poteſt, totum debetur. ff. ad l. Fal. l. quoties cuidam, & l. quod autem dicitur, & ff. ad Trebellianicum, l. cùm hæres. Item, legitimam iure naturæ capit vt DEBITVM QVODDAM, in Authen. de hæred. & Falcid. §. primum itaque, & §. ſi quis autem non, Collat. 1. & c. Rainaldus, extra de teſtamentis. Vnde de reſiduo videtur quod detrahat quartam, ſcilic. Falcidiam, vel Trebellianicam, argu. C. ad l. Falcidiam, l. irritum. Hæc opinio CANONICAE AEQVITATI congruit. Nonnulli LEGISTAE dicunt, quòd de IVRE CIVILI filius tantùm vna FALCIDIA debet eſſe contentus, hac ratione: quia ſibi elegit habere quartam Trebellianicam, illam de bonis paternis habet vt hæres; eam ergo tenetur computare in legitimam, quæ iure naturæ debetur. Nam in ea computat illa, quæ capit de bonis patris iure hæreditario, & etiam alio modo. C. de inoff. teſtam. l. quoniam nouella. Rurſus, ſi eligit illam legitimam, quæ iure naturæ debetur, illam debet computare in quartam Trebellianicam. Nam ſi eligit illam habere, quæ iure naturæ ſibi debetur, negari non poteſt, quin iure inſtitutionis capiat eam, quia in ea fuit inſtitutus, ſicut in alijs bonis. C. de inoff. teſtam. l. cùm quæritur, & l. parentibus, & l. ex tribus. Cùm igitur conſtet, quòd eam

Digitized by Google

capiat iure inſtitutionis, conſtat per conſequens, quòd eam debet in quartam Trebellianicam computare. Quia ei annumerantur ea, quæ iure inſtitutionis capiuntur. ff. ad l. Falcidiam, l. in quartam, & l. accepti s: & ff. ad Trebellianic. l. deducta, § nummis. Nec obſtat quod dicitur, quòd illam legitimam capit, vt debitũ. Quia nihilominus verum eſt, quòd eam capit vt hæres, & in ea tenet inſtitutio. Non eſt enim debitum à patre, vt per hoc ſit aliqua actio, quæ competat filio contra patrem, ſed ex natura debitum dicitur, vt ea pater filium non defraudet, niſi iuſtam ingratitudinis cauſam admiſerit filius. Quare inſtitui poteſt in ea, & valet inſtitutio. Cùm ergo vna in alia computetur, manifeſtè apparet, quòd AMBABVS DEDVCTIONIBVS vti non poteſt. Item dicit Lex, quòd in teſtamento patris & filij vna ſola quartæ deductio ſufficit. ff. ad l. Falcidiam, l. in ratione. § quod vulgo, & ff. de inoff. teſtam. l. Papinianus, tamen ſi eligit Trebellianicam, nihilominus & illam, quæ debetur iure naturæ; habere poteſt; ſcilicet, quatenus plus eſt in ea, quàm in Trebellianica, & è conuerſo. Hæc eſt communis doctrina DOCTORVM LEGVM. Ego OPINIONI CANONICAE (in c. Rainutius, & c. Rainaldus, extr. de teſtamẽt.) magis accedendum eſſe ſentio. Alij voluerunt diſtinguere, vtrum purè & ſimpliciter filius rogetur de reſtituenda hæreditate; aut ſub conditione, vel in diem: vt ſi purè, tunc vnam Falcidiam tantùm habere debet: ſi in diem, vel ſub conditione, vtramque habebit. Hoc pacto quidam CONCORDANT IVS CIVILE ET CANONICVM.

II. CANONISTAE SENTIVNT, LEGITIMAM, iure naturæ debitam, filio non poſſe ſubtrahi ob crimen læſæ Maieſtatis à patre commiſſum. Quòd ſi eam furtim & doloſè ſurriperet, in FORO ANIMAE non teneri ad reſtitutionẽ probant Caſiſtæ. Ius enim naturale per poſi- *Regula Iuris.*

tiuum

tiuum tolli non poteſt; arg. c. Rainutius, §. quia verò, de Teſtament. Pater enim non poteſt filium priuare legitima, niſi in caſu ingratitudinis, vt C. de inoff. teſtam. l. quoniam in prioribus. A LEGISTIS improbatur hæc ſententia: aiunt enim, per contractum tolli legitimam: ea enim debetur deducto ære alieno. ff. de inoff. teſtam. l. Papinianus. §. quarta autem. Sed in delictis quaſi contrahimus. Quia per quaſi cõtractum ſe obligat ad pœnam, ff. de iure Fiſci, l. Imperatores. Quia LEGITIMA eſt QVOTA (TRIENS, VEL SEMISSIS pro numero liberorũ) bonorum, quam pater habebat tempore mortis. Nihil autem habet, cùm EA FVERINT CONFISCATA. ff. de inter. & rele. l. 3. Sed hæc opinio, magis ob ſubtilitatem rigoroſa, & CANONICA, VT BENIGNIOR, ita probabilior eſſe videtur. Ratio; quia per titulum lucratiuum, & per donationem non poteſt pater alienare in præiudicium filij. C. de inoff. teſtam. per totum, & de donationibus, c. finali. Sed Fiſcus hoc capit ex titulo lucratiuo; quocirca non poteſt in præiudicium filij. Ad priorem Legiſtarum rationem reſpõdeo, eam eſſe veram, ſi per quaſi contractum damnum intulit Principi in bonis, ex cuius damno pater eſſet ei obligatus ad reſtitutionẽ, aliâs non. Quia tunc non eſt æs alienum: nec propriè poteſt dici, quòd pater teneatur ex quaſi contractu, ſed ſimpliciter ex delicto. Ad alteram rationem dico; quòd in fraudem filij titulo lucratiuo facta alienatio non valeat.

LEGITIMA quid.

CAPVT XXXIX.

Diſſenſionem eſſe in duobus caſibus circa LEGATA: *At Conſenſionem, de* FIDEI CONMISSARIIS HAEREDITATIBVS, *&* ARROGATIONE.

I.

Quæ vulgò de legatis à Iureconſ. traduntur, nullibi improbant CANONES; quocirca in VTROQVE FORO ſeruanda erunt, exceptis duobus ſequentibus caſibus. PRIMVS. Quęritur, an legatum rei alienæ valeat, necne? Vbi diſtinguunt LEGISTAE. Aut teſtator ſciuit rem legatã eſſe alienam, aut ignorauit. Primo caſu eſt diſcrimen: aut res legata ante mortem teſtatoris non peruenit ad legatarium; & tunc diſtinguendum: aut dominus rei legatæ poſt mortem teſtatoris vult vendere rem illam; & tenetur hæres illam rem redimere, & legatario præſtare: aut dominus non vult vendere; & tenetur hæres iuſtã æſtimationem legatario ſoluere. l. non dubium, §. fin. ff. de legatis. 3. Aut peruenit ad eum ex cauſa LVCRATIVA, puta donationis, vel legati; & ceſſat illud legatum: quia duæ cauſæ lucratiuæ circa eandem rem, & eũdem hominem, concurrere non poſſunt, vt in Inſtitut. §. Si res aliena, de Legatis. Aut peruenit ad eum ex cauſa onerosa, vt emptionis; & tunc aut emit totam rem: aut tantùm proprietatem, deducto vſufructu. Primo caſu, poteſt legatarius agere contra hæredem actione ex teſtamento, qua conſequitur pretium rei legatæ. Secundo caſu, quando nudam proprietatem emit, diſtinguitur. Aut vſusfructus peruenit poſtea quoque ad legatariũ ex cauſa onerosa, vt quia emit ab vſufructuario, & tenetur iterũ hæres ei ad pretiũ totius rei. Aut vſusfructus peruenit ad eũ ex cauſa lucratiua, puta morte, vel capitis diminutione vſufructuarij; & tenetur hæres legatario tantũ ad pretium proprietatis, deducto vſufructu. §. Si cui fundus, de Legatis in Inſtitutionib.

Secundo caſu, quando ignorauit alienam rem eſſe, & dubitauit, an legatum valeat; & diſtinguendum eſt: aut legauit omnino extraneo; & nõ valet legatum: aut legauit coniunctæ perſonæ, vt vxori fratris, vel ſimili, cui alioqui reliquiſſet legatum, & valet. l. cùm rem alienam,

nam, C. de lega. Probatio autem in hoc caſu incumbit legatario, videlicet, quòd probet teſtatorem ſciuiſſe rem alienam eſſe: eſt enim legatarius actor, & hæres reus. Actore autem non probante, reus, etſi nihil omnino præſtiterit, ABSOLVITVR. l. qui accuſare, C. de edendo. „ Regula „ Iuris.

CONTRA Canones pronuntiant, in foro Canonico ſeu animæ, Legatum rei alienæ NON VALERE. Sic enim nominatim deciditur in c. filius noſter, extra de Teſt. Verba hæc ſunt: Filius noſter conqueſtus eſt, quòd quōdam pater ſuus aliqua Eccleſiæ veſtræ, ſepulturæ ſuæ gratia, IVRIS ALIENI RELIQVIT. Et quidem LEGES SECVLI hoc habent, vt hæres ad ſoluendum cogatur, ſi actor eius REM LEGAVERIT ALIENAM. Sed quia LEGE DEI, non autem lege huius ſeculi viuimus, valdè mihi videtur iniuſtum, vt res tibi legatæ, quæ cuiuſdam Eccleſiæ eſſe perhibentur, à te teneantur, qui aliena reſtituere debuiſti, & cæt. Eadem deciſio ferè occurrit xvij. q. 4. Quicunque.

Licet de iure Canonico reddere teneatur, (contra iuris Ciuilis obſtrictionem) tamen poterit agere contra hæredem, ſi ſcienter res ſuas legaſſet. Quòd lex Ciuilis improbata ſit de iure Canonico, hæc eſt ratio; quia fouet lucrum odioſum proximo, vel rigorem quendā, nec eſt fundata ſuper naturali ęquitate. Diſtinguunt tamen quidam Canoniſtæ. Si conſtat de mente defuncti, puta quòd ſciebat diſpoſitionem iuris Ciuilis, exiſtimant etiam in conſcientia habere locum. Quia perinde eſt, ac ſi legaſſet rem illam, ſi emi poſſet, vel ſaltem ęſtimationē. Si autē hęres nimis grauatus eſſet, hoc non videretur fuiſſe de mente defuncti, niſi errore decepti.

SECVNDVS CASVS. Per ſuggeſtionem, ſolicitationē, vel importunitatem commouens adimere alicui legatum factum, & faciens ſibi relinqui, de iure Canonū tenetur actione de dolo, vel in factum ſubſidiaria ei,

cuii

Digitized by Google

cui ademptū eſt. Vide extr. de dolo & contumacia. Secus de iure Ciuili.

II.

De FIDEICOMMISSARIIS hæreditatibus nulla eſt diſcrepantia inter Legum & Canonum dogmata, quæ iam perſtringam.

I. Eſt Fideicommiſſum, inſtitutio hæredis directi, cū hoc modo, vt adeat hæreditatem, & eam reſtituat tertio cuidam, à teſtatore nominato, retenta quarta omniū bonorum, ſi libet. Hic modus à iure Ciuili ideo eſt excogitatus: cùm enim quędam perſonæ in teſtamēto hæredes inſtitui nequeant iure directo, nec etiam aliquid eis legari poſſit, quales ſunt ſpurij; diſpoſitum eſt, vt inſtituatur alius hæres, qui poteſt inſtitui, & poſtea illi Fideicommiſſario reſtituat.

II. Fideicōmiſsū aliud eſt vniuerſale, aliud ſingulare. Singulare eſt, quando hęredis fidei cōmittitur ſingulas res, hoc eſt, domū, fundū alicui reſtituere: & hoc eſt adęquatū legatis. Vniuerſale verò eſt, quādo hęres inſtituitur, & fidei eius committitur, vt totam, vel partem hæreditatis tertio alicui reſtituat, qui fideicōmiſſarius appellatur, & poteſt vtrumq;, tacitè vel expreſsè fieri.

III. Non refert, cuius conditionis ſit hæres directus, modò ſit capax: nec etiam refert, ſiue inſtitutus ſit, ſiue ab inteſtato ſuccedat. Et ſi nolit directus hęres adire hęreditatem, compelli poteſt ad aditionem, & reſtitutionem. l. ſi eius, ff. ad Senatuſconſ. Trebell.

IV. Et valet illa reſtitutio, ſiue inter præſentes, ſiue inter abſentes fiat. Si inter præſentes, tunc poteſt fieri, aut re, aut verbis. Inter abſentes, ſiue per nuntium, ſiue per literas. Reſtitutione quocunq; modo facta, tranſeunt omnes actiones & obligationes in fideicommiſſarium, ita vt conueniri poſſint omnes, qui defuncto obligati fuerāt. l. quamuis, ff. ad Senatuſconſ. Trebellian.

VLTIMVS MODVS conſequendi rerum dominia nominatur

Digitized by Google

minatur ARROGATIO: quæ eſt ſpecies adoptionis, quādo quis adoptat patremfamiliâs, hoc eſt, cum, qui eſt ſui iuris Et per eam conſequitur pater adoptiuus ius in perſona, & in bonis arrogati. Circa quod diſtinguendū eſt. Aut quęrimus de iure patris adoptiui in bonis arrogati, dum viuit arrogatus, & tunc pater adoptiuus habet tantùm vſumfructum, libr. 3. Inſtitut. Tit. xi. Aut loquimur de iure, quod habet pater adoptiuus in bonis filij arrogati, poſt mortem arrogati, & diſtinctione opus eſt. Aut arrogatus eſt liberatus à poteſtate patris naturalis per emancipationem; & tunc, ſi decedit ſine deſcendentibus viuo patre naturali, qui emancipauit eum, excluditur pater adoptiuus per patrem naturalem in eius ſucceſſione. Aut eſt liberatus à patria poteſtate per mortem patris naturalis; & ſi tunc extat mater, adhuc excluditur adoptiuus. Cæterùm vniuerſa bona arrogati, eo mortuo, perueniunt ad patrem adoptiuum.

Hæc LEGES *&* CANONES CONSENTIENTER.

CAPVT XL.

De OBLIGATIONIBVS *(quæ ſunt cauſæ* ACTIONVM*) in genere partim concordiam, partim diſcordiam eſſe.*

EX duobus primis membris initiò propoſitis, nempe de IVRE PERSONARVM ac RERVM, concordiam vel diſcordiam Canonum & Legum explicauimus; reſtat, vt iam tertium, quod in IVRE ACTIONVM cōſiſtit, proſequamur. Quia autem ACTIONVM cauſæ ſunt obligationes, l. licet, §. ea obligatio, ff. de procurat. de ijs iam dicendum erit. De quibus in hiſce articulis concordant Leges & Canones.

CONSENTIVNT.

I. Obligatio eſt iuris vinculum, quo neceſſariò aſtringimur ad aliquid dandum vel faciendum. in Inſtitut. de OBLIGATION. in principio.

II. Triplex eſt obligatio. Prima dicitur NATVRALIS, qua quis ex æquitate naturali, per vinculum naturale, id eſt, conſenſum, vel diſpoſitione iuris gentium obligatur. Altera CIVILIS, quando quis non eſt obligatus ex iure Naturali, (nam æquitas naturalis diſſuadet hoc vinculum) vel gentium, ſed ex diſpoſitione iuris Ciuilis tantùm, deficiente ſcilicet CONSENSV OBLIGATI. Tertia dicitur Naturalis & Ciuilis ſimul, quando quis cum ſolennitate iuris, potens ſe obligare, obligat ſe ad aliquid, quod naturalis æquitas vult eum obſeruare. Et hæc obligat in VTROQVE FORO, ſecūdum omnes DD. Naturalis Obligatio parit exceptionem ſolam, vt & Ciuilis actionem, non autem exactionem.

III. Cauſæ Naturalis, & Ciuilis obligationis ſimul, & ſic obligationis in generè, ſunt primò omnes contractus (quorum tractationem paulo poſt ſubiungam) nominati, iuris gentium, & iuris Ciuilis ſimpliciter; & contractus innominati, quatenus traditio rei interuenit, vel factum aliquod. Cōtractus nominati ſunt quadruplices. Primò, quidam contrahūtur re, vt MVTVVM, INDEBITVM, COMMODATVM, DEPOSITVM, PIGNVS. Secundò, quidam verbis, vt STIPVLATIO. Tertiò, quidam literis, vt literarū obligatio. Quartò, quidam conſenſu, vt EMPTIO, VENDITIO, LOCATIO, CONDVCTIO, SOCIETAS, MANDATVM. Contractus autem innominati ſunt quinq;: Permutatio, id eſt, quando datur ſpecies pro ſpecie: do vt des, do vt facias, facio vt des, facio vt facias. Secundò, quaſi contractus, vt negotiorum geſtorum tutelæ. Tertiò, delicta; quorum alia ſunt PRIVATA, alia PVBLICA. Quartò, quaſi delicta. Naturaliū & Ciuilium harum Obligationum effectus ſunt, PARERE ACTIONEM, CVM EFFECTV ACTIONIS: Quamprimum

mum

mum enim quis alicui naturaliter & ciuiliter obligatus eſt, parit illa obligatio ius perſequendi in iudicio cum effectu, quod debetur.

IV. Si dies eſt appoſita obligationi, & eiuſdē fori ſunt actor & reus, tenetur reus ſine interpellatione efferre, & ire ad domū eius, quia dies interpellat pro homine: c. potuit, de Locato: & l. magna, C. de contrah. & Co. ſtipu. Si autē non ſunt eiuſdē fori, non tenetur reus ſponte ire ad forū alterius, vel ad domum: ſed dicat, in domo ſua paratus ſum ſoluere, ſi ſit qui recipiat. Ita limitatur c. potuit, de Locato. Intellige, niſi aliud ſpecialiter in PACTO ſit expreſſum. Aut dies non eſt appoſita, & ſic requiritur monitio.

V. Adminiſtratores non habentes expreſſum mandatum, poſſunt OBLIGARE conſtituentes ad pœnam pro obſeruatione eius quod promittunt. Huc facit l. bene à Zenone, C. de qua. præſcrip. & l. ſi procurator Cæſaris, ff. de iure Fiſci: & c. 2. de precario, vbi Prælatus poteſt apponere pœnam, & OBLIGARE SE & SVCCESSORES, modò contractus ſit rationabilis. Item c. dilecti, in fi. de arbit. & quod ſcribitur in c. nulli, de re. Eccle. non alien. vbi Rector Eccleſiæ poteſt obligare ſine cōſenſu Epiſcopi omnia bona Eccleſiæ generaliter pro obſeruatione contractus alicuius; quia ei ſolùm prohibetur ſpecialis Hypotheca. Sed hæc limitatio addenda eſt; niſi contractus eſſet inualidus; quia contra ius, quia pœna tollitur. Secus, ſi eſſet nullus, quia præter ius: nam pœnæ appoſitio eſſet valida. dict. c, dilect. Vide gloſſam in c. acceſſoriū, lib. 6. & text. cū gloſſ. in c. ſignificātibus, de off. deleg. Alia etiam datur exceptio, niſi pœna eſſet præter naturam contractus: vt in dict. l. ſi procurator, vbi non tenetur Fiſcus ad duplū, vel triplū, licet procurator OBLIGAVERIT SE, ſi euinceretur res, quā vendit. Secus, quando pro obſeruantia contractus apponitur.

DISSENTIVNT autem Leges & Canones in duobus,

de Obligationibus in genere. Primò, Naturalis obligatio in foro CONTENTIOSO inefficax eſt ad agendum, l. iuris gentium, §. Sed cùm nulla, ff. de Pactis. At de iure Canonico (in foro cõſcientiæ) obligat ſub pœna mortalis peccati, vt notatur in c. 1. de Pactis, & in c. iuramẽti, xxij. q. 5. Secundò obligatio CIVILIS non obligat in foro conſcientiæ, niſi quatenus à Prælato cogeretur, ſecundùm Canoniſtas, in c. quia pleriq;, de Immunit. Eccleſ. Ratio eſt, quia de naturali æquitate hoc modo obligatus non tenetur: vt ſi quis ſpe futuræ numerationis, dedit alicui chirographum, in quo cõfitetur ſe certam pecuniæ ſummam ab eo mutuò accepiſſe, quam tamen NON ACCEPIT: hic ſcribens non tenetur in CONSCIENTIA, quia non conſenſit obligari ſine numeratione; CIVILITER tamen obligatur: ideo propter illam Ciuilem Obligationem ſolùm habet creditor contra ſcribentem actionem propter chirographum: exactionem tamen non habet; quia ſcribens poteſt ſe defendere exceptione non numeratæ pecuniæ.

DISSENTIVNT.

Quod dixi Naturalem obligationem non parere ACTIONEM, intellige, ſi vna & ſimplex fuerit: ſi verò fuerit duplicata, tunc efficax eſt ad producẽdam actionem. Eſt enim regula; Quòd vbi præcedit debitum naturale tantùm, ſi illud idem debitum nudo pacto iterũ promittatur, vel à debitore, vel ab alio indicitur conſtitutum, habet locùm actio de conſtituta pecunia, §. de conſtituta, Inſtitut. de Actionib. Canones in c. Quinta vallis, EXTRA de Iureiur.

CAPVT XLJ.

De CONTRACTIBVS, *nempe* PROMISSIONIBVS, *&* PACTIS.

Obli-

OBligationis NATVRALIS duæ ſunt ſpecies: nam quædã prouenit ex iure Naturali primæuo, id eſt, ex ſolo inſtinctu naturali: alia ex iure gentium, atque oritur ex SIMPLICI PROMISSIONE ſeu conuentione, & ſic ex nudo PACTO; de quibus iam ſcribere aggrediar.

I.

DE POLLICITATIONIBVS, PROMISSIONIBVS, & PACTIS, hæc ſequentia Leges & Canones conſentienter docent. I. Quempiam ex pollicitatione non obligari, niſi cùm ea ſit Ciuitati, Vniuerſitati, Clero, Eccleſiæ, vel pauperibus alicuius loci, & cum cauſa, puta ad honorem Dei, vel ſimilem. Si verò ſit alijs à prædictis, ſiue cum cauſa, ſiue non, vel prædictis, ſine cauſa, non OBLIGATVR, niſi ceperit aliquid prætextu promiſſionis. ff de pollicit. l. 1. §. 1. facit Gloſſ. in c. ſcimus, xij. q j. quæ aſſerit, quòd ex pollicitatione facta Deo, poteſt quis conueniri. Facit c. ex parte de Cenſibus. II. Pactum aliud eſt veſtitum; quod fit ſex modis, re, verbis, ſtipulatione, literis, conſenſu, cohærentia contractus, & interuentu rei; aliud nudum, quod hiſce modis eſt deſtitutum. III. Pactũ de hæreditate viuentis regulariter non valet, quia inducit votũ captandæ mortis: vt in l. fi. C. de pactis, & c. ſi quis & per Canoniſtas in c venerabilem, de Elect. Qui ita diſtinguunt. Aut pactũ de futura ſucceſſione fit ad conſeruandam legitimam ſucceſſionem; & ſic valet, vt in Inſtitut. de legi. agna. ſucce. quia PACTVM EST LEGI CONSENTANEVM. Aut fit ad legitimam ſucceſſionem minuendã; & tunc non valet, l. pactum, ff. de Pactis: ſed ſi iuramento firmetur, valebit, in c. 2. de Pactis. lib. 6. Aut fit ad legitimam ſucceſſionem perdendam, ſeu ad tollẽdam liberam teſtamenti factionem, & ſic non valet: quia CONTRA BONOS MORES: vt l. ſtipulatio hoc modo, ff. de verbor. obligationib. Secundùm Bartolum etiam iu- CONSENTIVNT.

Regula Iuris. „ ramento non firmatur, per regulam: non eſt obligatorium iuramentum contra bonos mores. de Reg. Iur. in 6. At videtur, licet ſit contra bonos mores, non tamen naturales, ſed ſolùm ciuiles. Quocirca non irritatur, c. 2. de pactis in 6.

II.

DISSENTIVNT. In ſequentibus Caſibus diſcordant Leges & Canones. PRIMVS: Ex nudo pacto nulla oritur actio de iure Ciuili; nam id ſolum Iudicis officium iubet implorare. Secus eſt de iure Canonum; vt ſentiunt præcipui Canoniſtæ cum Gloſſa in c. 1. de Pactis: quod in hunc ſenſum accipio, quando obligat ad mortale peccatū, aliâs non.

SECVNDVS: PACTVM ſeu promiſſio non obligat, cùm turpitudo tantùm verſatur ex parte recipiētis obligationem, ſecundùm Canoniſtas, in c debitores, de Iureiur. quia V. G. promiſſio de vſuris ſoluendis non obligat. Si enim obligaret etiam naturaliter, ſolùm cogeretur ſoluere ratione pacti; vt in c. 1. de Pactis: ſicut cogitur, quando interpoſitum eſt iuramentum. Ratio: quia cùm lex reſiſtit, etiam alteri contrahenti non naſcitur obligatio, etiam naturalis: vt in l. cùm lex, ff. de fideiuſſ. Legiſtæ ſecus explicāt, hoc modo: Si nudo pacto ciuitatibus vſuræ promiſſæ eſſent, propterea non deberentur vſuræ promiſſæ: quia illud parit tantùm naturalem obligationem, ex qua nō oritur obligatio: ſed quia ius Ciuile hunc caſum SPECIALITER & EXPRESSE APPROBAT, oritur actio, propter approbationem iuris Ciuilis: l. etiam, ff. de vſuris. Dicitur enim illud nudum pactum iam legitima conuentio, iuxta l. legitima, ff. de Pactis.

Solutio obiectionis. Obijcis: Promiſſio continens rem turpem reſcinditur; cur non etiam ea, quæ iuramento firmatur? cùm Deus non faciat differentiam inter iuramētum, & ſimplicem loquelam. c. iuramenti, xxij. q. v. Ratio eſt; quia

ſimplex

ſimplex promiſſio eſt nulla, & ideo habetur pro non facta, propter turpitudinem recipientis In iuramento alia ratio eſt: quia id fit Deo, qui id nō turpiter accipit, nec iurās peccauit. Promiſſio enim dirigitur in hominem, iuramentum autem in Deum.

TERTIVS CASVS: Ex nudo PACTO, ſiue ex SOLA PROMISSIONE homo non obligatur de iure Ciuili. Quod improbant CANONES, c.iuramenti, xxij. q. v. Addunt Canoniſtæ limitationem; quòd fiat obligatio de iure Canonico, quando exprimitur cauſa: vt promitto tibi decem, quia vendidiſti mihi talem rem, vel mutuò dediſti, & huiuſmodi. Si verò cauſa non adijcitur, nullam in cōſcientia inducit obligationem. Ratio; quia præſumitur per errorem promiſiſſe, & ſic nō poteſt naturalis allegari obligatio; cùm nihil ſit tam CONTRARIVM CONSENSVI, QVAM ERROR. xxix. q. 1. & l.ſi per errorem, ff.de iuriſdict.om.iudi. Si quis diceret, promitto tibi centum donare; promiſſio erit cum cauſa: nam liberalitas promiſſionis præſumitur cauſa donādi. Similiter, ſi promittitur aliquid pio loco; quia præſumitur obligaſſe ſe fauore piæ cauſæ: nec præſumitur ibi error. c.ſi de ſucceſſ. ab inte. Altera limitatio (de nudo pacto obligante) hæc eſt; Si nudè paciſcens habuit ANIMVM obligandi ſe. Nemo enim ex quacunque promiſſione obligatur, NISI QVI HABET ANIMVM OBLIGANDI SE. Huc facit c.literarum, de voto, & l.obligationum, ff. de action. & obligat. Aliâs ſi non habuit animum obligandi, nō tenetur ſub pœna mortalis peccati ad pactum nudum ſeruandum; niſi ſubeſſet cauſa, quæ ad hoc obligaret neceſſitate præcepti. V.G. promiſi patri meo veſtem, qui moritur ex frigore: tenetur, etiamſi non habuit animum obligandi. Tertia LIMITATIO datur; ſi conditio vel rationalis cauſa non aduenit poſtea, quæ ſi à principio fuiſſet, nō promiſiſſet. Si enim talis cauſa adueniret, & propterea

Regula Iuris.

non

non ſatisfaceret nudo pacto, mortaliter non peccaret. Addenda etiam videtur quarta conditio; vt pactum ſit honeſtum, licitum, & poſſibile.

» QVARTVS CASVS: Ita nominatim loquitur c.
» quamuis pactum, de Pactis in 6. Quamuis pactum patri
» factum à filia, dum nuptui tradebatur, vt dote conten-
» ta, nullum ad bona paterna regreſſum haberet, impro-
» bet LEX CIVILIS, ſi tamen iuramēto, non vi, nec do-
» lo praſtito, firmatum fuerit ab eadem, omnino ſerua-
» re debebit: cùm non vergat in æternæ ſalutis diſpendi-
» um, nec redundet in alterius detrimentum.

Pactum de futura ſucceſſione, quæ eſt, ſiue de ſuccedendo, ſiue de non ſuccedēdo, non valet ſecundùm ius CIVILE. C. de inoffi. teſtam l. ſi quando §. 1. C. de pactis, l. pactum, quod dotali, & l. vlt. C. de coll. l. pactum dotali.

Qua etiam ratione ſecundùm Leges valet contractus puberis ſi IVRAVIT; qui aliâs non tenet. C. ſi aduerſus ven. Auth. Sacramenta. Eadē ratione valere debet PACTVM ISTVD (per Canonem modò propoſitum) IVRATVM.

CAPVT XLII.

De CONTRACTV MVTVI, *&* *de* VSVRAE CRIMINE, CASIBVS, ET CAVTELIS, *quibus deuitari queat: Item de damno emergente, & lucro ceſſante: Item, impugnatio Legiſtarum, qui vſuras exerceri permittunt; easque de omni iure eſſe* ILLICITAS.

MVtuum eſt cōtractus, in quo datur alteri res, quæ ipſo vſu conſumitur, reddenda non eadem numero, ſed ſpecie.

II. Materia veri mutui ſunt res triplicis generis. Quædam conſiſtunt in numero; vt pecunia:

quæ-

quædam in pondere; vt argentum & aurum: aliæ in menſura; vt triticum, vinum, oleum, &c.

III. Mutuum eſt duplex: Verum, & Palliatum. Verum, quando verè res gratis, vt ex ſua natura huic contractui conuenit, mutuatur, nec aliud intenditur. Palliatum, quod ſecūdùm ſuam formam apertā, & verba contrahentium eſt alius contractus, quàm mutui: ſecūdùm verò formam latentem, & mentem contrahentium veram vel præſumptam, eſt mutuū. Mutuum PALLIATVM, ſicut etiam VSVRA PALLIATA, verſatur in materia OMNIVM CONTRACTVVM. Quocirca, cùm VSVRA præcipuè in MVTVO dominetur, de ea quippiam ſubiungam. Vſura PALLIATA, & mutuum Palliatum.

IV. Vſura eſt voluntas capiendi VLTRA SORTEM (ſummam capitalem) LVCRVM ALIQVOD, VI, ET CAVSA MVTVI (non titulo LVCRI CESSANTIS, aut DAMNI EMERGENTIS, nam in hiſce, vt & alijs legitimis modis, non cōmittitur vſura) PRINCIPALITER.

In his ſequentibus CASIBVS crimen VSVRAE incurritur, quos licet PROBENT, aut PERMITTANT LEGES CIVILES, tamen EXECRANTVR CANONES.

PRIMVS CASVS: Tutores & curatores, qui dant mutuò pecunias pupillorum ad vſuras, eius ſceleri ſe obſtringunt. At, inquis, lege CIVILI PERMITTENTE hoc faciunt, Authent. nouiſſimè, C. de adminiſt. tuto. At verò vſura cùm ſit intrinſecè mala, ne PIETATIS quidem cauſa etiam licita eſt, cap. ſuper eo, de vſura. Debent autem Tutores pecunias pupillorū exponere, vel in emptionem prædiorum, vel in ſocietatem iuſtam, aliamque honeſtam negotiationem, vt pupilli aliquid lucri acquirant. DISSENTIVNT.

SECVNDVS: Mutuans alicui pecunias argenteas, vt ſibi in auro reſtituat, vſuram committit: quia talis obligatio cùm ſit onerosa, pecunia æſtimatur.

TERTIVS: Si quis mutuet, vt alius ſibi remutuet

Digitized by Google

alio tempore, ſi obligatio ciuilis intercedat. Gloſſ.14. q.3.c.ſi fœneraueris. Si quis tamẽ mutuaret, vt alius etiam in ſimili caſu eſſet gratus, ſine pacto & obligatione, non eſſet vſura.

QVARTVS: Mutuans pecuniam cum pacto, vt accipiat munus à lingua, (id eſt, quicquid linguæ vſu expeditur,) vel ab obſequio (id eſt, corporis labore) committit vſuram.

QVINTVS: Si quis mutuo accipiat aliquas pecunias, & dat fructiferum pignus, donec pecunias reddat: mutuo dans tenetur fructus perceptos in ſortem computare: aliâs cõmittit vſuram, cap. conqueſtus, de vſur. & cap. Illo vos, de pignoribus, & Cod. de pignoraticia action. l.1. & 2. Hinc cõtingit, quòd quando fructus pignoris accedunt ad ſummam mutuatam, & ipſam coæquant, pignus reſtituendum ſit, nec mutuum poſſit repeti ſine peccato, c. cùm contra, de Vſuris. *Si* quæ tamen expenſæ factæ ſint in conſeruatione pignoris, deducendæ ſunt. Excipiuntur ab hac regula duo caſus, in quibus creditor non tenetur fructus pignoris computare in ſortem. PRIMÒ, quãdo Vaſallus, vel Feudatarius oppignorat domino Feudi Feudum, capit. cõqueſtus, & Canoniſtæ ibid. Quia in tali caſu dominus percipit fructus non ex alieno, ſed proprio, cùm directũ dominium habeat pignoris: tunc enim quaſi CONSOLIDATVR VSVSFRVCTVS CVM PROPRIETATE. SECVNDÒ, ex c. Salubriter, de Vſuris, Gener poteſt recipere fructus pignoris dati, donec dos ſoluatur à ſocero; nec tenetur fructus computare in ſortem.

SEXTVS CASVS: Si quis mutuò det frumentum, vt tempore ſolutionis plus accipiat.

SEPTIMVS: Si quis mutuò det Principi, vel ciuitati, aut Reip. vt eximatur à vectigalibus & oneribus conſuetis, vſura eſt: quia talis exemptio æſtimari poteſt pecunia, omnium iudicio.

OCTA-

OCTAVVS: Si quis mutuet alicui, vt ad ſuum molendinum veniat, & molat; vel ad ſuam officinam, & emat: vel in ſuo prædio laboret, etiam pro mercede, &c. vſuram committit; vt ſentit Panormitan. & alij in cap. vlt. de vſuris. Talis tamen ad nullam tenetur reſtitutionem, niſi vt renuntiet obligationi, ſi aliud damnum non ſequatur.

DVBIVM hîc enaſcitur, an Pactum legis COMMISSORIAE etiam vſuræ ſit annumerandũ? RESPONDEO: Pactum legis commiſſoriæ in duobus conſiſtere: Primò in contractu venditionis. l. 1. & 2 ff. de le. commiſſoria: valet hîc DE VTROQVE IVRE: Secundò in pignore; quod in vtroque IVRE reprobatur: vt in l. fin. C. de pactis pignoribus. & in c. ſignificante, de Pignorib. & ideo hoc pacto non obſtante, pignus eſt reſtituendum, niſi iuraſſet in tali pacto, vt in d. c. ſignificante. Solutio Quæſtionis.

Pactum autem legis commiſſoriæ hoc loci ita accipimus, quando mutuans accipit pignus, ita vt ſi creditor non ſoluat tempore ſtatuto, pignus ſit venditum, vel cadat in commiſſum. Tale pactum à iure introductum eſt in pœnam eius, qui negligit præfinito tempore ſoluere. In eo, vt EVITENTVR VSVRAE, tres requiruntur cautelæ. Primò, vt non ſit fraus vſurarum: vnde ſi quis tale pactum faciat cum eo, quem probabiliter credit non fore tẽpore definito ſoluendo, CONTRA CANONES & conſcientiam agit. Secundò, vt pactum habeat, vt definito ſolutionis tempore res cadat creditori, vt empta iuſto pretio. Tertiò, vt ſi pignus fructiferum ſit, omnes fructus pignoris computentur in ſortem, vſque ad tempus præfinitum. Vide Canoniſtas, multa hac de re præclarè & eruditè diſputantes, in c. ſignificaſti, de Pignorib. Quid ſit Pactum Legis commiſſoriæ.

Deinde quæritur: An in mutuo liceat vltra ſortem, ratione pœnæ conuentionalis aliquid exigere, vt pote quia debitor eſt in MORA ſolutionis præſcripto tem- Solutio dubitationis.

Digitized by Google

Solutio dubitationis.

pore. Respondeo: Ad euitandam debitoris negligẽtiam, licet pœnam conuentionalem quandoque apponere, & exigere; quia Reipub. conuenit, vt pacta iuſta ſeruentur, & debitoris negligentia puniatur: Si autem mutuatarius propter impotentiam, ſine vlla culpa, non ſoluat in termino, pœna exigi non poteſt. Si autem pœna impoſita ſit in fraudem vſurarum, vt quia mallet debitorẽ pœnam incurrere, quàm ſoluere, vel probabiliter præſumit, quòd non ſoluet in termino, non eſt licitum pœnam exigere. Etiam hoc obſeruandum de AEQVITATE CANONICA, quòd quando mutuatarius non ſoluit totam pecuniam, ſed partem, pœna etiam pro rata diminuatur.

Deniq; ad huius regulæ, de DAMNO EMERGENTE, & LVCRO CESSANTE, æquitatem omnes Vſurarum caſus exigamus.

Ratione igitur damni emergentis, in MVTVO licet aliquid exigere; quando in rei veritate alius eſt in mora, ratione DILATAE ſolutionis, quod damnũ emergat, vt communiter DD. docent, & Canoniſtæ cum Gloſſa, in capit. conqueſtus, de Vſuris.

Ratione etiam lucri ceſſantis, licitum eſt aliquid exigere vltra ſortem, quando pecunia ſtatim erat negotiationi exponẽda, & mutuans non habet aliam pecuniam, quam mutuare poſſit. Quia non ſolùm damnum aliquis patitur, quando amittit, quod habet, ſed etiam cùm impeditur à lucro, quod habiturus erat.

Eſt autem periculoſiſſimum hoc exercitium lucri ceſſantis, niſi ſex ſequentibus vtamur cautelis. I. Vt pecunia in rei veritate ſtatim negotiationi ſit exponenda. II. Vt aliam non habeat, quam mutuare poſſit. III. Vt mutuans malit negotiatione, quàm mutuatione aliquid lucrari. IV. Vt rogatus id faciat in accipientis gratiam: nam ſi ſe inſinuaret ad faciendum, præſumptio eſt in fraudem vſurarum fieri. V. Vt deducã-

tur

tur expenſæ. VI. Vt minus aliquid, & non totum, quod veriſimiliter lucratus erat, exigat: quia lucrum ceſſans non eſt actu, ſed potentia: vnde varijs euentibus impediri poteſt: Ad arbitrium ergo boni viri recompenſandum eſt.

Vt concludam & ſummatim dicam, addo: QVOTIES DEBITOR RATIONE MVTVI VLTRA SORTEM AD ALIQVID OBLIGATVR IN QVACVNQVE RE, QVAE PECVNIA AESTIMARI POTEST, VSVRA COMMITTITVR. Per hanc regulam facilè eſt æſtimare & diſcernere omnes contractus vſurarios.

Hæc, quæ ſtrictim breuiterque de MVTVO & VSVRIS ex CANONIBVS recitaui, cùm ſint naturali æquitati cõſentanea, admirari ſubit, cur res adeo peſtifera, deteſtanda, & humanæ ſocietati noxia, Vſurarum nempe contractus, per LEGES CIVILES (l. eos, Cod. de Vſuris) permiſſa ſit; cùm tamen notiſſimum ſit, VSVRAS varijs de cauſis execrandas eſſe. Primò, quia pugnant cum iure diuino, de non furando, & Pſalm. 14. *Domine quis habitabit*, & cæt. *qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* ergo à cõtrario ſenſu, non habitabit in tabernaculo ſuo, qui pecuniam dedit ad vſuram. Secundò, Vſura peccatum eſt mortale, & oppoſitum aſſerere eſt hæreticum. Ita habetur de Vſur. cap. Quia, & cap. ſuper eo. Tertiò, pugnant vſurę cum iure naturę: nam earum materia eſt plerumque RES VSV CONSVMPTIBILIS; contra naturam autem eſt, vt eæ per vſum ab vtente diſcedant, & ei per VSVRAS adhuc aliquid GENERENT; ceu pecunia, res ſterilis, aliam pecuniam PARIAT vſurario. Hinc appoſitũ apud varios populos nomẽ vſuræ eſt inditum. Latinis dicitur fœnus, quaſi fœtus; & Vſura, quaſi lucrum. Apud Græcos appellatur Τόκος, quaſi partus; quod ceu mirabile monſtrum nouas ſubinde vtilitates progignat; cũ tamẽ, ceu RES STERILIS, ex ſe nil producere queat. Hebræi Néſchech, quaſi morſum, appellare conſueuerunt.

VSVRAS de omni iure eſſe ILLICITAS.

NB.

rũt. Vnde Deut. 23. vbi dicitur, *non* FOENERABIS *ad vſuram*: dicitur, *morſu non mordebis*. Hinc S. Chryſoſtom. ſuper „ Matthæum, comparat morſui aſpidis, qui primò dele- „ ctationem infert, & ſomnum, poſt mortem comparat: „ ſic etiam qui ad vſuras accipit, ſibi bona conferri putat, „ poſtea verò cambijs, & recambijs, omnia ſua conſumpta dolet, & ſe ad inopiam redactum plorat. Quartò, ad profligandum hoc deteſtabile portentum Vſuræ, varias pœnas introduxerunt Canones, de quibus infra dicam. Quintò, vſuræ prohibitæ ſunt in concilio Nicæno, Diſt. 47. c. quoniam. Conciliorum autem ſanctorũ quatuor regulas ſeruandas eſſe, ſtatuit Imp. Iuſtinianus, (in Auth. de Eccleſiaſtic. titulis, §. 1. Collat. 9.)

Reſponſio ad Iuſtinianum, qui Vſuras permiſit.

Tanto minus de eius auctoritate & conſtitutionibus ſibi blandiantur dicaces Leguleij, & feroces rabulæ forenſes. Nam is, ceu inferior, non poteſt Dei ſuperioris leges vſurarum prohibitorias tollere. Sic enim ipſemet Iuſtinianus cauit, ff. ad Trebell. l. Ille, à quo, § tempeſtiuum. Quare durũ ei erit contra ſtimulũ calcitrare: nam contra naturam eſt, vt ſeruus tollat legem domini ſui, l. ſeruus, C. de pactis. Non ergo ſtipulatio, non pignus, non iuramentum de dandis vſuris valebit, de Legib. & Conſtitutionib. Codic. l. non dubium. Fateor quidem eum in Codice libr. 4. Vſuras permiſiſſe: at in Authenticis, quæ modò poſt Codicem ſancitæ ſunt, eas improbauit, licet indirectè; nam ibi Concilij Nicęni decretis, quæ vſuras prohibent, ſe ſubiecit, (in loco paulo ante allegato.) Seruemus ergo ipſiuſmet regulam hãc, poſteriora PRIORIBVS derogare: ff. de iure Codicill. l. Diuus.

At obſtat, ais, huic ſententiæ Authentica de Vſuris nauticis, Collat. x. quæ poſt illam ante citatam de Eccleſiaſticis titulis eſt publicata. Sed nullum latet, iure veteri multa ſpecialia vſuris nauticis adhæſiſſe, nempe propter periculum, quod ſubijcit creditor, & quod nudo pa-

Digitized by Google

do pacto,& ſine ſtipulatione debebantur:vt ff. de naut. fœn.l.periculi.in Authent.de Eccleſiaſticis titulis,§.Sin autem diſtulerit,permittit Iuſtinianus, vt Vſuræ ſoluā-tur delegato, quòd hæres ſex menſes poſt inſinuatiónē teſtamenti numerare diſtulit. At ibi ſubiungitur ratio huius conceſſionis, nempe ob duplicem fauorem hoc indultum;videlicet vltimæ voluntatis, & ob legatum ad PIAS CAVSAS relictum.

Legatum ad pias cauſſas anferat vſuram.

At Ciuiles Magiſtratus tolerant VSVRARIOS.I.ad vitanda maiora mala permittuntur, vt etiam meretrices permittuntur;non tamen ob hoc conceditur vſura.Nā permittere eſt non punire, hoc autem non ſemper eſt peccatum. Deus enim etiam permittit peccata. Eſſet tamen graue peccatum, ſi ita tolerarent Vſurarios, vt accipientes ad vſuram cogerent ad ſoluendum,nec locum in iudicio darent repetentibus. Eſt enim cōtra ius naturę vſura,ob id eſſet lex iniqua,quę mandaret vſuras ſolui,& qui tale faceret, eſſet excommunicatus, vt habetur Clem.vnica,de Vſuris.Et IVS Canonicum vndecim pœnas infligit Vſurarijs.

Solutio Obiectionis.

Ex hiſce dictis euidenter elicitur, ne minimas aut etiam moderatas vſuras eſſe licitas,contra Carolum Molinæum in tractatu de commercijs,numero 7.11. & 515. ex auctoritate Philippi Melāchthonis. Qui error cum Fide CATHOLICA pugnat, & communi Theologorū ac Canoniſtarum conſenſu. Non me clam eſt, paucis abhinc annis imperitos quoſdam,à fide Catholica alienos, in quibuſdam Germanicis ſcriptis hunc errorem renouaſſe. Quorum ſententia huc redit, vſuras minimas concedēdas eſſe, quemadmodum minima & moderata furta ſint licita. Quod nemo ſanæ mentis vnquam tradidit. Cùm enim vſura ex ſua natura ſit mala, contra legem naturalem,& diuinam,neq; diſpenſatione Pontificis, neque auctoritate Imperatoris iuſtificari poteſt.

NB.

Contra errorem SECTARIORVM.

NB.

De Vſu-

Digitized by Google

De Vſura fuſiſſimè & enucleatè tractantes perquire hos Theologos & Canoniſtas: D. Thomã 2.2 q.78. Conrardum de Contractibus tract.2. à cap. 20. vſque ad 50. Sotum lib.6.q 1. Medinam in c. de rebus per vſuram acquiſitis, Nauarrum in Manuali Confeſſariorum, cap.17. à num.206. & in Comment. de Vſura ſuper cap.1.14.q.3. Didacum Couarruuiam lib.3 variarum reſolutionum, cap.1.2.& 3. Summiſtas in verbo VSVRA, & Canoniſtas in iure Canonico, tit. de Vſura.

CAPVT XLIII.

De alijs Contractibus, ceu Commodato, Precario, Depoſito, & Pignoribus.

I.

CONSENTIVNT. IN ſequentibus de COMMODATO documentis conſentiunt Leges & Canones. I. Commodatum non ſolùm in mobilibus, ſed etiã immobilibus rebus cõſiſtit. ff. de commod. l.1.& gloſſ. in c. vnico, de commodato. II. Commodatũ non poteſt reuocari ante vſum expletum. ff. eod. tit. & c. vnico, de commod. Addunt Canones limitationem, reuocari poſſe commodatum ante tempus, ſed vt teneatur de damno commodatario, iuxta l. in rebus, ff. commod. quod intellige iuxta Canones, niſi commodatus ſimiliter erat paſſurus damnum, niſi reuocaſſet, & commodatarius aliâs etiam prouidere non potuiſſet. Quia potius ex re mea debeo mihi conſulere: nec commodatarius poteſt dici deceptus, ex quo aliâs etiã ſibi prouidere non potuiſſet. III. Commodans vaſa vitioſa, vel equum, tenetur de damno proximi, ſi ſcienter hoc facit, nec reuelauerit commodatario. Gloſſ. in in c. vnico, de commod. Secus ſi ignorabat vitium. ff. commod. l. in rebus. IV. In commodato non poteſt interuenire merces, eod. c. aliâs enim tranſiret in locatũ, vel

vel contractum innominatum. In Inſtit.de commod. V.Res commodata domino perit, niſi commodatarius fuerit in culpa.dicto c. vnico. VI. Si commdatum ſit gratia recipientis, tantùm tenetur commodatarius de leuiſſima culpa,per dictum c.& dict.l.in rebus. Si verò ſit gratia commodantis tantùm, tenetur ſolùm de dolo.Si autem ſit gratia vtriuſque, tunc tenetur de dolo, & lata culpa.VII.Commodatarius non tenetur de caſu fortuito,niſi pactum ſeu mora interuenerit, per dictũ c.vnicum,de commod.& C.de commodato,l.1.

II.

De PRECARIO in hiſce punctis conſentiunt LEGES & CANONES.I.Precarium dicitur, quod precibus petẽti vtendum conceditur;tam diu, quàm diu is,qui conceſſit,patitur,c.vlt.de precario. & l.1.ff. eod. II. Poteſt reuocari ad placitum,etiamſi interueniſſet pactum de non reuocando, vt in c.fin. eod. niſi fuiſſet appoſitum per viam conditionis:ſic enim vitiat contractum. Huc facit c.fin.de condi.appoſitis.III. In precario venit ſolùm dolus& lata culpa,ſed in commodato venit leuiſſima.IV.Precarium conceditur ad certum vſum, c. vnico de commod. V. Precarium ſoluitur morte eius, cui conceſſum fuerat,c.fin de precar. Quia eſt cõceſſio perſonalis,quæ extinguitur cum perſona, vt dicitur de Priuilegijs,lib.6.de regul. Iur. Deinde ſoluitur alienatione rei precario conceſſæ;ſi is,cui eſt alienata à primo domino,velit reuocare.dict.c.fin. Tum Precarium vſque ad alicuius beneplacitum conceſſum,per mortem reuocatur.c.Si gratioſè,de Reſcript.libr.5.

III.

Item de DEPOSITO concordant Leges& Canones ad hunc modum.I.Depoſitum conſiſtit in rebus mobilibus& ſe mouentibus,niſi fortè vbi à pluribus res quæ eſt in controuerſia,pro SEQVESTRO deponitur, gloſſ. in c.bona fides,de depoſito,& c.examinata,de Iudic. ac

Digitized by Google

NB. in l. licet, ff. depoſ. II. Depoſitarius regulariter non tenetur niſi de dolo & lata culpa: quia communiter ſit gratia deponentis tãtùm, vt in dict. c. bona fides, & dict. l. 1. de depoſ. At in duob. caſib. tenetur etiã de leui Primus, ſi mercedẽ accepit pro cuſtodia, per dictũ c. bona fides, & l. 1. Secundus, ſi conuenit vt teneretur, ibid. Vbi dicitur, CONTRACTVS ex conuentione legem accipiunt, dummodò non conueniat, vt non teneatur de dolo. Quia hæc conuentio eſt contra bonos mores, & cõtra bonam fidem, ideoq; eſt reſpuenda. In tribus autem caſibus tenetur de leuiſſima. Primò, ſi cauſa depoſitarij apud eũm ſit res depoſita. Secundò, ſi depoſito ſe obtulit, intellige quando diligentiſſimum excludit. Tertiò, ſi conuenit. De caſu fortuito non tenetur, niſi fuerit in MORA reſtituendi, vel ex PACTO conuenerit. dict. c. bona fides. III. Eccleſia non tenetur Prælato eiuſdem pro depoſito, quod apud Eccleſiam perijt, c. 1. de depoſ. niſi ſit verſum in vtilitatem Eccleſiæ, vt ibid. Secus, ſi depoſitum factum fuiſſet Prælato, cum conſenſu Capituli, & alijs ſolennitatibus, quæ requiruntur vt obligetur Eccleſia. Quia eſt factum Eccleſiæ depoſitum tũc, ideo tenetur. Aliqui DD. ſentiunt, quòd ſi depoſitum ſit factum apud Sacriſtam, deputatum ad cuſtõdiam vaſorũ & depoſitorum à Prælato, & toto Capitulo, quòd Eccleſia teneatur, vt in gloſſ. in c. 1. eod. tit. Similiter, ſi Prçlatus conſueuit bene adminiſtrare & gubernare bona Eccleſiæ, præſumetur ea in vtilitatem Eccleſiæ conuertiſſe. IV. Depoſitor ſemper poteſt reuocare depoſitum quando vult. eod. c. bona fides, etiamſi depoſuiſſet, vt ſibi redderetur certo tempore. V. Depoſitum regulariter ſemper eſt reddendum quando petitur, per dict. c. bona fides. Nam id denegans, committit furtum, & cõdemnatus ſuo nomine, efficitur infamis. C. depoſ. l. qui depoſitum. Excipiũt Canones; furioſo ſi repeteret gladium depoſitum, non reddendum eſſe, etiamſi quis iuràſſet,

rāſſet, eum in cuſtodia habens, quocunq; tempore redditurū. xxij. q. 2. ne quis. Alios caſus vide in ff. de depoſ. l. bona fides. VI. Depoſitum non poteſt retineri cauſa cōpenſationis, in dict. l. bona fides. Et eſt ſingulare in depoſito: licet in alijs ſit ſecus, per regulam, xxxij. q. 7. dominus. Quod verum eſt de compenſatione directa, ſed de compenſatione indirecta loquendo, poteſt fieri in CONSCIENTIA ſimpliciter de quibuſcunq;. At quoad FORVM CONTENTIOSVM erit diſtinguendum, præſertim quando doloſè denegat debitum facere.

IV.

De PIGNORIBVS nulla eſt diſcrepātia inter LEGES & CANONES. I. Hæc ſequentia pignori prohibentur obligari: Homines liberi etiam pro debito, c. 2. de pignorib. nec Eccleſiæ, in Authent. de alien. & Emphyt. §. 2. nec Monumenta oppignerari poſſunt, l. 3. C. quæ res pign. oblig. poſſ. Item, Sacra vaſa, veſtimenta, libri, vel alia ornamenta Eccleſiaſtica, l. Sancimus, C. de Sacroſ. Eccleſ. & l. 1. ff. quæ res pignori oblig. poſſ. & c. 1. de pignor. niſi neceſſitate vrgente, vt eſt redemptio Captiuorum, & alimonia pauperum, & huiuſmodi, vt notatur in dicto c. 1. de pignoribus, & xij. q. 2. aurum. II. Hæc pacta prohibentur in pignore; ſi conueniat, ne pignus redimatur in perpetuum, vel ante diem debitori præfixā, arg c. Precarium, de Precario. Item, quando fit pactum ne liceat creditori pignus vendere poſt interpellationem debitoris. De hiſce modis dicitur, c. ſignificante, de Pignorib. Item, ſi fieret pactum, vt die conſtituta nō ſoluente debitore, creditor ſtatim rem haberet in feudum; id non VALERET, quia fieret fraus legi, c. 1. de Pactis. III. Si res oppignerata damnum accepit, tenetur is, in cuius poteſtate fuit, de dolo, lata culpa, & leui, vt notat gloſſ. in l. ſi creditor, C. de pignor. act.

NB. Priuilegiū rerum ſacrarum.

Vſuras, quæ committuntur circa pignus, ſupra explicaui.

CAPVT XLIV.

De caſibus, circa EMPTIONES *&* VENDITIONES *incidentibus, & concordare, & diſcordare Canones ac Leges. Item de* CENSIBVS *Perſonalibus, & Realibus, & Vſuris, quæ in hunc contractum incidunt.*

CONSENTIVNT.

NVlla eſt diſcrepantia inter LEGES & CANONES de ſequentibus pũctis, VENDITIONEM & EMPTIONEM concernentes.

PRIMÒ, Vendens poſſeſſionem, vel domum, aut huiuſmodi, & emptori non habẽti pretium tradit cum hoc pacto, quòd donec ſibi ſoluerit pretiũ, ſoluat debitam penſionem ea de re, cum promiſſione, quòd pretio ſoluto nihil amplius ſit petiturus; de VTROQVE IVRE nihil illicitè facit. Gloſſ. in c. cõqueſtus, quam communi conſenſu ſequuntur Canoniſtæ, de Vſuris, & l. curabit, C. de empt. ac vẽdit. Nec obſtat, quòd prædictum capitulum loquitur de eo, qui eſt in mora poſt terminum. Quia ob MORAM poteſt à principio cõtractus ita paciſci. Et licet aliqui Theologi & Legiſtæ dicant vſurarium, quoniam ſolùm percepit fructum, quia non ſoluit; ſecus quando de pecunia ſua lucratus fuiſſet, vel ex ea aliquam vtilitatem conſecutus fuiſſet, quia tunc locum habet prior ſententia, quæ videtur eſſe veriſſima.

SECVNDÒ, Iuſtum hoc cenſendum eſt rei pretium, quo communiter res ſolet emi & vendi, ceſſante fraude & dolo, ſecundùm communem æſtimationem, & arbitrium peritorum, & prudentum in eo venditionis genere; vt dicit l. pretia, ff. ad l. Falcid. & notat gloſſ. in c. hoc ius, x. q. 2. quam vulgò Doctores recipiunt. Ad valorem etiam debet perpendi tempus, quo peractus fuit emptionis contractus, vt in c. cùm dilecti, de empt. & vendit. & l. 2. C. de reſcin. vendit. niſi ſit dubium, an tempore ſolutionis ſit plus valitura.

TER-

Digitized by Google

Tertiò, Contractus venditionis cum pacto de retrouendendo eandem rem tempore definito, aut indefinito, eſt licitus, l. ſi fundum, C. de pactis inter emptorem & venditorem compoſitis, & extra de emp. & vend. quia ibi nulla interuenit iniuſtitia, cùm tam venditor, quàm emptor ſine alterius detrimento lucrum conſequatur. Quia tamen hic contractus multum ſuſpectus eſt de vſura, (c. ad noſtram, de empt. & vendition.) ideo ad iuſtitiam huius pacti, hæc concurrere debent requiſita. Primum, vt in rei veritate intercedat emptio, & non ſimuletur ab emptore. Secundũ, quoniam huiuſmodi pactum eſt in fauorem venditoris, & onus emptoris, vt fiat diminutio pretij. Quare, quando emens huiuſmodi pactum intendit, multum eſt negotium ſuſpectum de vſura, niſi magna charitate afficiatur erga venditorem. Tertium, hoc pactũ non debet eſſe, vt redemptio fiat maiori pretio, quàm emptio facta eſt: pretium autem taxandum ad arbitrium boni viri. Si autem huic contractui apponatur pactũ, vt res pereat periculo vendentis, & non emptoris, tũc eſt vſura palliata: quia iure NATVRAE res empta perit emptori, cùm ſit iam ſua.

NB: VSVRA in emptione & venditione.

Qvartò, Quando facientes MONOPOLIVM mercatores iniuſto pretio vendunt, aut notabile damnũ, vt plerunque fieri ſolet, inuehunt in Rempub. grauiſſimè peccant contra CANONES & CONSCIENTIAM, ac contra IVS CIVILE, & obligantur ad reſtitutionẽ, ex l. vnica, C. de Monopolijs: vbi apponitur pœna exilij, & ſpoliationis omnium bonorum. Huic malo pij Principes hoc remedio occurrere ſolent: Ob bonum commune & publicam vtilitatem ſtatuũt aliquos, quibus hæc prouincia committitur, vt aliqua minutatim pro pretio tolerabili vendantur.

Notent Iuriſconſ. Sectariorum.

Qvintò, Licitum eſſe EMERE CENSVS REALES, non dubium eſt in iure Ciuili; de iure verò Canoni-

Digitized by Google

co conſtat, ex Extrauagantibus Martini V. & Calixti Tertij: quæ habentur inter Extrauag. communes, in tit. de empt. & venditio. Ad cenſus autem Redimibiles, iuxta allegatas Extrauagantes, requiruntur octo conditiones. Prima, vt cenſus conſtituatur ſuper re certa & determinata, vt ſuper agro, prædio, aut domo, &c. Secunda, quòd illa ſola res maneat ſubiecta cenſui, & non alia bona. Tertia, quòd iuſtum pretium detur. Quarta, vt totum pretium ſimul ſoluatur. Quinta, quòd vēditor poſſit redimere totum, vel partem, quomodo, & quando ſibi melius videtur. Sexta, quòd venditor ad redimendum cenſum non obligetur. Septima, quòd pereunte re, ſuper qua cenſus fundatur, cenſus etiam pereat. Octaua, vt res cenſui ſubiecta reddat tantum, quantum cenſus valet. Pius V. in Bulla data Rômæ anno Domini 1568. 14. Calend. Febr. plures alias conditiones his adijcit.

SEXTÒ, quæritur quod ſit iuſtum pretium CENSVS? Ego ſentio, in hac re eſſe ſeruandam conſuetudinem prouinciæ, & æſtimationem bonorum & prudentum virorum, quando non eſt à Principe, vel Repub. certū determinatum pretium: quia in diuerſis prouincijs & regionibus DIVERSVM EST PRETIVM CENSVVM, vt eſt videre apud Conrard. q. 84. Andream Tyraquellum lib. 1. de vtroque retractu, & Couarruuiam lib. 3. variarū Reſolution. cap. 10. In Germania autem videtur conſtitutum, vt poſſint quinque emi pro centum, vt apparet ex conſtitutione Caroli V. in ordinatione Politica facta in Comitijs Auguſtanis Anno 1548. ſub titulo de Vſurarijs contractibus, & hoc pretium eſt congruum iuri communi, vt pro 20. vnus florenus ematur, & ſic in 20. annis penſio ſortem adæquet, ex AVTHENTICA DE NON ALIENANDIS aut permutandis rebus Eccleſiæ, §. quia verò, in Gloſſ. ibid. verbo computare, & Authentic. Perpetua. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. & ead. gloſſ. in cap.

Mos Germaniæ.

in cap. cùm cauſa, de teſtibus, verb. ad alium, in fine.

Septimò, Vendens rem carius notabiliter iuſto pretio rigido, ſiue maximò ob dilatam ſolutionem, tenetur ad reſtitutionem in VTROQVE FORO. Vide Canoniſtas in cap. in ciuitate, & c. nauiganti, de Vſur. Ratio eſt: quia rem pluris vendere non licet, quàm valet; neque plus valet, quàm pretium eſt de præſenti currens; pretium autem rei exiſtentiam eius comitatur, vt res tanti æſtimaretur, quanti eſt, quando exiſtit, & hominibus eſt vſui; & ſub hoc contractu PALLIATVR VSVRA. Perinde eſt rem 10 florenis valẽtem credito vendere 12. ac ſi decem ſtatim numerati, emptori mutuo darentur; ſub vſura duorum. Dixi, SIMPLICITER LOQVENDO, quia ratione LVCRI CESSANTIS, aut DAMNI EMERGENTIS, licet rem ob DILATAM SOLVTIONEM carius vendere, vt DD. tradunt. In tali tamen caſu ſunt ſeruandæ conditiones damni emergentis, & lucri ceſſantis. Eadem eſt ratio, ſi quis vilius iuſto pretio emat anticipata ſolutione. Vſuræ caſus.

Octavò, ſi ſit dubium, an res tempore ſolutionis ſit plus, vel minus valitura, nec venditor erat ante tempus ſolutionis vẽditurus, poteſt carius iuſto pretio ob dilationem ſolutionis vendere. Quia propter dubium euentum emptor & venditor commodum & incommodum ſperare poſſunt; cùm decurſu temporis pretium rerum ſoleat augeri vel minui. Vſuram autem committit vendens rem carius iuſto pretio credita pecunia, quam nõ erat ſeruaturus ad tempus ſolutionis, nec res etiam erat plus valitura, ex c. nauiganti, & c. in ciuitate, de vſuris. Rationem hanc reddũt Canoniſtæ; quia verus valor rei attenditur ſecũdùm tẽpus emptionis & vẽditionis, ex cap. cùm dilecti, de empt. & vẽdit.

Nonò, Ex communi Canoniſtarum conſenſu (in c. Si venditori, de empt. & vendition.) Venditor tenetur de euictione emptori, exceptis tribus caſibus. Primus,

Digitized by Google

mus, ſi in principio litis, vel ad minus poſt litem conteſtatam, non denuntiauit venditori, vt eum defenderet. Secundus, quando emptor citatus contumaciter abſuit tempore ſententiæ: quia videtur condemnatus propter ſuam contumaciam. Tertius, quando per iniuriam ſententia lata fuit contra emptorem. Multos alios caſus enumerāt Canoniſtæ, quos, ceu minus præcipuos, conſultò prætereo.

DECIMÒ, Si DOLVS per contrahentes dat cauſam contractui, puta dolo duxi ad vendendum, quod non eras venditurus, & ſic in contractibus bonæ fidei non tenet; ſecundùm gloſſ. & Panorm. in c. cùm dilecti, de Empt. & vendition. & gloſſ. in l. 2. C. de reſcin. vendition. In contractibus autem ſtricti iuris tenet contractus, ſed agens ex eo eliditur ope exceptionis, ff. de verb. obligation. l. ſi quis. Aut dolus non dedit cauſam contractui, ſed incidit in contractum: puta, eras venditurus; ſed dolo induxi te ad minus vendendum, & huiuſmodi, & ſic valet contractus. Sed in contractibus bonæ fidei aget ex eo contractu, vt ſuppleat pretium. vt ff de Empt. ac vendition. Erit tamen in arbitrio emptoris vel ſupplere pretium, vel reſtituere rem, ſi DECEPTIO ſit vltra dimidiam iuſti pretij, c. cùm cauſa, de Emptio. ac vendition. & l. 2. C. de reſcin. vend. In contractibus ſtricti iuris aget de dolo. Aut dolus nec dedit cauſam contractui, nec incidit in contractum, ſed re ipſa euenit ſine dolo & facto partis; vtputa ambo ignorabant iuſtum pretium, ſic non eſt PECCATVM, nec reſtituere tenetur niſi repetatur: ſi à principio nō plus emiſſet, etiam ſi ſciuiſſet plus valere; puta quia nō expediebat plus ſibi emere. Si autē plus emiſſet à principio ſi ſciuiſſet, & eſt deceptio notabilis, tenetur reſtituere rem, vel ſupplere pretiū, arg. dictæ legis, Si quis, de verb. oblig. vbi æquiparatur deceptio, quæ venit re ipſa, & ex propoſito. & dict. c. cùm dilecti. Secus in modico.

Caſus

Caſus, qui de vſura circa Emption. & vendition. accidere poſſent, pauculos ſupra recenſui; quæ res propriè ad Caſiſtas ſpectāt magis, quàm ad noſtrum inſtitutum.

Diſcrepant LEGES & CANONES in ſequentibus punctis.

PRIMVS CASVS: Quamuis lege Ciuili non puniatur decipiens infra medietatem iuſti pretij in emptione & venditione, nec contractus reſcindatur, l.2. C.de reſcin.vendit. in foro tamen CONSCIENTIAE ſeu Canonico, ſi ſit notabilis exceſſus, etiā infra terminum dimidietatis, qui decipit, TENETVR AD RESTITVTIONEM. Vide Canoniſtas, & præcipuè Nauarrum latiſſimè hæc explicantem, in capit. Nouit, de Iudicijs, & tit. de Empt. ac venditio. Hæc communis opinio probatur ratione. Decipiens enim infra dimidium iuſti pretij, peccat contra iuſtitiam commutatiuam; quia accipit alienum inuito domino, nec ſeruat æqualitatem inter pretium & rem venditam, quod omnium iudicio requiritur ad iuſtitiam in emptione & vēditione; ergo PECCAT, & tenetur ad RESTITVTIONEM. Idem patet ex ſacris Literis, Leuitic.25. *Quando vendes quippiā ciui tuo, vel emes ab eo, non contriſtes fratrem tuum.* 1. ad Theſſalon.4. *Ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.* DISSENTIVNT. NB.

SECVNDVS CASVS: Emptum de aliena pecunia eſt ementis, ſi nomine ſuo emit. l. Si ex eo, C.de rei vendit. Fallit de iure Canon. in empto ex pecunia Eccleſiæ. xij. q.3.c.1.& 2.& q.5.fixum. Quod adeò verum eſt, quòd ſi Clericus, habens pecunias de Præbenda, emerit prædium, amplius non poterit illud intuitu pietatis dare, licet pecuniam potuiſſet dare. Quia prædium ſtatim fit Eccleſiæ; ſiue emerit nomine Eccleſiæ, ſiue ſuo, ſiue alieno. c.1.de pecul. Cleric. & c.inquirendum.

TERTIVS CASVS: Iura Ciuilia CENSVM PERSONALEM non illicitum eſſe, at contrarium Canones decernunt.

Digitized by Google

cernunt. Hinc iuſtiſſimè in Prætorijs Hiſpaniæ tam ſecularibus, quàm Eccleſiaſticis huiuſmodi cenſus verè, aut præſumptiuè, vſurarius iudicatur. Rectè igitur per Bullam Pij V. Papæ talis perſonalis cenſus ſublatus eſt: quia vult cenſum fundari ſuper re immobili, certa & fructifera.

QVARTVS CASVS: Re empta euicta venditor emptori teneturin SIMPLVM tantùm; & ſi fuit in culpa in vendendo, tenetur etiàm ad intereſſe. In foro tamē CONTENTIOSO, in rebus pretioſis, arbitrio iudicis cogitur duplum promittere, aliâs condemnabitur in duplum pretij conuenti. ff. de euict. l. 2. & l. Emptori.

NB. Theſaurus INVENTVS ad quem pertineat.

QVINTVS CASVS: Verbi cauſa: Emens domum pro centum, in qua poſtea inuenit theſaurum valentē ducenta, de iure Canonum reſcinditur contractus, vel plus reſtituitur, c. cùm cauſa, de Empt. ac venditio. At de iure Ciuili non tenetur. Ratio: quia theſaurus eſt res mobilis, abſcondita ab ignotis dominis, tempore vetuſtiore, vt l. vnica, C. de theſauris. Ergo in nullius dominio erat. Ergo retinebimus diſpoſitionem iuris communis; vt ſit domini ſoli, ſi data opera, vel caſu inuenit in ſuo: vel ſi data opera in alieno ſolo, erit domini ſoli. Si verò caſu, erit medietas domini ſoli, alia inuentoris, vt in dict. l. vnic. Cùm ergo emptor ſit dominus ſoli, ad eum iure ſpectabit. De hoc caſus eſt in l. à tutore, iuncta gloſſ. ff. de rei vendi. vbi pecunia inuēta per modum theſauri, cedit emptori. Secus, ſi non eſſet per modum theſauri, vt in muro incluſa, vt dicit Tex. in dicto §. theſaurus: quia tunc non eſſet emptoris. Nec obſtat, quòd venditor non vendit theſaurum: ſtamus enim hîc in diſpoſitione iuris communis, vt cedat domino ſoli. Quod indubiè veriſſimum eſt, ſi emptor nihil ſciebat de theſauro. At ſi ſciens propterea emiſſet, res eſſet in ambiguo. S. Thomas xxij. q. 66. art. 5. videtur ſentire, quòd licitè ematur, vt & de ſubtilitate:

Digitized by Google

vtilitate iuris negari nõ poteſt. Aequitatis autem ratio videtur poſtulare, vt eius aliqua pars venditori detur. Sed quo ad CONSCIENTIAM, ex quo ſciebat, videtur inueniſſe, & ſi à caſu, medium inuenti ſibi poterit vendicare. Si verò deſtinatò quærens reperit, totum cedet domino ſoli, vt dict. l. vnica.

CAPVT XLV.

Non diſcrepare vtrumque Ius in Caſibus MANDATI, FIDEIVSSIONVM, *&* LOCATIONVM, *incidentibus.*

I.

PRæcipui modi, quibus quis pro ALIO OBLIGATVR, ſunt duo; MANDATVM & FIDEIVSSIO, de quibus paucula ſubnectã: nam de ijs non multa reperiuntur in Canonibus. I. Mandatarius non ſeruans formam mandati, nihil validi agit. Geſta enim contra formam mandati ſunt nulla; & non ſolùm quando fit expreſsè contra formam, ſed etiam cùm fit prçter, & citra formam. Quia quando ad actum datur certa forma, paria ſunt agere contra, citra, & præter formam. Textus eſt cum Gloſſ. in c. is cui, de electioni. lib. 6. & c. prudentiam, de offic. deleg. Huc facit l. diligenter, in princ. ff. mandati. II. Qui mandauit delictum, quod longo poſt tempore alius exequitur, mandans tenetur, ſi non reuocauit expreſsè vel tacitè, l. 3. ff. de adimend. legatis, & c. ad audientiam, de Homicid. III. Mandatum expirat morte mãdatoris, ſi res eſt integra: ſecus, ſi nõ eſt integra. DD. in c. gratum, & c. relatum, de off. deleg. & l. mandatũ, C. mandati.

II.

IV. In cauſa criminali, ob quam infligitur pœna corporalis, nullus poteſt ſe interponere fideiuſſorem,

Digitized by Google

c.ſi Clericus, de Sentent.excom.lib.6. Huc facit l.ſi quis ſeruum,iuncta l.Diuus Pius,ff.de cuſtod.reor. V. Cùm plures ſunt in ſolidum fideiuſſores, debitum debet diuidi inter eos, ſi ſunt omnes præſentes,& ſoluendo,ac hoc poſtulent ante litem conteſtatam. c. peruenit, de ſentent.excom.& ff.de fideiuſſ.l.ſi dubitet. Hoc tamen limitandũ,niſi fideiuſſores huic beneficio(quod Adrianus Cæſar conceſſit, C.de conſti.pe.l. diui Adriani)renuntiaſſent. VI. Præſente debitore principali & indiſcuſſo:non poteſt conueniri fideiuſſor, ſi conſtituerit ſe principalem debitorem.in dict.c.peruenit. & in Authen.præſente,C.eod.tit.Quod in eo procedit,qui huic beneficio non renuntiauit,vt C.de duo.re.ſti.Authen. hoc ita,& niſi debitor notoriè ſit non ſoluendo. VII. Creditor tenetur cedere actiones ſuas fideiuſſori,quas habet contra eum,pro quo fideiuſſit,aliâs poteſt ei denegare ſolutionem debiti,l. Modeſtinus, ff. de ſolut.l. fideiuſſoribus,ff.eod. VIII. Nemo poteſt ſe obligare ex contractu fideiuſſionis ad pœnam capitalem; quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum. xxiij. q. 5. ſi non licet,& in l.liber homo,ff.ad l. Aquil. Si tamen fuerit in dolo, punietur pœna arbitraria, vt notatur in dictis locis,& in gloſſ. c.cùm homo,xxiij q.5.

Atque hæc LEGES ET CANONES conſentienter ſtatuunt.

III.

DE LOCATIONE ET CONDVCTIONE in hiſce dogmatibus non diſſidet vtrumque Ius.

I. Actio ex locato datur locatori, quia petit mercedem promiſſam, quam ſi conductor non ſoluit,poteſt expelli: ſed ſi paratus ſit ſoluere, audiendus eſt. ff. loca.l.quæro,& extr.de locato. Itẽ expellitur, ſi dominus rem conductam proprijs vſibus neceſſariam probauerit, intellige ex neceſſitate ſuperueniẽte, cui aliter prouideri non poteſt; vt l.ædem, C.locati: aliâs nõ dice-

diceretur neceſſitas, ſi poſſet alio modo prouidere. Secus eſſet, ſi tempore locationis aliam domum non habebat; nam ſibi imputabit, nec expellere poterit, ff. locat. l. Si quis. Tertiò, ſi domum reficere voluerit ob minam ruinæ, quæ tamen tempore locationis non minabatur. In quo, vt & precedenti caſu, fiet remiſſio penſionis pro rata temporis, c. propter ſterilitatem, de locato, & l. ædem, C. locati. Vel prouidebit de alia domo æquè idonea, ff. eod. l. cùm plures. Quæritur, an ea reſtaurata, cōductor in eam reduci debeat, affirmat gloſſ. extra de locato. Quartò, ſi conductor malè in re locata verſetur. Quod fit aut ſine læſione rei conductæ, quo caſu non remittitur merces: vel cum læſione rei, & remittitur, ſed dominus aget ad intereſſe de damno dato. Per hanc DISTINCTIONEM concordandi ſunt Legiſtæ & Canoniſtę, in dict. l. ædem, & dict. c. propter ſterilitatem. Extra illos caſus conductor expelli non poteſt, l ædem, C. eodem. Pro mercede autem ſunt locatori omnia illata & inuecta TACITE obligata: ſi tamen expreſſa HYPOTHECA, vel pignus locatori cōſtitutum eſſet, res illatæ & inuectæ tacitè non obligarentur, quia PROVISIO HOMINIS TOLLIT PROVISIONEM LEGIS. Regula Iuris. l. fin. C. de pact. conuen. Res enim illatæ & inuectæ ex prouiſione legis, ſcilicet l. 2. & 3. ff. in quibus cauſ. pign. vel hypoth. & cæt. ipſi locatori tacitè obligatæ ſunt. Expreſſa autem hypotheca ex contrahentium cōuentione conſtituitur, quare etiam derogat tacitæ obligationi, quæ ex ipſa lege tantùm orta eſt. Cæterùm, quia hæc actio eſt REALIS, locator ea poteſt perſequi rem, à quocunque fuerit poſſeſſa. Si tamen tertius poſſeſſor habeat titulum & bonam fidem, videtur tutus eſſe ab hac actione, quæ dicitur Seruiana. NB.

II. Locator contra conductorem poteſt agere ad reſtitutionem rei locatæ, in qua conſequitur quoq; reſtitutionem deſtructorum. l. cùm conductorem, C. eod.

In hac actione præſtātur DOLVS, LATA, & LEVIS culpa. Ideo ſi res dolo vel culpa conductoris periret, periculum conductoris eſſet. l. in iudicio, C. eod. Sub culpa comprehenduntur primò, imperitia: ſecundò, error: tertiò, negligentia.

III. Actio ex conducto datur conductori alicuius corporis vel rei, ex his ferè cauſis; vt puta, ſi re non liceat vti, quam conduxit; quia poſſeſſio totius agri, vel partis eius non præſtatur cōductori; aut domus non reficitur, & cæt. & poteſt agere cōductor ad remiſſionem mercedis. In quo tamen diſtinguendum. Aut conductor impeditur vti re locata, impedimento locatoris: & tenetur locator ad intereſſe, quanti ſcilicet conductoris interfuit re conducta vti non potuiſſe. l. ſi de fundo, C. locati, & extra de loca. Aut impeditur impedimento tertij cuiuſdam, & datur diſtinctio. Vel locator potuit prohibere, ne impediatur conductor, nec prohibuit: & iterum tenetur ad intereſſe, ſi non prohibuit. Aut non potuit prohibere: & remittitur penſio, ſeruata iuſta proportione.

Item, agit conductor pro remiſſione penſionis propter ſterilitatem, vbi ſcilicet RECOMPENSARI NON POTEST CVM VBERTATE RESIDVI TEMPORIS. Extra de Locato, c. propter ſterilitatem, & l. licet, cum ſimil. C. eod. Remittitur quoq; conductori penſio propter vim fluminum, graculorum, ſturnorum, aut hoſtium, vel ſi vredo fructum corruperit, aut ſolis feruore non aſſueto id acciderit, vel ager terræ motu ita corruerit, vt nuſquam ſit, vel domus ſine culpa conductoris incendio perierit. Et breuiter, propter omnem vim, cui reſiſti non poteſt, agit conductor ad remiſſionem mercedis, ſiue penſionis, l. ex conducto, ff. eod. & extra de locato, c. propter ſterilitatem.

NB.

IV. Quando fertilitas ex eo prouenit, quòd fructus induſtria conductoris creſcunt, non eſt penſio augenda; quia

Digitized by Google

da;quia ſua INDVSTRIA NON DEBET EI ESSE DAMNO: l.fin.C.de alluuion. nec etiam quando ex fœcunditate prædij, aut fundi. Si autem caſu fortuito fertilitas augeatur, vtpote quia alia molendina deſtructa ſunt, ex meo molendino plus lucri conductor habet in duplo, poſſum augere pro rata penſionem; ſicut ob ſterilitatē caſu fortuito euenientem, remittere pro rata teneor; quia contrariorum eſt eadem diſciplina. Axioma Logicum.

V. Locans ſcienter rem vitioſam, vt vaſa, domum, & cæt.& non indicans conductori; ſi damnum ſequatur, in VTROQVE FORO tenetur ad reſtitutionem.l. ſed addes,ff.eod.

VI. Quando conductor aliquid neceſſarium,vel vtile in re locata expendit, locator debet reſtituere expēſas,ff.locati & conducti.l.dominus:ſi tamen poſſit tollere expenſas ſine læſione rei locatæ,non tenetur locator.

VII. Ob neceſſitatem poteſt conductor dimittere domum ante præfinitum tempus contra voluntatem domini;Canoniſtæ in c.propter ſterilit. extr. de locat. & gloſſ.in l.ſi in lege,ff.loca. Vnde conſequitur, quòd etiam propter peſtem (quæ eſt probabilis neceſſitas) poſſit dimitti Huc facit text.in l.habitatores,ff.eod.tit. In foro CONTENTIOSO, forſan alia conſuetudo ſeruaretur.

VIII. Conductor poteſt rem locatam alteri locare, niſi aliud ſpeciali conuentionē pactum fuiſſet.c. inter dilectos,de Fide inſtrum.& l,nemo,C.locat.

Nota.

Quia de reliquis Contractibus (ſtipulationis, permutationis, negotiorum geſtorum, tutelæ, ſocietatis, & cæt.) nihil ferè tractant Canones, ego eorum tractationem etiam intermittere debui conſultò; tum etiam, quia eorum fundamentalia ex ſuperioribus nullo negotio cognoſci poſſunt.

De caſibus VSVRAE, *incidentibus in omnibus ferè contracti-* *bus,*

bus ſupra de MVTVO *partim quædam explicaui, partim ex ijs colligi poſſunt.*

CAPVT XLVI.

De DELICTIS *publicis ac priuatis, & primùm de* FVRTO, *reſtitutioneq́; rerum* ABLATARVM.

SEquuntur iam obligationes, quæ ex delicto naſcuntur; delicta autem ſunt duplicia, priuata, & publica, de quibus iam dicendum eſt.

I.

De furtis, & reſtitutione circa ablata. CONSENTIVNT.

Priuatis delictis FVRTVM annumeratur; de quo Leges & Canones conſentienter hæc tradunt documēta. I. De furtis circa inuenta, ita diſtinguunt Leges & Canones. Ea ſunt in triplici diſcrimine. Quædam nunquā habuerunt dominum, nec fuerūt in alicuius poſſeſſione. Quædam habuerunt ante memorabile tempus, & iam pro derelictis habentur. Alia habuerūt dominum breui tempore, qualia ſunt, quæ quotidie perduntur. In VTROQVE foro eadem eſt ratio de eis, quæ nunquam habuerunt dominum, & alijs, quæ pro derelictis habētur: & huiuſmodi omnia, de LEGE CIVILI & CANONICA (exceptis Regnorum priuatis legibus, ſtatutis & conſuetudinibus) ſunt inuentoris & accipientis. Si quis autem inuenit de nouo perdita, quæ non habentur pro derelictis, & ſibi retinet, nec reddit ei cuius ſunt: vel nō facit diligentiam, vt dominum inueniat, fur eſt ſecundùm communē doctrinam, & patet ex hac memorabili ſententia. 14. q. 5. Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti: quantum potuiſti feciſti: quia plus non inueniſti, ideo plus non rapuiſti. Quare non LEGES, ſed rapinæ ſunt in aliquibus locis, vbi ſtatuitur, quòd bona naufragantium, vel furto ablata, pertineant ad dominum terræ.

II. Si

II. Si quis mala fide, & ſiniſtra intentione, rem alterius à fure emit, tenetur reſtituere vero domino, ſiue habeat, ſiue non: ſi nō eandem rem poteſt, tenetur in pretio. Eſt communis DD. ſententia, l. 2. ff. de furtis, & 12. q. 2. c. Vulteranæ, cū gloſſa recepta. Nec talis poterit pretium repetere à vero domino, l. in ciuile, C. de furtis. Cui ſententiæ magno conſenſu Canoniſtæ aſtipulantur. Nec in hoc caſu ignorantia iuris excuſat, quia hæc prohibitio à iure naturali originem traxit, cuius ignorantia neminem excuſat. NB. Contra Sectariorum Iurecōſ.

III. Qui rem à fure emit in vtilitatem veri domini, vt ei reſtituat, poteſt repetere pretium; & dominus tenetur ei reddere cum moderatis expenſis, ſi quas fecit; patet 14. q. 5. cap. Rapinam emere non licet, niſi ea intentione, vt domino reſtituatur. De iure tamen CIVILI, & in foro contentioſo non creditur tali emptori, niſi publicè proteſtatus fuiſſet, quòd ea intentione emeret, vt negotium veri domini ageret.

IV. Qui bona fide rem alterius emit, id eſt, non credens eſſe furatam, aut alienam, ſi rem alienauit durante bona fide, non tenetur ad vllam reſtitutionem, (DE VTROQVE IVRE) niſi in aliquo factus ſit ditior, vel ſi aliquod lucrū acquiſiuit. Ex hac radice ſequitur, ſi quis equum à raptore dono accepit, quem rapuit, ſi diuendidit, tenetur ad totius pretij reſtitutionem; quia in illo factus eſt ditior.

V. Qui rem bona fide à fure, aut iniuſto poſſeſſore emit, ſi penes eum adhuc ſit, certior factus de vero domino, tenetur ad reſtitutionem, nec poteſt pretium repetere à domino. l. Mater, & l. Si mancipium, C. de rei vendicatio. Certior tamen factus, quòd res aliena ſit, poteſt venditori reddere, & ſuam pecuniam repetere. Et quomodocunq; reſtituerit vero domino, venditor tenetur ei ad pretium, c. fin. de empt. & vendit.

VI. Abſque animo furandi, non committitur furtū.

Digitized by Google

l.furtum,ff.de Vſucapion.& xiv.q.6.c.vlt.

VII. Fur tenetur ad reſtitutionem fructuum rei, non ſolùm quos percepit, ſed & percipiendos à vero domino, ſeu quos percepiſſet. c.grauis, & l in re furtiua, de Furtis.

II.

Diſcordant Leges & Canones in hiſce, quamuis pertenuibus dubijs.

I. Sola voluntas non efficit furem, de iure Ciuili, l 1. ff.de furtis;ſecus de iure Canon.quoad Deum, de Pœn. diſt.1.vulgaris,& c.propterea,xiv.q.vlt.c.vlt. II. Omnes adiutores, promotores, participes & ſocij furtorum, tenentur in ſolidum, etiam quamuis vnus per ſe potuiſſet,l.ita vulneratus,ff.ad l.Aquil.& l.ſi plures,ff.ar.furce, Arbitror iſtas leges loqui de pœna, ad quam omnes tenentur in ſolidum. At de iure Canonum, ſeu quoad CONSCIENTIAM,vbi non habet locum pœna niſi poſt condemnationem, ſolùm tenentur ad reſtitutionem.

DISSENTIVNT.

III.De iure Ciuili requiſitus in iudicio,non tenetur reuelare furem;quia poteſt aliquid accipere vt indicet.ff. de præſcript. l. ſolent. ſecus eſt de iure Canonico. Alij Canoniſtæ aliter ſentiunt; quòd tam de iure Canonico,quàm de Ciuili ad inſtantiam partis non tenetur niſi reuelare furtum:non furem ad pœnam. Sed iudex ex officio implorato, vel dum procedit per inquiſitionẽ generalem, poteſt compellere ad indicandum furem.

NB. Quamobrem Epiſcopi poſſunt admonere & excommunicare eos,qui nolunt prodere furtum,aut fures: ex officio enim incumbit Magiſtratibus,prouincias malis hominibus expurgare. IV. De antiquo iure Ciuili fur manifeſtus puniebatur pœna quadrupli; non manifeſtus autem pœna dupli,eius quod abſtulit. Cùm autem creſcere cœpiſſet hoc delictũ,debuit ETIAM CRESCERE POENA;nam ſecundùm MORES HOMINVM MVTATOS,MVTANTVR ETIAM POENAE & STATVTA.c.non

Regula Iuris.

debet,

debet, extr. de conſang. & affin. & diſtinct. 4. erit autem. Tandem cœptum eſt in fures agi criminaliter; nam fuſtibus, furca cædebantur, aut in exilium mittebantur, vt C. de ſer. fu. Auth. ſed nouò iure. Vltimò ſupplicium mortis in eos decretum, ſecundùm iura feudorum, tit. de pace tenend. §. Si quis quinque. De iure verò Canonum, ſi Clericus ob furtum commiſſum infamia notatus eſt, & repellitur ab Ordinibus ſuſcipiendis, & priuatur ſuſceptis, 83. diſtinct. Presbyter, & xvij. q. 4. Si quis Clericus, & detruditur ad agendam pœnitentiam, c. tuæ, de pœnis.

CAPVT XLVII.

De ſpeciebus Furti QVINQVE, *earumq́ pœnis, quas ſtatuunt Canones ac Leges. Item de mulctis* VSVRARIORVM.

I.

PRoximũ eſt, vt ſpecies Furti ſubiungamus; quæ his nominibus nũcupari ſolent: ſi homo liber abducitur, nominatur Plagiatus: ſi res ſacra, vel aliquid ex loco ſacro, Sacrilegium: ſi aliquid de grege ſurripiatur, Abigeatus: ſi autem aliquid ex publico auferatur, Peculatus: quando autem vis infertur, Rapinæ nomẽ ſortitur: qui ſub ſpecie contractus aliquem contra iuſtitiam decipit, & plus aufert, quàm ei debetur, Vſuram committit.

De iure Ciuili Plagiarius beſtijs ſubijcitur, ſi eſt ſeruus vel libertus: Si autem ex ingenuis eſt vilis perſona, punitur gladio; ſi nobilis, damnatur in metallum, vt per tot. titulum ad leg. Flau. de plag. Ius Canonicũ nullam ſpecialem exprimit pœnam, niſi capiamus eam, quam modò de furtis protuli. Deinde, emens hominẽ liberũ baptizatũ vel baptizandũ, ſi infra tres mẽſes non dimiſerit, perdit pretium. Vel dicẽdum eſt, hoc crimen

 eſſe

Digitized by Google

eſſe dignum depoſitione; de quo plenè per DD. in c. ac ſi Clerici, & in c. cùm non ab homine, de Iudicijs, & in c. 1. & vlt. de furtis.

II.

Sacrilegiū: quid?

Iura Ciuilia nominant Sacrilegium, quando quis auffert ſacrum de loco ſacro. At Canones etiam læſionem Eccleſiaſticæ perſonæ, & violationem immunitatis Eccleſiæ aut Cœmiterij, SACRILEGIVM nominant. xvij q. 3. quiſquis, & c. ſi quis, & c. ſeq.

Leges Ciuiles imponunt pœnam pro qualitate perſonæ, rei, temporis, ætatis, & ſexus: pleriq; in furcam ſuſpenduntur: hodie plerunque ſolent membra eorum rota contundi. Si autem quis modicum de templo extulerit, damnatur in metallum, vel in inſulam deportatur, ſi honeſtus eſt. Vide totum Tit. C. de crimine Sacrilegij. l. ſi qua in. C. de Epiſcop. & cler. ſacrilegis imponitur pœna capitalis: Canones verò mitiorem ſacrilegis pœnam irrogare ſolent, nempe excommunicationem poſt trinam admonitionem, c. fraternitas. xij. q. 2. Clericus ſi ob hoc crimen infamiam incurrit, priuatur beneficio & officio, c. ſi fortè, xvij. q. 4. & 23. q. 4. Quod ergo. Si autem non eſt publicum, poſſet Epiſcopus cum pœnitente & correcto diſpenſare.

III.

Abigeatus pœna, eſt damnatio in opus temporale; vbi tamen frequens fuerit, gladio punitur, per tot. titulum C. de Abigeis. Secundùm Canones punitur pro furto, arg. eorum quæ notantur in c. fin. de furtis. vel depoſitione, per ea quæ notantur in c. cùm non ab homine, & c. tuæ, de pœnis.

IV.

Circa pœnam PECVLATVS diſtinguitur. Aut is, qui ſubtrahit, eſt iudex, & in adminiſtratione: & pœna eſt capitalis animaduerſio. Aut is, qui ſubtrahit, eſt priuatus aliquis: & pœna eſt deportatio. C ad l. Iuliam pecula-

culatus, l. vnica. Ius Canonicum, Preſbyteris, & alijs viris Eccleſiaſticis appropiantibus vel alienātibus bona Eccleſiaſtica, excommunicationis pœnam infligit, donec reſtituerint. Si reſtituere non poſſunt, deponũtur. xij. q. 2. c. Diaconi. De quo in c. ſi quis, de reb. Eccle. non alien. & in Auth. iubemus, §. iconomus. C. de ſacroſ. Eccleſ.

V.

Rapina mitius punitur de iure Ciuili, quàm furtum. Quia raptor ſe exponit periculo mortis inuadẽdo: fur autem non ſic: tum, quòd furtum eſt frequentius, quàm rapina; debet itaque ſeuerius puniri propter exemplum. l. aut facta. §. fi. ff. de pœnis. Infra annũ pro bonis raptis datur nonnunquã quadruplum, poſt annum verò ſimplum. C. ad l. Iul. de vi. l. res. Quandoq; in duplum tantùm, ff. eod. l. 4. Canones raptoribus, & præſertim Eccleſiarum violatoribus, niſi de damno dato ſatisfecerint, Abſolutionis beneficium denegant. In gratiam autem recipiuntur in agone mortis, ſi reſtitutionem & emendationem promiſerint. Clerici, ſi hoc ſcelere ſe contaminârint, Ordine cadunt, & Beneficio, citra diſpenſationem. Hæc in c. ſuper eo, de Raptoribus.

VI.

Præcipuæ Vſurariorum pœnæ ſunt hæ, quas Canones conſtituerunt. Non admittuntur ad Confeſſionẽ, niſi prius pro facultatibus ſatisfecerint, vel cautionem dederint de ſatisfaciendo, c. quanquam, de Vſuris, in 6. Nec etiam admittuntur ad Communionem, aut Oblationem, vel Eccleſiaſticam ſepulturam. Nec valet eorum Testamentvm, niſi pro facultatibus ſatisfactum ſit illis, quibus facienda reſtitutio, vel idoneè cautum ſit de reſtitutione. Hæ & aliæ pœnæ conueniunt manifeſto vſurario, qui palam & publicè fœneraticam artem exercet: vel coram ſacerdote & teſtibus

Vsvrariorvm pœnæ.

fatetur ſe vſurarium, & mandat reſtituere: vel in iudicio confeſſus eſt. Tandē cùm vſura ſit peccatum contra iuſtitiam, omnia acquiſita & extorta per vſuram ſunt reſtituenda, ſecundùm communem ſententiam, & rei veritatem: & hæc OBLIGATIO tranſit etiam ad HAEREDES VSVRARII, aliosque participantes ex bonis vſura partis. c. tua, de vſuris, & c. in literis, de Raptorib. & cap. fin. de Sepulturis.

CAPVT XLVIII.

De Adulterij, Stupri, Raptûs, ac Inceſtûs caſibus, & pœnis, partim conuenire, partim diſsidere Leges ac Canones.

I.

CONSENTIVNT.

ADultero imponitur pœna gladij, C. de adulterijs, l. caſtitati, & l. quamuis. Adultera verò verberata in Monaſterium detruditur. Authen. ſed hodie, C. de adulterio. Item, mulier amittit dotem, & vir donationē propter nuptias, ſi matrimonium ſeparetur per ſentētiam iudicis Eccleſiaſtici; aliâs non. Et ſi notorium eſt adulterium, vir propria auctoritate poteſt expellere vxorem: QVIA FRANGENTI FIDEM, FIDES FRANGATVR EIDEM. Perdit etiam mulier donationem propter nuptias, quam ex pacto, aut ſtatuto debebat lucrari soluto matrimonio. Bona verò paraphernalia non amittit, ſecundùm DD. QVIA IN POENIS BENIGNIOR INTERPRETATIO eſt facienda. Amittit etiam ius petendi debitum, xxxij. q. 5. c. Chriſtiana; ſecus, ſi ambæ perſonæ ſunt adulteræ; quia tum DELICTVM MVTVA COMPENSATIONE TOLLITVR, iuxta vulgatam iuris regulam. Si tamen reconciliantur, recuperantur hæc omnia, c. plerunque, de dote poſt Di. Hæc Canones & Leges CONSENTIENTER tradunt, vt & ſequentia.

Adul-

Digitized by Google

Adulterium ab vxore commiſſum vir non poteſt accuſare in ſeptem caſibus. I. Si vir æquè eſt adulter, c. intelleximus,de adulterijs. II. Si vxorem proſtituit ,c.diſcretionem,de eo qui cogn. conſanguin. III. Si violenter fuit oppreſſa ff.ad l.Iul.l.vim patiatur. IV. Si ignoranter & fraudulenter ab alio fuit cognita, quem credebat eſſe maritum, xxxiv. q 2. in lectum. V, ſi credens virum mortuum, alteri nupſerit.xxxiv. q 1. cùm per bellicam,& c.Dominus noſter, de ſecundis nuptijs, & Auth.hodie,C.de repudijs. VI. Quando poſt adulterium ei reconciliatus eſt, c. quemadmodum, de lureiur. VII. Quando viro obſtat proprium iuramentum, vt in dicto c. quemadmodum,de iure iuran.

Adhæc datur marito facultas vxorem adulterã infra biennium ſibi reconciliandi. Eo elapſo,aut viro interea mortuo,adultera habitu ſuſcepto, in Monaſterio reliquum vitę exigere cogitur,tonſis capillis ante & retro,ac excommunicatur: ex eius ſubſtantia duæ partes liberis,tertia portio Monaſterio cedit. Si nulli liberi, at parentes ſuperſtites ſint, ijs triens, Monaſterio duæ partes bonorum applicabuntur. Si vtrique non ſuperſint,aut parentes conſcij fuerint adulterij,omnia bona Monaſterio acquirũtur. Et ſi pactum factum fuiſſet inter virum & vxorem,de lucranda dote in totum,vel in parte; illa ſeruanda erunt, ſiue CRIMINALITER, ſiue ciuiliter de crimine agatur, per l. fin. C. de pactis conuen. & l.ſanci.legum,ff.de pœnis. Ita communiter ſentiunt DD.in Authen. Sed hodie,C.ad l.Iuliam, de Adulterijs.

II.

DISSENTIVNT LEGES ET CANONES in ſequentibus punctis.

PRIMÒ, Marito,vxorẽ in adulterio deprehenſam, & ipſum adulterum OCCIDERE in flagranti crimine, ob doloris grauitatem, quem tunc perferre moleſtiſ- DISSENTIVNT.

ſimum

ſimum eſt, Ciuilibus Legibus permiſſum eſt: vt habetur l. Gracchus, C. ad legem Iuliam, de Adult. & l. Marito, ff. eod. tit. Sed his non obſtantibus, certiſſimum & receptiſſimum eſt de IVRE CANONVM, cum in foro conſcientiæ homicidam iudicari, vt patet 33. q. 2. c. Inter hæc. Vbi ex Nicolao Papa dicitur; quòd ſancta Dei Eccleſia mūdanis NON CONSTRINGITVR LEGIBVS,

Canonū ſcopus.

„ GLADIVM NON HABET NISI SPIRITVALEM, QVO „ NON OCCIDIT, SED VIVIFICAT. Notum eſt, iura Canonica in cauſa ſanguinis ſibi nullum iudicium vſurpare. Cùm enim Eccleſia fecit quod ſui erat officij, nimirum pœnas ſpirituales irrogando, adulteras perſonas, vt & alios facinoroſos, propter præciſam ſpem emendationis futuræ, debita forma ſeruata, EOS IVDICIO SECVLARI TRANSMITTIT. c. cùm non ab homine, de Iudicijs. Nec obſtat, quòd Iureconſ. pro defenſione ſuæ legis obijciunt, dolum cum dolo cō„ penſari debere. l. ſi duo. ff. de dolo. & paria delicta mu„ tua compenſatione tolli, c. intelleximus, de Adulterijs. At contra etiam Leges pronuntiant: NEMINEM DEBERE SIBI IVS DICERE PROPRIA AVCTORITATE, præſertim cùm copia non deſit iudicis, arg. c. per venerabilem. extr. qui filij ſint legit.

NB.

NB.

Adulteriū ab VTROQVE SEXV committi.

SECVNDÒ, de iure Ciuili Adulterium propriè in nuptam committitur. l. inter liberas, ff. l. Iul. de Adulter. Quod eò fit, quia ſecundùm Leges mulier virum de adulterio deferre non poteſt. l 1. C. eod. Secus eſt de iure Canonico; nam mulier poteſt virum accuſare adulterij, per c. maritis, & c. intelleximus, de adul. Quòd non permitteretur, niſi etiam viri Adulterium cōmiſiſſe diceretur. Et 32. q. 5. expreſsè habetur, ADVLTERIVM in vtroque SEXV committi Can. Chriſtiana.

TERTIÒ, Canones mitiorem pœnam Clericis adulteris infligunt; nempe ſuſpenſionem ab officio, & creſcente cōtumacia, degradationem. c. Maximianus. 81. diſt.

81 diſt.& c.ac ſi clerici, de Iudic.Si autem cum filia ſpirituali adulteratur, depoſitus ab officio,& 15.annos exulare iuſſus, tandem æternùm Monaſterio addicitur. xxx.q.1.Si quis ſacerdos.

III.

STVPRVM propriè accipiendo in Virginē,& largè in Viduam honeſtè viuentem committitur. l.Stuprum.ff.ad l.Iuliā de Adulterijs,& l. inter liberas, eod. tit. Et eſt duplex, voluntarium & violentum. Voluntarium eſt, quod volente & conſentiente virgine vel vidua fit; cuius pœna eſt (de IVRE CIVILI) publicatio dimidiæ partis bonorum in ſtupratore honeſto. In humili verò coertio corporis cum relegatione. Tutor, qui ſtuprauit eam, cuius fuit tutor, deportatur,& bona Fiſco vendicantur, per l eam, C.Si quis eam, cuius tutor fuer. Idem eſt in curatore, per l.qui pupillam, ff. eod. Iuxta Canones, qui ſeduxit virginem, vel decepit, tenetur eam dotare, & in vxorem accipere; ſi pater conſenſerit, c.1. & 2.de Adulter. Quòd ſi renuit, minimum ad dotem dandam obligatus eſt. Si autem non vult, aut non poteſt cum ea contrahere, corporaliter caſtigatur & excommunicatur, imò & in Monaſteriū detruditur; ex quo ſine licentia Epiſcopi egrediendi non habet facultatem. Clericus huius facinoris reus caſtigatur in corpore, c.peruenit de Adulter.& de eius bonis ſtuprata dotabitur. Quia pro Intereſſe mulierū hæc pœna ſtatuta eſt,c.1.de Adulter. Vel etiam mulcta ac depoſitione coerceri poteſt,de pœnit.c.licet, & de officio ordin. c.dilectus. Hæc vera eſſe de foro contentioſo nonnulli aſſerunt & addunt in CONSCIENTIA ſtupratorem non niſi teneri eam, (ſi ſtupro ſponte acquieuit,) cum qua rem habuit, in bonum ac honeſtū ſtatum reducere. Huc facit vſitata Reg. Iur.in 6. SCIENTI ET VOLENTI NON FIT INIVRIA.

IV.

Violentum ſtuprũ eſt, quando virgines vel viduæ per vim opprimuntur, vel abducuntur, non diſtinguẽdo, ſiue volentes, ſiue nolentes abducantur. Quod ſcelus dicitur propriè RAPTVS, cuius pœna (quoad IVS CIVILE) eſt pœna capitis, quam parentes vel cognati ipſi ſumere poſſunt à rapiente, ſi in flagranti crimine deprehenderint: vt C. per totum, de rap. Virginũ ſeu viduarum.

DISSENTIVNT. Canones CONTRA decernunt & diſtinguunt; ſi ob præcedentem tractatũ de matrimonio ineundo ſtuprata vi abripitur, nullam pœnam incurrit Raptor. Si verò prædictus tractatus non præceſſit, etiamſi puella volens raptoris deſiderio acquieuit, is punitur. xxvij. q. vlt. Lex illa, argu. 36. q. 1. nam obligatur ad reſtitutionem, non ſolùm ſubtracti, ſed etiam lucri, quod habuiſſet ille, ſub cuius poteſtate erat. Præterea, raptor efficitur ſeruus raptæ, niſi velit ſe redimere. xxxvj. q. 1. de Raptorib. & excommunicatur cum ſuis fautoribus. 36. q. 2. c. 1. Clerici verò deponuntur, vt in c. 1. de adul. & c. reos, & c. puellis, ibid.

IV.

NB. Contra Sectariorum Iureconſ.

INCESTVS propriè eſt conſanguineorum, vt aſcendentium, & deſcendentium, vel collateralium proximorum abuſus. c. lex illa, xxxvj. q. 1. Cùm tamẽ Sanctimonialis corrumpitur, etiam inceſtum, adulterium, & ſacrilegium nominãt Canones. xxvij. q. 1. virginibus. Huic crimini grauior pœna imponitur, quàm adulterio, de iure Ciuili & Canonico, vt colligitur ex c. 2. Extra de eo, qui cog. conſang. vx. ſuæ. Vide l. ſi adulterium cum inceſtu, in princ. ff. ad l. Iul. de adul. Addunt Canoniſtæ, inceſtuoſum nõ poſſe matrimonium contrahere, ſed nec etiam exigere debitum à propria vxore, quam ante inceſtum cõmiſſum habuit, niſi diſpenſetur cum eo, xxvij. q. 2. Qui dormierit: &, ſi duo viri. xxxv. q. 6. & q. 3. c. de inceſtuoſis, vbi textus clarè noſtræ

aſſenti-

Digitized by Google

aſſentitur ſententiæ. Et c.nec eam. Item xxxij.q. vij. ſi quis viduam. Eſt enim inceſtus impedimentum impediens matrimonium contrahendum, adeo vt peccet mortaliter,qui contrahit ſine diſpenſatione,non tamē dirimitur contractum. Communis opinio eſt DD. hoc impedimentum intelligi de vtroque inceſtuoſo, tam qui affine, quàm qui conſanguinea abuſus eſt. At alij ſolùm de affine intelligunt,quod probabilius videtur, cùm non ſit vllus textus tale impedimentum ponens. Qui igitur cum conſanguinea ſuæ vxoris rem habuit, ipſa mortua non poteſt amplius ducere ſine diſpenſatione. Imò, qui etiam rem habuit cum conſanguinea eius,cum qua fornicatus eſt, non poteſt ducere vxorē; nam fornicatio etiam facit affinitatem. Rurſus, idem inceſtuoſus cum conſanguinea vxoris, non poteſt petere debitum, ſed ſolùm reddere, quouſque obtineat diſpenſationem,quam poteſt dare Epiſcopus,ſicut etiam diſpenſationem ducendi vxorem, ſi prior moriatur, aut ſi inceſtuoſus non erat coniugatus.

CAPVT XLIX.

De FORNICATIONE *in genere,* CONCVBINATV, *pœnis* RAPTORVM, *& Beſtialitate.*

FORNICATIO eſt illicitus concubitus ſoluti cum ſoluta; qui licet de IVRE CIVILI permittatur, tamen grauiter per Canones damnatur.1.q.4.per totum.Nam eſt peccatum mortale; quod adeo certum eſt, vt oppoſitum pertinaciter aſſerere,ſit hæreticum, vt definitū eſt in Clem. ad noſtrum, de Hæreticis, & habetur Epheſ.5. *Omnis fornicator non habet hæreditatem in regno Chriſti.* Neque excuſatur vllus ignorantia:nam eſt naturale præceptum, in quo non habet locum ignorantia,ſicut nec in homicidio. Ratio eſt: quia pugnat cum fine, propter quem

Deus humanum concubitum conceſſit; qui quidẽ nõ ſolùm eſt multiplicatio filiorum,ſed eorundẽ ſuſtentatio, quæ fieri non poſſunt,niſi certum patrem & determinatum habeant,quod per matrimoniũ fit. In fornicatione enim non eſt pater determinatus. Eſt autem hoc adeo non conceſſum, vt inter bruta, cùm, filij vt naſcantur, opera maſculorum indigent,nunquam fœmina cum pluribus,ſed cum vno tantùm coëat. Eſt igitur fornicatio contra finem à Deo præſtitum, & ob id mortale. Dicit autem S.Thomas 4.Sentent. Diſt.3 art. 4. in fornicatione grauius peccare marem, quàm fœminam: nam mas maiori rationis vſu viget; quamuis in adulterio magis peccat fœmina, quia plura damna facit. Nam fœmina adultera ſupponit filios adulterij, qui damnum inferunt legitimis, quod non eſt in viro, in quo apertè cognoſcuntur filij adulterij.

In Adulterio magis peccat fœmina, vt in fornicatione vir.

Concubinatus.

Ad hoc peccatum reducitur CONCVBINATVS ſoluti cum ſoluta. Non enim eſt aliud Concubinatus, quàm fornicatio continuata cum ſoluta determinata; ita vt ſit velut cohabitatio quædam, ac ſi matrimonio coniuncta eſſet. Vtinam Concil. Trident. ſaluberrima decreta contra CONCVBINARIOS executioni darentur; quod (24.Seſſ.cap.8.) determinat, vt ab Epiſcopo concubinarij ter admoneantur, & niſi reſipuerint, excommunicentur; & ſi in executione per annũ perſeuerauerint,caſtigentur,& puniãtur ab Epiſcopo: concubinæ autem ter admoneantur,& niſi ad meliorẽ frugem ſe receperint, eijciantur à ciuitate; &, ſi videtur Epiſcopo, extra Diœceſim, inuocato ad hoc brachio ſeculari, ſi opus fuerit.

NB. Optimum Decretum Concil. Trident.

Cur fornicationis peccatũ in Virgine grauius ſit.

Hoc verò fornicationis peccatũ eò grauius eſt cùm virgo defloratur,& virginalis integritas corrumpitur: tum quia puella impeditur à legitimo matrimonio conſequendo: tum quia ponitur in via meretricandi, ob amiſſum virginitatis ſignaculum. His accedit, quia

etiam

Digitized by Google

etiam parẽtibus virginis irrogatur iniuria, qui eius ſolicitudinem gerunt. Hîc notandum, quòd qui dolo, fallacia vel deceptione virginem corrupit, teneatur ad reſtitutionem, vt patet Exodi 22. & Deuter. 22. & habetur c. 1. & 2. de adulter. & ſtupro. In foro EXTERIORI iura ſemper præſumunt eam deceptam, & ſic fornicator tenetur eam dotare, & in vxorem ducere, dict. c. 1. & 2. & DD. ibid. Qui autem importunis precibus, aut falſis promiſſionibus decepit virginem; in foro CONSCIENTIAE aut tenetur in vxorem ducere, aut ita tranſigere cum ea, vt contenta maneat. Si quis autem ad decipiendum promittat virgini, quòd eam in vxorem ducet, tenetur ad explenda promiſſa, tã in FORO INTERIORI, QVAM EXTERIORI, niſi inter eos ſit notabilis inæqualitas; vt ſi vir potens aut diues, virgo autem infimæ ſortis: in tali enim caſu præſumptio eſſet, quòd virgo ſe fingeret deceptam.

Fornicatus cum virgine, ad quid teneatur?

NB.

Si quis ad FORNICATIONEM perpetrandam violẽter aliquam virginem contra voluntatem eius opprimit, & patre virginis inuito è domo extrahit, etiam poſt habitam copulam, animo ducẽdi eam in vxorem, non poteſt cum illa cõtrahere; toto illo tempore, quo fuerit in RAPTV. Et ſi contrahit MATRIMONIVM, eſt nullũ, ſed debet in loco libero conſtitui; & tunc ſi vult, poteſt de nouo cõtrahere. Ita CENSVIT & DECREVIT CONCIL. TRIDENT. Seſſ. 24. c. 6. Quod & magnam pœnam addit. Nam raptores, & qui illis conſilium, auxilium, vel fauorem dederint, ſunt ipſo iure excommunicati, perpetuò infames, omnium dignitatum incapaces: &, ſi Clerici ſint, de proprio decidunt gradu, & RAPTOR tenetur dotare raptam, ſiue contrahat cum illa, ſiue non. Hoc non nouum decretum, ſed ex antiquis Canonibus mihi repetitum eſſe videtur; maiori tamen ſeueritate auctum. Vide Canon. ſtatutum, 27. q. 2. & 36. q. 2. Raptores.

Cõtra RAPTORES optimum decretum Concil. Trid.

Peccatum contra NATVRAM, ſeu BESTIALITAS, punitur pœna capitali: C. de adult. l. cùm vir. & in Auth. vt non luxurientur hom. contra naturam, Collat. VI. Ad terrorem huius criminis brutum cum homine ſimul vltimo ſupplicio afficitur, c. mulier, xvj. q. 1.

CAPVT L.

In caſibus circa HOMICIDIVM *& conuenire, ac diſſentire Canones & Leges.*

I.

CONSENTIVNT. IN ſequentibus hiſce Theorematibus citra controuerſiam LEGES & CANONES concordant.

PRIMÒ, Nulli licet ſeipſum occidere, aut membris necem inferre. Quia NEMO MEMBRORVM SVORVM EST DOMINVS. xxiij. q. 5. Si non licet, & l. liber homo, ff. ad l. Aquil. Rectè igitur dixit S. Auguſtinus: (Regula Iuris.) „His ergo exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter iubet occidi, quiſquis „hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine tenetur. (Pulchra D. Auguſtini ſententia.) Nec etiam licet ob graue peccatum euitandum, ad quod quis cogi videtur, ſibi ipſi violentas adferre manus. xxiij. q. 4. diſplicet.

SECVNDÒ, in quibuſdam caſibus priuata perſona poteſt alium occidere. PRIMVS: In defenſionem propriæ vitæ cũ MODERAMINE INCVLPATAE TVTELAE. Huiuſmodi defenſio non ſolùm licita laicis, ſed etiam Clericis; contra quoſdam, qui diſtinguunt inter laicum & Clericum; quia eſt iuris naturæ, vt quiſquis vitam ſuam defendat. SECVNDVS: In defenſionem rerum ſuarum & honoris, cũ dicta tamen moderatione. Exod. 22. *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens inuentus fuerit; & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.* Gloſſ. in c. cùm homo. xxiij. q. 5. C. quand. lic. vni ſine iudi. l. 1. & 2. obſeruandum tamen eſt, quòd quando fur poteſt comprehendi

prehendi & teneri, non debet occidi: talis enim defenſio non habet locum niſi tempore flagrantis delicti. Huc facit c. 2. de homicidijs, & l. furem, ff. de Sicarijs. TERTIVS: Pro defenſione amicorum, parētum, & proximi, c. Si verò, de ſent. excom. & DD. ibidem. Item 23. q. 3. c. non inferenda. QVARTVS: Licitum eſt mulieri occidere pro conſeruatione propriæ virginitatis, quando aliquis ei vim vult inferre, cùm alia via eam ſaluare nō poteſt. In his caſib. occidēs poteſt peccare, ſi ex odio, aut priuata vindicta aliū intendat interimere, & non tantū ſe defendere. Intētio defenſiōis debet eſſe PER SE: occiſionis autē PER ACCIDENS. Vide S. Thomā 2.2.q.64.ar.7.

TERTIÒ, Qui percuſſit mulierem prægnantem, ex qua percuſſione fœtus iam formatus interijt, homicidij ſe alligauit, ff. de pœnis, l. Si quis aliquid.

QVARTÒ, Homicida eſt, qui lethaliter aliquem percutiens, & is ab aliis poſtea occiditur: c. ſignificaſti, de Homicidijs.

QVINTÒ, Qui conſulit alicui, vt ſe exponat pro patria & iure ſuo, nō eſt homicida, nec irregularis, etiamſi interficiatur. xxiij. q. 3. pro membris, & q. 8. hortatu. Si tamen ſciret eum ibi moriturum, videretur de iure Canon. eſſe homicida & irregularis, niſi mortem pro Chriſto aut Eccleſia obijſſet.

SEXTÒ, Poculum dans amatorium, ex quo ſequitur homicidium, licet non intentum, homicida eſt & irregularis. c. Si aliquis, de Homicidijs, & l. Si quis aliquid, ff. de pœnis. Ratio, quia dat operam rei illicitæ.

SEPTIMÒ, Interficiens extraneum, hodie punitur pœna gladij: per totum tit. ad leg. Corn. de Sicar. Clericus homicida gradu ſuo deijcitur, c. Preſbyterum, de Homicid. Si tamen valde enorme eſſet homicidium ratione perſonæ, ſacris exueretur & curiæ ſeculari traderetur; c. cùm non ab. de Iudicijs: aut perpetuo carceri mancipatus, pane & aqua victitare cogeretur, c. Quamuis, de Pœnæ homicidij.

Digitized by Google

uis, de Pœnis, lib. 6. Si interficitur vnus ex aſcendentibus, vel deſcendentibus, puta mater, pater, vel filius, & cæt. pœna interficientis eſt, quòd inſutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, in vicinum mare, vel amnem proijciatur. per tot. Titul. ff. ad l. Pomp. de Parricid. Et C. per tot. de ijs, qui parent. vel liberos occiderunt: non ſolùm qui occidit, ſed & omnes, qui ſunt conſcij, vel operam facinori patrando commodârunt, eo rei tenentur, l. 1. & 3. & 4. & l. vtrum, ff. de Parricid.

II.

Circa hæc dogmata diſcordant LEGES & CANONES.

DISSENTIVNT. I. Pater deprehendens filiam & adulterum in ipſo nefando actu, ſeu domi ſuæ, ſeu generi, impunè poteſt necare vtrumq;, ff. de adult. l. nec in eo, & l ſeq. Dicit tamen gloſſa in c. inter hæc xxxiij. q. 2, quòd licet tales & ſimiles excuſentur à pœna ciuili, non tamen à culpa ſeu reatu homicidij. Quamobrem c. qui, xxiij. q. vlt. decernitur. „Qui ſine publica adminiſtratione maleficũ, „furem, ſacrilegum, adulterum, periurum, vel quemlibet criminoſum interfecerit, trucidauerit, aut membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur; & tantò grauius, quantò non SIBI A DEO CONCESSAM POTESTATEM VSVRPARE NON TIMVIT. Aliud tamen eſt, quando Lex permittit aliquid NON PVNIENDO, vt in occidendo adulterum: & ſic non licet ſine mortali peccato. Aliud eſt, cùm LEX CONCEDIT, ceu cũ quempiam proſcribit, impunè à quouis interimẽdum, c. pro humani lib. 6. de Homicidio. Cùm enim quis ex horum numero occiditur à priuato, factum patrari præſumitur non animo vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ: quia præbet ſe miniſtrum Legis, quod nullibi Canones vetant. xxiij. q. 5. non eſt crudelis.

II. Ius Canonicum in homicidio æquiparat culpam latam

Digitized by Google

latam dolo.c.eos,& c.ſi quis.diſt. 82. Ius verò Ciuile latam culpam dolo non æquiparat, per notata in l. Cornelia,de Sicarijs.

III. De iure Canonum homicida eſt,qui animum occidendi habuit, & vulnerauit aliquem,licet non lethaliter,ſed poſtea ex aliorum percuſſione occiſum. c. ſignificaſti, de Homicidijs. Contra à Lege Ciuili deciditur.

IV. Pro defenſione rerum ſuarum occidẽs quẽpiam, non excuſatur ſi eſt Clericus,c.ſuſcepimus, de Homicidijs. Si autem eſt laicus, de IVRE CIVILI poteſt impunè occidere, ſi aliter eas non potuit manu tenere,vt in l.furem,ff.de Sicarijs,& in l.itaque, ff. ad l. Aquil. quod habebit locũ in omni ſeculari foro contentioſo.Quod irregularitatem concernit,tam Clericus, quàm laicus occidens,vel membrum mutilans pro ſaluandis facultatibus ſuis,erit irregularis, vt notat gloſſ. xxxiij. q. 3. in princ.

V. Clericus ſi poteſt occiſorem euitare fugiendo, tenetur fugere, c.Suſcepimus, de Homicid. At laicus de iure Ciuili non tenetur fugere; quia FVGA EST INIVRIA.l.ita apud Labeonem,ff.de iniurijs. Quamobrẽ ſi laicus vel Clericus poteſt fugere,non licet ei occidere; aliâs in pœnam irregularitatis incidit.

CAPVT LI.

De conſenſu ac diſsidio Canonum ac Legum,circa crimina MAGIAE, SORTILEGIORVM, PERIVRII, INCENDIORVM,SEDITIONIS,CRIMINIS FALSI, *&* VIOLATIONE *Sepulchrorum.*

I.

DE Magiæ ſeu Sortilegij crimine(quod,ex pacto dæmonis tacito,vel expreſſo, artem diuinandi de futuris reb. cõtinet) partim DISSENTIVNT,

partim CONSENTIVNT LEGES & CANONES. Nam ea ars aut fit in finē boni, puta vt detegantur furta, vel fructus terræ à tempeſtatibus ſaluentur, vt ſi quis geſſerit characteres in collo, vt cuſtodiatur, & cæt. & de IVRE CIVILI nulla extat pœna: quia non peccant contra tranquillitatem publicam, nec aliquem lædunt. Quia autem contra Deum peccant, imponit IVS CANONICVM pœnitentiam, extra, per tot. de Sortilegijs. Aut vtitur arte Magica ad finem mali, vt contra ſalutem hominum, velut pudicos animos ad libidinem prouocet: & pœna gladij infligitur. l. eorum, C. de malef. & Mathemat. Mathematica autem propriè loquendo, omni iure eſt licita. Diſtinguendum tamē eſt. Aut loquimur de Aſtronomia, quæ ſcilicet tradit aſtrorum curſus & motus: & indiſtinctè eſt licita, quia iura Aſtronomis præſcripſerunt præmia. l. 1. cum ſimil. ff. de var. & extra cog. Aut loquimur de Aſtrologia, quæ ſcilicet ex ſyderum motu colligit prædictiones & diuinationes: & diſtingue. Aut quis ex aſtris prædicit inclinationes, vt fit in natiuitatibus, & cæt. & Aſtrologia eſt licita. Aut prædicit, ꝙ NECESSARIÒ & aliter fieri non poſſint, quàm ASTRA OSTENDANT: & hoc de iure Canonū eſt PROHIBITVM. De hac materia vide totam cauſam XXV.

Mathematica eſt licita.

Si ad inueniendos theſauros artes Magicæ adhibentur, ij, ſi inuenti fuerint, Fiſco debentur. Gloſſ. in verb. arte: & ibi Bartol. in l. vnica. C. de Theſauris, lib. 10.

Pœnæ Sortilegorum.

Alijs etiam pœnis, de iure Ciuili & Canonico, afficiuntur Sortilegi. Si ij incertis ſedibus vagātur, & ad alienas domos diuertunt, igne cremantur, aut aliam pœnā luunt capitalem. Item facultates eorum publicantur, l. nullus, l. nemo, & l. culpa, C. de malef. & Mathem. Secundùm CANONES occultis Sortilegis imponitur pœnitentia 40. dierum: ſi notorij ſunt, infames fiunt, cum ijs, qui ad eos concurrunt, 2. q. 8. Quiſquis, & de Teſtim. c. teſtimonium. Si Clericus huic nefando ſceleri ſe obſtrinxit,

Digitized by Google

ſtrinxit, deponitur, & in Monaſterium relegatur. xxvj. q.5. non oportet, & c. ſi quis Epiſcopus, & cap. ſeq. Laici ſi ſunt conditione ſerui, verberibus coercentur; & ſi liberi ſunt, carceribus mulctantur. xxvj. q.5.

II.

In hoc etiam caſu Leges obluctantur Canonibus; quòd eæ contra aduerſos vẽtos, & noxias tempeſtates, INCANTATIONES à Sortilegis factas concedunt, l. eorum, C. de malef. & Math. Totum hoc inſtitutum, ceu prauum, & ex officina dæmonis profectum, à Canonibus reprobatur. xxvj. q.5. & 6. in multis capitulis. Demũ, omnes ſortes, quæ fiunt ad exercendas vanitates, vel ad inquirendum futura, & occulta; aliæq; artes diuinatoriæ, inimicæ ſunt Canonibus. xxvi. q.2. Hi qui, & c. illud. DISSENTIVNT.

III.

An PERIVRIO INFAMIA incurratur, ita diſtinguũt Canones & Leges. Aut quis iurauit de præterito, vel de præſenti, quo caſu non efficitur INFAMIS ipſo iure; licet falſum iurauerit. per l.1. & 2. & vlt. ff. de crimine ſtellion. Quo modo intelligendum eſt c. cùm dilectus, in fi. de or. cog. Si tamen condemnaretur, efficeretur infamis, non tam ratione iuramenti, quàm falſitatis. Si verò iurauit de futuro, & non ſeruauit, tunc ſi iurauit ſibi vel Deo, non efficitur infamis. Secus ſi iurauit ei, cum quo contraxit, tranſgrediendo iuramentum vel pactionem; hoc enim pacto efficitur INFAMIS. Et ſic intelligendæ ſunt Leges, l. ſi quis maior, C. de tranſact. & gloſſ. in l. Lucius, ff. de his, qui notantur infam.

Cùm in Canonibus non reperiatur contrarium, Canoniſtæ in hac opinione acquieſcunt in c. teſtimoniũ, & c. auctoritatem xv. q.6. & in c. paruuli xxij q.5. PERIVRO hanc pœnam infligunt Canones; vt per 40. dies pane & aqua tantùm victitet, & 7. annos ſequentes pœniteat, ac nũquam ſit ſine pœnitentia. vj. q.1. Quicunq;, & xxij. q.5. Si quis ſe. Ratio, cur tam grauis ſatisfactio per-

Digitized by Google

iuro irrogatur hæc eſt: quia is directè peccat contra a-ctum virtutis latriæ, qua Deus colitur.

IV.

INCENDIARIVS dicitur, qui ciuitatem, arcem, domum, ſegetem, & ſimilia aliena incendit malo ſtudio, odio, vindicta, aut animo iniuriandi, c. peſſimam, xxiij. q.8. & xij. q.1. c. Cùm deuotiſſimam. Si quis hoc crimen ſciens prudenſque commiſerit, de iure Ciuili igni necari iubetur, l. qui ædes, ff. de incend. Quo verò ad ius Canonicum, vltra mortale peccatum, ſi voluntariè fecit, vel ex lata culpa, tenetur ad reſtitutionem totius damni. c. ſi egreſſus, cũ c. ſeq. de iniurijs, & ibi DD. Si verò fuit in leui, vel leuiſſima culpa, eodem modo tenetur ad reſtitutionem. Tales incendiarij non ſolùm tenentur de damno incendij; ſed etiam de rebus perditis ob incendium, arg. c. fin. de iniurijs.

V.

SEDITIO fit, quando quis mouet populum contra Magiſtratum. Eius pœna ſumitur pro qualitate perſonæ & dignitate. Aut in furca ſuſpenduntur, aut beſtijs ſubijciuntur, aut in inſulã deportantur. Vide tot. tit. C. de ſeditioſis.

VI.

CRIMEN falſi dicitur, mutatio veritatis doloſè facta; & committitur quatuor modis, dicto, ſcriptura, facto & vſu. Dicto committitur, ſi quis dicat falſum teſtimonium, vel taceat veritatem, vel aliquid acceperit ne ferat teſtimonium. Et hoc caſu, pœna falſi teſtis eſt triplex, quia tres lædit. Primò Deum, pro quo à CANONIBVS imponitur pœnitentia in pane & aqua. Secundò, Iudicem, propterea fit infamis. Tertiò proximum, contra quem teſtificatur, & punitur pro modo læſionis, & cæt. Eſt & hoc crimen falſi, ſi Iudex ſciens malè pronuntiat, quo caſu tenentur omnes, qui opem præſtiterunt Iudici. Item, qui falſis legibus vtitur, allegando.

Scriptura

Digitized by Google

Scriptura fit falſum, quando falſum ſcribitur, vel verum deletur: quò refertur & hoc, ſi quis falſo ſigillo vtitur. Pœna autem Notarij falſi eſt hodie, quòd amittit manum. Item, ſi quis ſibi aliquid in teſtamẽto adſcribit. Facto committitur falſum, vt in moneta, & mẽſura, ac ponderibus. Præter mortale peccatũ, eiuſmodi falſarius tenetur ad reſtitutionem totius damni dati, c.2. de Empt. & vendition. vbi decernitur ei pœna pęnitentiæ; vt 30. diebus viuat ſolo pane & aqua. De MONETA datur diſtinctio. Aut quis habet poteſtatem cudendi, & cudit falſam, & detrahit legitimum pondus, & tenetur leg. Corn. de falſis. Aut quis non habet poteſtatem cudendi: & tum ſi alicuius monetam non recognoſcentis ſuperiorem, falſauerit, comburitur, & omnia bona ſua confiſcantur. Aut falſat monetã eius, qui recognoſcit ſuperiorem: tunc deportatur, domus autem, in qua commiſſum eſt, publicatur. Idem eſt, ſi quis monetam raſerit, &c. Item, ſi quis ſciens monetam ab alio falſatam expoſuerit, fuſtigatur, vel relegatur. Pœna autem falſæ menſuræ eſt pœna relegationis. Vſu committitur falſum, vt ſi quis vtatur inſtrumento falſo, vel gerat ſe pro milite cùm non ſit, vel ſeruus pro libero homine. Item ſi quis doloſè vtatur falſo nomine, &c. Et hi omnes poſſunt ſe liberare abſtinendo. In ſumma FALSVM committitur, quoties veritas doloſè occultatur. Generalis autem pœna falſi eſt deportatio. Vide tot. tit. ad leg. Corn. de falſis.

VII.

Aliud delictum dicitur violatio ſepulchrorum; in quibus aut diruuntur tantùm ædificia, ſtatuæ, ſiue Epitaphia monumentis impoſita: & datur actio ciuilis in factum, ſiue interdictum, quo vi aut clam, contra violatorem ei, cuius intereſt, & punitur violans pœna pecuniaria, non minus centum aureis, qui agenti cedunt. Aut in violatione, MORTVORVM CORPORA EXTRA

libet tenetur citatus in iudicio comparere, aut ſi eſt exemptus, priuilegium ſuum allegare.

XII. Perſonæ Iudicijs adiunctæ ſunt hæ; Aſſeſſores, Auditores, Notarij, Procuratores, Actores, Rei, Teſtes, Præcones, & Nuntij.

Procuratores. XIII. Qui non poſſint eſſe Procuratores, vide ff. de Pro. neque fœmina, C. per totum. De Procuratorū Reuocatione, vide c. ſecundo, de Procuratorib. lib. 6. Item, Procurator Actoris ſatisdat de Rato. ff. rem ratā habe. l. 2. Procurator rei ſatiſdat iudicatū ſolui, l. iudica. ff. de procu. l. Plautius. Vide Gloſſ. nota. in c. Quamuis. de Procu. l. 6.

II. FORMVLAE IVDICIORVM SVMMARIAE.

I. Citatur Reus. II. Induciæ deliberatoriæ dantur. III. Recuſatur Iudex, & proponuntur EXCEPTIONES. IV. Lis conteſtatur. V. Iuratur de calumnia. VI Fiunt Poſitiones & Reſponſiones. VII. Statuitur terminus ad probandum. VIII. Dicta teſtium publicantur. IX. Proceditur ad dicendum contra perſonas, & dicta teſtium. X. Fit concluſio in cauſa. XI. Fertur ſententia definitiua. XII. Appellatur intra tempus, aut ſi non fit, ſententia tranſit in rem iudicatam, & datur executioni. Circa formam & figuram Iudicij, hoc conuenit inter Canones & Leges; quòd non ſemper cum ſtrepitu & figuris iudicij procedendum ſit, ſed nonnunquam ſimpliciter, & de plano. NB.

III.

NB. In competenti Iudicis Aditione hoc requiritur, vt Actor ſequatur Forum Rei. C. de ordin. Iud. l. adire: & de Foro compe. c. ſi clericus. Exceptis Clericis, qui Reos ad ſuos Iudices vocant, etiam de ſecularibus negotijs. Vide Speculatorem, qui ènumerat multos caſus, in quibus quis ſortitur forum non ſuum, & facit ſuum. Tit. de compe. Iud. ad. in prin. Item, qui in loco peregrino contrahit & paciſcitur, & coram alieno Iudice litem

ADITIO IVDICIS.

Digitized by Google

litem cõteſtatur;in eum cõſenſiſſe præſumitur; quamobrem eius forum ſortitur.

IV.

Citatio eſt fundamentum litis. Qualiter, & vbi ea fieri debeat,vide gloſſ.notabilem.ad domum,in c.cauſam, de dolo & contumacia. Quæ poſſint contra citationem excipi,vide Speculator.in tit.de citatio.Si Procuratorem non dimiſit, tunc fit citatio ad domum, & requiruntur amici. c.cauſam, de dolo & contumacia. Qualiter Actor in adeundo Iudice ſe habere debeat, videndus eſt Speculator, in tit.de compet.Iud. CITATIO.

Iudices Eccleſiaſtici plerunque non niſi per PEREMPTORIAM citationem vocare ſolent partes; quæ ideo peremptoria vocatur, quòd cauſam ſeu diſceptationem perimat,& extinguat.ff.de iu.1.& 3.

V.

Contumax eſt, qui trinis edictis,vel vno peremptorio citatus,non venit. C.quomodo & quando Iudex,l. tres. Item contumax eſt, quem Citatio apprehendit. Si Reus non comparet, & Iudex eſt etiã abſens vel impeditus,ita ſi comparuiſſet, nouiſſet proceſſum in cauſa, vt condemnari debeat in expenſis,eſt Gloſſ.in c.prout, de dolo & contum. CONTVMACIA.

VI.

Primum Iudicis decretum dicitur proprium mandatum Iudicis, quo mãdat bona alicuius, propter eius contumaciam in pœnam contumaciæ poſſideri.Id dicitur primum Iuſſum,ff.de re. du.l.qui duo.Per ſecundum decretum Actor mittitur in poſſeſſionem Rei actualiter, ob eius contumaciam. Primum DECRETVM IVDICIS.

CANONES excommunicant contumaces.

VII.

Si Reus per Procuratorem comparet,petere debet Actor copiam ſuæ procurationis ante omnia. C. de Probatio.l.Licet.

Peccatum contra NATVRAM, ſeu BESTIALITAS, punitur pœna capitali; C. de adult. l. cùm vir. & in Auth. vt non luxurientur hom. contra naturam, Collat. VI. Ad terrorem huius criminis brutum cum homine ſimul vltimo ſupplicio afficitur, c. mulier, xvj. q. I.

CAPVT L.

In caſibus circa HOMICIDIVM *& conuenire, ac diſſentire Canones & Leges.*

I.

CONSENTIVNT. IN ſequentibus hiſce Theorematibus citra controuerſiam LEGES & CANONES concordant.

PRIMÒ, Nulli licet ſeipſum occidere, aut membris necem inferre. Quia NEMO MEMBRORVM SVORVM EST DOMINVS. xxiij. q. 5. Si non licet, & l. liber homo, ff. ad l. Aquil. Rectè igitur dixit S. Auguſtinus: (Regula Iuris.)

(Pulchra D. Auguſtini ſententia.) „His ergo exceptis, quos vel lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter iubet occidi, quiſquis „hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homi„cidij crimine tenetur. Nec etiam licet ob graue peccatum euitandum, ad quod quis cogi videtur, ſibi ipſi violentas adferre manus. xxiij. q. 4. diſplicet.

SECVNDÒ, in quibuſdam caſibus priuata perſona poteſt alium occidere. PRIMVS: In defenſionem propriæ vitæ cũ MODERAMINE INCVLPATAE TVTELAE. Huiuſmodi defenſio non ſolùm licita laicis, ſed etiam Clericis; contra quoſdam, qui diſtinguunt inter laicum & Clericum; quia eſt iuris naturæ, vt quiſquis vitam ſuam defendat. SECVNDVS: In defenſionem rerum ſuarum & honoris, cũ dicta tamen moderatione. Exod. 22. *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens inuentus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis.* Gloſſ. in c. cùm homo. xxiij. q. 5. C. quand. lic. vni ſine iudi. l. 1. & 2. obſeruandum tamen eſt, quòd quando fur poteſt cõprehendi

prehendi & teneri, non debet occidi: talis enim defenſio non habet locum niſi tempore flagrantis delicti. Huc facit c. 2. de homicidijs, & l. furem, ff. de Sicarijs. TERTIVS: Pro defenſione amicorum, parẽtum, & proximi, c. Si verò, de ſent. excom. & DD. ibidem. Item 23. q. 3. c. non inferenda. QVARTVS: Licitum eſt mulieri occidere pro conſeruatione propriæ virginitatis, quando aliquis ei vim vult inferre, cùm alia via eam ſaluare nõ poteſt. In his caſib. occidẽs poteſt peccare, ſi ex odio, aut priuata vindicta aliũ intendat interimere, & non tantũ ſe defendere. Intẽtio defenſiõis debet eſſe PER SE: occiſionis autẽ PER ACCIDENS. Vide S. Thomã 2. 2. q. 64. ar. 7.

TERTIÒ, Qui percuſſit mulierem prægnantem, ex qua percuſſione fœtus iam formatus interijt, homicidij ſe alligauit, ff. de pœnis, l. Si quis aliquid.

QVARTÒ, Homicida eſt, qui lethaliter aliquem percutiens, & is ab aliis poſtea occiditur: c. ſignificaſti, de Homicidijs.

QVINTÒ, Qui conſulit alicui, vt ſe exponat pro patria & iure ſuo, nõ eſt homicida, nec irregularis, etiamſi interficiatur. xxiij. q. 3. pro membris, & q. 8. hortatu. Si tamen ſciret eum ibi moriturum, videretur de iure Canon. eſſe homicida & irregularis, niſi mortem pro Chriſto aut Eccleſia obijſſet.

SEXTÒ, Poculum dans amatorium, ex quo ſequitur homicidium, licet non intentum, homicida eſt & irregularis. c. Si aliquis, de Homicidijs, & l. Si quis aliquid, ff. de pœnis. Ratio, quia dat operam rei illicitæ.

SEPTIMÒ, Interficiens extraneum, hodie punitur pœna gladij; per totum tit. ad leg. Corn. de Sicar. Clericus homicida gradu ſuo deijcitur, c. Preſbyterum, de Homicid. Si tamen valde enorme eſſet homicidium ratione perſonæ, ſacris exueretur & curiæ ſeculari traderetur; c. cùm non ab. de Iudicijs: aut perpetuo carceri mancipatus, pane & aqua victitare cogeretur, c. Quamuis, de Pœnæ homicidij.

uis, de

Digitized by Google

uis, de Pœnis, lib. 6. Si interficitur vnus ex aſcendentibus, vel deſcendentibus, puta mater, pater, vel filius, & cæt. pœna interficientis eſt, quòd inſutus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, in vicinum mare, vel amnem proijciatur. per tot. Titul. ff. ad l. Pomp. de Parricid. Et C. per tot. de ijs, qui parent. vel liberos occiderunt: non ſolùm qui occidit, ſed & omnes, qui ſunt conſcij, vel operam facinori patrando commodârunt, eo rei tenentur, l. 1. & 3. & 4. & l. vtrum, ff. de Parricid.

II.

Circa hæc dogmata diſcordant LEGES & CANONES.

DISSENTIVNT. I. Pater deprehendens filiam & adulterum in ipſo nefando actu, ſeu domi ſuæ, ſeu generi, impunè poteſt necare vtrumq;, ff. de adult. l. nec in eo, & l ſeq. Dicit tamen gloſſa in c. inter hæc xxxiij. q. 2. quòd licet tales & ſimiles excuſentur à pœna ciuili, non tamen à culpa ſeu reatu homicidij. Quamobrem c. qui, xxiij. q. vlt. decernitur. „Qui ſine publica adminiſtratione maleficũ, „furem, ſacrilegum, adulterum, periurum, vel quemlibet criminoſum interfecerit, trucidauerit, aut membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur; & tantò grauius, quantò non SIBI A DEO CONCESSAM POTESTATEM VSVRPARE NON TIMVIT. Aliud tamen eſt, quando Lex permittit aliquid NON PVNIENDO, vt in occidendo adulterum: & ſic non licet ſine mortali peccato. Aliud eſt, cùm LEX CONCEDIT, ceu cũ quempiam proſcribit, impunè à quouis interimẽdum, c. pro humani lib. 6. de Homicidio. Cùm enim quis ex horum numero occiditur à priuato, factum patrari præſumitur non animo vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ: quia præbet ſe miniſtrum Legis, quod nullibi Canones vetant. xxiij. q. 5. non eſt crudelis.

II. Ius Canonicum in homicidio æquiparat culpam latam

latam dolo.c.eos,& c.ſi quis.diſt. 82. Ius verò Ciuile latam culpam dolo non æquiparat, per notata in l. Cornelia,de Sicarijs.

III. De iure Canonum homicida eſt,qui animum occidendi habuit, & vulnerauit aliquem,licet non lethaliter,ſed poſtea ex aliorum percuſſione occiſum. c. ſignificaſti, de Homicidijs. Contra à Lege Ciuili deciditur.

IV. Pro defenſione rerum ſuarum occidēs quēpiam, non excuſatur ſi eſt Clericus,c.ſuſcepimus, de Homicidijs. Si autem eſt laicus, de IVRE CIVILI poteſt impunè occidere, ſi aliter eas non potuit manu tenere,vt in l.furem,ff.de Sicarijs,& in l.itaque, ff. ad l. Aquil. quod habebit locū in omni ſeculari foro contentioſo.Quod irregularitatem concernit,tam Clericus, quàm laicus occidens,vel membrum mutilans pro ſaluandis facultatibus ſuis,erit irregularis, vt notat gloſſ. xxxiij. q. 3. in princ.

V. Clericus ſi poteſt occiſorem euitare fugiendo, tenetur fugere, c.Suſcepimus, de Homicid. At laicus de iure Ciuili non tenetur fugere; quia FVGA EST INIVRIA.l.ita apud Labeonem,ff.de iniurijs. Quamobrē ſi laicus vel Clericus poteſt fugere,non licet ei occidere; aliâs in pœnam irregularitatis incidit.

CAPVT LI.

De conſenſu ac diſsidio Canonum ac Legum,circa crimina MAGIAE, SORTILEGIORVM, PERIVRII, INCENDIORVM,SEDITIONIS,CRIMINIS FALSI,*&* VIOLATIONE *Sepulchrorum.*

I.

DE Magiæ ſeu Sortilegij crimine(quod,ex pacto dæmonis tacito,vel expreſſo, artem diuinandi de futuris reb. cōtinet) partim DISSENTIVNT,

Digitized by Google

partim CONSENTIVNT LEGES & CANONES. Nam ea ars aut fit in finē boni, puta vt detegantur furta, vel fructus terræ à tempeſtatibus ſaluentur, vt ſi quis geſſerit characteres in collo, vt cuſtodiatur, & cæt. & de IVRE CIVILI nulla extat pœna: quia non peccant contra tranquillitatem publicam, nec aliquem lædunt. Quia autem contra Deum peccant, imponit IVS CANONICVM pœnitentiam, extra, per tot. de Sortilegijs. Aut vtitur arte Magica ad finem mali, vt contra ſalutem hominum, velut pudicos animos ad libidinem prouocet: & pœna gladij infligitur. l. eorum, C. de malef. & Mathemat. Mathematica autem propriè loquendo, omni iure eſt licita. Diſtinguendum tamē eſt. Aut loquimur de Aſtronomia, quæ ſcilicet tradit aſtrorum curſus & motus: & indiſtinctè eſt licita, quia iura Aſtronomis præſcripſerunt præmia. l. 1. cum ſimil. ff. de var. & extra cog. Aut loquimur de Aſtrologia, quæ ſcilicet ex ſyderum motu colligit prædictiones & diuinationes: & diſtingue. Aut quis ex aſtris prædicit inclinationes, vt fit in natiuitatibus, & cæt. & Aſtrologia eſt licita. Aut prædicit, quod NECESSARIÒ & aliter fieri non poſſint, quàm ASTRA OSTENDANT: & hoc de iure Canonū eſt PROHIBITVM. De hac materia vide totam cauſam XXV.

Mathematica eſt licita.

Si ad inueniendos theſauros artes Magicæ adhibentur, ij, ſi inuenti fuerint, Fiſco debentur. Gloſſ. in verb. arte: & ibi Bartol. in l. vnica. C. de Theſauris, lib. 10.

Pœnæ Sortilegorum.

Alijs etiam pœnis, de iure Ciuili & Canonico, afficiuntur Sortilegi. Si ij incertis ſedibus vagātur, & ad alienas domos diuertunt, igne cremantur, aut aliam pœnā luunt capitalem. Item facultates eorum publicantur, l. nullus, l. nemo, & l. culpa, C. de malef. & Mathem. Secundùm CANONES occultis Sortilegis imponitur pœnitentia 40. dierum: ſi notorij ſunt, infames fiunt, cum ijs, qui ad eos concurrunt. 2. q. 8. Quiſquis, & de Teſtim. c. teſtimonium. Si Clericus huic nefando ſceleri ſe obſtrinxit,

Digitized by Google

ſtrinxit, deponitur, & in Monaſterium relegatur. xxvj. q.5. non oportet, & c. ſi quis Epiſcopus, & cap. ſeq. Laici ſi ſunt conditione ſerui, verberibus coercentur; & ſi liberi ſunt, carceribus mulctantur. xxvj. q.5.

II.

In hoc etiam caſu Leges obluctantur Canonibus; quòd eæ contra aduerſos vẽtos, & noxias tempeſtates, INCANTATIONES à Sortilegis factas concedunt, l. eorum, C. de malef. & Math. Totum hoc inſtitutum, ceu prauum, & ex officina dæmonis profectum, à Canonibus reprobatur. xxvj. q.5. & 6. in multis capitulis. Demũ, omnes ſortes, quæ fiunt ad exercendas vanitates, vel ad inquirendum futura, & occulta; aliæq; artes diuinatoriæ, inimicæ ſunt Canonibus. xxvi. q.2. Hi qui, & c. illud. DISSENTIVNT.

III.

An PERIVRIO INFAMIA incurratur, ita diſtinguũt Canones & Leges. Aut quis iurauit de præterito, vel de præſenti, quo caſu non efficitur INFAMIS ipſo iure; licet falſum iurauerit. per l.1. & 2. & vlt. ff. de crimine ſtellion. Quo modo intelligendum eſt c. cùm dilectus, in fi. de or. cog. Si tamen condemnaretur, efficeretur infamis, non tam ratione iuramenti, quàm falſitatis. Si verò iurauit de futuro, & non ſeruauit, tunc ſi iurauit ſibi vel Deo, non efficitur infamis. Secus ſi iurauit ei, cum quo contraxit, tranſgrediendo iuramentum vel pactionem; hoc enim pacto efficitur INFAMIS. Et ſic intelligendæ ſunt Leges, l. ſi quis maior, C. de tranſact. & gloſſ. in l. Lucius, ff. de his, qui notantur infam.

Cùm in Canonibus non reperiatur contrarium, Canoniſtæ in hac opinione acquieſcunt in c. teſtimoniũ, & c. auctoritatem xv. q.6. & in c. paruuli xxij q.5. PERIVRO hanc pœnam infligunt Canones; vt per 40. dies pane & aqua tantùm victitet, & 7. annos ſequentes pœniteat, ac nũquam ſit ſine pœnitentia. vj. q.1. Quicunq;, & xxij. q.5. Si quis ſe. Ratio, cur tam grauis ſatisfactio per-

Digitized by Google

iuro irrogatur hæc eſt: quia is directè peccat contra actum virtutis latriæ, qua Deus colitur.

IV.

INCENDIARIVS dicitur, qui ciuitatem, arcem, domum, ſegetem, & ſimilia aliena incendit malo ſtudio, odio, vindicta, aut animo iniuriandi, c. peſſimam, xxiij. q. 8. & xij. q. 1. c. Cùm deuotiſſimam. Si quis hoc crimen ſciens prudenſque commiſerit, de iure Ciuili igni necari iubetur, l. qui ædes, ff. de incend. Quo verò ad ius Canonicum, vltra mortale peccatum, ſi voluntariè fecit, vel ex lata culpa, tenetur ad reſtitutionem totius damni. c. ſi egreſſus, cũ c. ſeq. de iniurijs, & ibi DD. Si verò fuit in leui, vel leuiſſima culpa, eodem modo tenetur ad reſtitutionem. Tales incendiarij non ſolùm tenentur de damno incendij; ſed etiam de rebus perditis ob incendium, arg. c. fin. de iniurijs.

V.

SEDITIO fit, quando quis mouet populum contra Magiſtratum. Eius pœna ſumitur pro qualitate perſonæ & dignitate. Aut in furca ſuſpenduntur, aut beſtijs ſubijciuntur, aut in inſulã deportantur. Vide tot. tit. C. de ſeditioſis.

VI.

CRIMEN falſi dicitur, mutatio veritatis doloſè facta; & committitur quatuor modis, dicto, ſcriptura, facto & vſu. Dicto committitur, ſi quis dicat falſum teſtimonium, vel taceat veritatem, vel aliquid acceperit ne ferat teſtimonium. Et hoc caſu, pœna falſi teſtis eſt triplex, quia tres lædit. Primò Deum, pro quo à CANONIBVS imponitur pœnitentia in pane & aqua. Secundò, Iudicem, propterea fit infamis. Tertiò proximum, contra quem teſtificatur, & punitur pro modo læſionis, & cæt. Eſt & hoc crimen falſi, ſi Iudex ſciens malè pronuntiat, quo caſu tenentur omnes, qui opem præſtiterunt Iudici. Item, qui falſis legibus vtitur, allegando.

Scriptura

Scriptura fit falſum, quando falſum ſcribitur, vel verum deletur: quò refertur & hoc, ſi quis falſo ſigillo vtitur. Pœna autem Notarij falſi eſt hodie, quòd amittit manum. Item, ſi quis ſibi aliquid in teſtamẽto adſcribit. Facto committitur falſum, vt in moneta, & mẽſura, ac ponderibus. Præter mortale peccatũ, eiuſmodi falſarius tenetur ad reſtitutionem totius damni dati, c. 2. de Empt. & vendition. vbi decernitur ei pœna pęnitentiæ; vt 30. diebus viuat ſolo pane & aqua. De MONETA datur diſtinctio. Aut quis habet poteſtatem cudendi, & cudit falſam, & detrahit legitimum pondus, & tenetur leg. Corn. de falſis. Aut quis non habet poteſtatem cudendi: & tum ſi alicuius monetam non recognoſcentis ſuperiorem, falſauerit, comburitur, & omnia bona ſua confiſcantur. Aut falſat monetã eius, qui recognoſcit ſuperiorem: tunc deportatur, domus autem, in qua commiſſum eſt, publicatur. Idem eſt, ſi quis monetam raſerit, &c. Item, ſi quis ſciens monetam ab alio falſatam expoſuerit, fuſtigatur, vel relegatur. Pœna autem falſæ menſuræ eſt pœna relegationis. Vſu committitur falſum, vt ſi quis vtatur inſtrumento falſo, vel gerat ſe pro milite cùm non ſit, vel ſeruus pro libero homine. Item ſi quis dolosè vtatur falſo nomine, &c. Et hi omnes poſſunt ſe liberare abſtinendo. In ſumma FALSVM committitur, quoties veritas dolosè occultatur. Generalis autem pœna falſi eſt deportatio. Vide tot. tit. ad leg. Corn. de falſis.

VII.

Aliud delictum dicitur violatio ſepulchrorum; in quibus aut diruuntur tantùm ædificia, ſtatuæ, ſiue Epitaphia monumentis impoſita: & datur actio ciuilis in factum, ſiue interdictum, quo vi aut clam, contra violatorem ei, cuius intereſt, & punitur violans pœna pecuniaria, non minus centum aureis, qui agenti cedunt. Aut in violatione, MORTVORVM CORPORA EXTRA-

HVNTVR, ET OSSA DIRIPIVNTVR; hoc caſu ſi violator eſt humilis perſona, afficitur vltimo ſupplicio: ſi autem honeſta, deportatur in inſulam, aut relegatur, vel damnatur in metallum. C. per tot. tit. de Sepulch. viol. PER HAS LEGES IVSTISSIMAS POENAS DARE DEBERENT CALVINISTAE, qui tot Sanctorũ Reliquias ſacrilegis iocis & facinoribus fœdè polluerunt, effoderunt, & exuſſerunt.

NB. Cõtra Calviniſtarum Iureconſ.

Hiſce enumeratis criminibus Rei triplici ſe INFAMIA contaminant, ceu FACTI, IVRIS, & CANONICA. Et regulariter omnes infames ſecundùm Leges, ſunt ètiam INFAMES ſecundùm CANONES, per memorabilem textum in c. omnes verò, vj. q. 1.

CAPVT LII.

In PROCESSV *Iudiciario, (in quo* ACTIONES *exercentur) conſentire Canones ac Leges.*

IN Proceſſu IVDICIARIO, qui in ſequentibus conſiſtit formulis, CONCORDANT CANONES AC LEGES.

I. PRAEPARATORIA.

De Præparatorijs IVDICIORVM, vide Speculatorem in parte 2. in princ.

I. Agere volens vel accuſare, primò conſulat amicos, videat an habeat probationes, & vtrum expediat ſibi lites mouere. C. de edend. l. qui accuſari, cũ cõcor.

II. Notum eſt, Actore non probante, reum abſolui debere. C. de prob. l. actor. Fallit tamen in aliquibus caſibus. In gloſſ. c. vt noſtrũ, vt Eccleſia. benefi. ſine, &c.

III. Actor in libello omnia neceſſaria accuſationis capita iudici tradere debet. Quod ſi non faceret, ad petitionem Rei in expenſas condẽnaretur, & non amplius audiretur, niſi communi Iudicij forma vteretur.

IV. Iudices non huic, vel illi parti magis fauere, aut con-

Digitized by Google

conſilio & auxilio, & inſuper proniores eſſe debent ad abſoluendum, quàm ad condemnandum. De Tranſact. c. vlt.

V. Iudicum officium eſt, initio tẽtare, an partes conciliari, & abſque ſtrepitu forenſi dirimi queant. ff. de pœnis, l. Reſpiciẽ. Exceptis cauſis criminalibus, in quibus facinora non tranſigi, ſed puniri debent.

VI. Iudicium tres continet perſonas, IVDICEM, ACTOREM, & REVM.

VII. Qui non poſſint eſſe ACTORES, notatur in ff. de fideiuſſ. l. ſi debitor. C. de bonorum da. l. ſi quis. Summatim dicendo: Agere non poſſunt, Exules, minorennes, prodigi, furioſi, ſurdi, fatui, & omnes ij, qui ſine tutoribus aut curatoribus in iudicio comparere non debent. Item, qui partem aduerſam ſpoliârunt, Iudici inobedientes, & Rei criminis læſæ Maieſtatis, & filius, exiſtens in patris poteſtate, contra eum agere non admittitur. ACTORES.

VIII. Iudicium eſt duplex, Ciuile & Criminale. Iudex dicitur, quòd iuſtè iudicet. Niſi enim iuſtè iudicet, Iudex non eſt. c. Forus, De verbor. ſignification.

IX. Quinq; ſunt genera IVDICVM: ORDINARII, (de Elect. cum nobis:) DELEGATI, (de officio deleg. c. ſuper quæſt.) SVBDELEGATI, (Gloſ. in c. paſto. de offi. & poteſt. deleg.) ARBITRI, & ARBITRATORES, qui non tenentur ſeruare iudiciarium ordinem. l. ſi ſocietatem arbitratorum. ff. pro ſocio. Sed ſi proferunt iniuſtam ſententiam, remittuntur partes ad audientiam ſuperioris. IVDICES.

X. Quæ impedimenta ſint Iudicum, vt iudicare nequeant, vide de Iud. delega. c. cauſam. De Reſcript. C. adhæc. ff. de orig. iur.

XI. Reus eſt, qui defendit & propulſat Actionem, vel Accuſationem, non à reatu dictus, ſed à re, quæ petitur ab eo præſtanda. C. Forus, de verb. ſignifica. Quilibet REVS.

Digitized by Google

libet tenetur citatus in iudicio comparere,aut ſi eſt exemptus, priuilegium ſuum allegare.

XII. Perſonæ Iudicijs adiunctæ ſunt hæ; Aſſeſſores, Auditores,Notarij, Procuratores,Actores,Rei,Teſtes, Præcones,& Nuntij.

Procuratores. XIII. Qui non poſſint eſſe Procuratores, vide ff. de Pro.neque fœmina,C.per totum.De Procuratorũ Reuocatione, vide c. ſecundo, de Procuratorib. lib.6. Item,Procurator Actoris ſatisdat de Rato.ff.rem ratã habe.l.2.Procurator rei ſatiſdat iudicatũ ſolui, l.iudica.ff.de procu.l. Plautius. Vide Gloſſ. nota.in c.Quamuis.de Procu.l.6.

II. FORMVLAE IVDICIORVM SVMMARIAE.

I. Citatur Reus. II. Induciæ deliberatoriæ dantur. III. Recuſatur Iudex,& proponuntur EXCEPTIONES. IV. Lis conteſtatur. V. Iuratur de calumnia. VI Fiunt Poſitiones & Reſponſiones. VII. Statuitur terminus ad probandum. VIII. Dicta teſtium publicantur. IX. Proceditur ad dicendum contra perſonas,& dicta teſtium. X. Fit concluſio in cauſa. XI. Fertur ſententia definitiua. XII. Appellatur intra tempus, aut ſi non fit, ſententia tranſit in rem iudicatam, & datur executioni. Circa formam & figuram Iudicij, hoc conuenit inter Canones & Leges; quòd non ſemper cum ſtrepitu & figuris iudicij procedendum ſit, ſed nonnunquam ſimpliciter,& de plano.

NB.

III.

NB. In competenti Iudicis Aditione hoc requiritur, vt Actor ſequatur Forum Rei. C.de ordin.Iud.l.adire:& de Foro compe.c.ſi clericus. Exceptis Clericis, qui Reos ad ſuos Iudices vocant,etiam de ſecularibus negotijs. Vide Speculatorem, qui ènumerat multos caſus, in quibus quis ſortitur forum non ſuum,& facit ſuum. Tit.de compe.Iud.ad.in prin. Item, qui in loco peregrino contrahit & paciſcitur, & coram alieno Iudice litem

ADITIO IVDICIS.

Digitized by Google

litem cõteſtatur;in eum cõſenſiſſe præſumitur; quamobrem eius forum ſortitur.

IV.

Citatio eſt fundamentum litis. Qualiter, & vbi ea fieri debeat,vide gloſſ.notabilem.ad domum,in c.cauſam, de dolo & contumacia. Quæ poſſint contra citationem excipi,vide Speculator.in tit.de citatio.Si Procuratorem non dimiſit, tunc fit citatio ad domum, & requiruntur amici. c.cauſam,de dolo & contumacia. Qualiter Actor in adeundo Iudice ſe habere debeat, videndus eſt Speculator, in tit.de compet.Iud. CITATIO.

Iudices Eccleſiaſtici plerunque non niſi per PEREMPTORIAM citationem vocare ſolent partes; quæ ideo peremptoria vocatur, quòd cauſam ſeu diſceptationem perimat,& extinguat.ff.de iu.1.& 3.

V.

Contumax eſt, qui trinis edictis,vel vno peremptorio citatus,non venit. C.quomodo & quando Iudex,l. tres. Item contumax eſt, quem Citatio apprehendit. Si Reus non comparet, & Iudex eſt etiã abſens vel impeditus, ita ſi comparuiſſet, nouiſſet proceſſum in cauſa, vt condemnari debeat in expenſis,eſt Gloſſ.in c.prout, de dolo & contum. CONTVMACIA.

VI.

Primum Iudicis decretum dicitur proprium mandatum Iudicis, quo mãdat bona alicuius, propter eius contumaciam in pœnam contumaciæ poſſideri.Id dicitur primum Iuſſum,ff.de re. du.l.qui duo.Per ſecundum decretum Actor mittitur in poſſeſſionem Rei actualiter, ob eius contumaciam. Primum DECRETVM IVDICIS.

CANONES excommunicant contumaces.

VII.

Si Reus per Procuratorem comparet,petere debet Actor copiam ſuæ procurationis ante omnia. C.de Probatio.l.Licet.

VIII.

LIBELLVS. Libellus Iudici offerendus, breuibus verbis debet eſſe adornatus, & continere nomen Iudicis, Actoris, & Rei: ac exprimere quare, quantum, & quo iure quid petat, & quomodo Actor conuentionem ſuam nominare velit. Libellus quid continere debeat, docetur C. de Acti. & peti. Conſentit gloſſa in c. ſi cōtra vnum, extra de offic. deleg. lib. 6. Præterea, in vniuerſali Actione, in qua res non fuit ab initio ſpecificata, poteſt libellus mutari, & emendari, addendo, vel detrahendo, nō dico actionem mutando, vt ff. de pe. hære. lib. 4. Secundùm antiquas Leges, Libellus ante cōteſtationem litis mutari poteſt, non poſt. At ſecundùm modernam praxin, neque ante, neque poſt litis conteſtationem mutari poteſt. Si tamen Reus conſentiret, poſſet Libellus mutari ab Actore, quoties vellet. Qua in re Iuris interpretes non conſentiunt.

IX.

DILATIONES. Dilationes deliberatoriæ dantur Reis, ad deliberandum vtrum velint cedere, vel contendere. C. de lite conteſt. in Authen. offeratur. Quæ poſſunt prorogari & abbreuiari Iudicis arbitrio, attentis circumſtantijs negotij, perſonarum, & diſtantia locorum. Si dilationes per malitioſa effugia quærerentur, ea excluduntur per Iuramentum malitiæ, quod Iudex à partibus recipit.

X.

Satiſdatio. De ſatiſdatione Actoris, extant documenta. C. de Epiſcopis & Clericis. Auth. General. c. aſſe.

XI.

Recuſatio, eſt Iuriſdictionis vel audientiæ, cauſa ſuſpicionis propoſita, declinatio. C. de Iudic. l. apertiſſimi. Cauſa Recuſationis vnica eſt tantùm, ſcilicet ſuſpicio: quæ ſurgit ex multis & varijs cauſis, ex quibus poteſt delegatus, vel ordinarius, aut Aſſeſſor recuſari. (Iudicis recuſatio.)

XII.

XII.

Exceptio eſt eliſio vel excluſio intentionis ipſius agẽtis.l.2.ff.de exception. Exceptio declinatoria multiplex eſt: nam alia competit ratione REI, alia ratione Procuratoris. Item Loci; quia non tutus eſt, vel quia alio loco ſoluere tenetur. De plus peti. c. vnico. Dilatoria exceptio ante litis conteſtationem opponenda eſt,& probanda. C.de Procu.l. ita demum. Aduocatus enim dilatoriam exceptionem proponens poſt litis conteſtationem,punitur in vna libra auri. C.de excep. l.penult.Notum eſt,Reum excipiendo fieri Actorem. EXCEPTIONES.

XIII.

Replicatio,eſt exceptio competens Actori contra Rei exceptionem,vt ff.de excep.l.2.& c.eo, l.non exceptionibus.contra hanc defenſionem datur Duplicatio, & Triplicatio. REPLICATIONES.

XIV.

Libello oblato ab Actore, Reus, ſi velit reconuenire, porrigit ſimiliter ante litis conteſtationem libellum reconuentionis. De mu. pe. c. 1. Qualiter in reconuentione procedatur, vide ibid. Fieri autem non poteſt reconuentio apud quemlibet Iudicem, coram quo fit conuentio principalis. Extr.de mu.pe. c.1. & 2. Actori nolenti reſpondere Reo conuenienti, Iudex denegabit audientiam in cauſa ſua. De iur. calum. c.fi. Præterea, laicus Iudex, in cauſis Eccleſiaſticis, RECONVENTIONIS non poteſt eſſe Iudex. Item,in cauſis criminalibus, reconuentio non habet locum. Vide Panorm. in c. At ſi Clerici, de Iudic. RECONVENTIO.

XV.

Conteſtatio litis,eſt principalis negotij apud competentem Iudicem facta narratio, & ad eam ſequuta reſponſio, vt li.con.c.vnico. C.de Iudic. LITIS CONTESTATIO.

Aduocati Actoris properant ad litis conteſtationem, quia ex hoc fit melior eius conditio. C.in qui.cau. NB.

reſti.in inte. non eſt neceſſ. l.in minori. C. de Iudic. l. 1. Aduocati verò Rei tardant, in quantum poſſunt: qui a per eam claudunt viam multis allegationibus, & diffugijs.

XVI.

IVRAMENTVM. Poſt litem conteſtatam præſtatur IVRAMENTVM, quod in iudicio eſt quadruplex: Deciſorium, De malitia, Iuramentum veritatis, (quod præſertim in cauſis Eccleſiaſticis exigitur,) & Iuramentum CALVMNIAE: quod habet quinque Capitula. Vide Gloſſ. in c. 1. de Iurament. calum. Calumniæ autem iuramentum ideo præſtatur, ne quis ſcienter iniuſtè agat, vel reſiſtat.

XVII.

Dehinc fit progreſſio ad POSITIONES, quæ ſunt breues formulæ verborum, mentem ponentis continentes, ad veritatem eliciendam conceptæ. ff. de Lega. l. offendimus.

POSITIONALES. Eſt graue onus probandi per teſtes, & commodius eſt aduerſarium ad onera petitoris, per POSITIONALES articulos compellere. ff. de rei vend. l. is, qui deſtinauit. Nam facilius fiunt Confeſſiones, quàm teſtium productiones. De teſtib. cog. c. ſuper. Et confeſſus pro iudicato habetur, per iura vulgata. Poſitionales autem iſti articuli non debent eſſe ſuperflui, ſed prudènter, ac dextrè ex viſceribus cauſæ eruti.

XVIII.

CONFESSIONES. Qui CONFITETVR Poſitiones, à Iudice pro conuicto habetur ff. ad leg. Aquiliam, l. proinde. Si verò negantur, petitur terminus ad probandum. In CONFESSIONIBVS hiſce cautelis opus eſt. Non valent eæ primò, ſi fiant metu mortis, quod me. cauſ. c. 1. Secundò, ſi fiunt per errorem. De confeſſ. c. fi. Tertiò, ſi fiunt pro ſe. C. de proba. l. exemplo.

XIX.

Proximus locus datur Probationibus. Nam Actore non

Digitized by Google

non probante, Reus, & ſi nihil præſtiterit, abſoluitur. C. de eden. qui accuſa. Eæ fiũt, per CONFESSIONEM partium, literas & inſtrumenta, EVIDENTIAM FACTI, INSPECTIONEM OCVLORVM, PRAESVMPTIONEM, FAMAM, Iuramenti delationem, antiquos libros, (de probation. c. cùm cauſam,) LITERAS SIGILLATAS (extra de teſtib. c. cùm à nobis) Publicarum perſonarum denuntiationem, & iudicia indubitata. In fama, cõſideratur communis opinio, notoria, manifeſta, occulta, & penè occulta. PROBATIONES.

XX.

In examine Teſtium, qui admittuntur ad probandum, conſideratur eorum CONDITIO, SEXVS, AETAS, DISCRETIO, INTEGRITAS morum, FORTVNA, AFFECTVS ANIMI, FAMA bona aut mala, Cognatio vel Affinitas, &c. TESTIVM EXAMEN.

Deinde, defertur ipſis Iuramentum de veritate dicenda præſente Aduerſario. Et ſi nolunt iurare, tenentur. Nam teſtificari munus eſt publicum & neceſſariũ. ff. Quemadmodum teſtam. aper. l. cùm. Præterea, teſtium examen fieri debet ſeparatim, (De teſtibus c. venerabili.) Et plurimum vtile eſt producẽti teſtes, dare articulos, ſuper quibus intendit eos quis producere.

Dehinc, ex aduerſa parte producuntur INTERROGATORIA: in quibus CIRCVMSTANTIAE FACTI & PERSONARVM accuratè obſeruandæ ſunt. INTERROGATORIA.

XXI.

Iam dicta teſtium publicantur. Et admittitur Aduerſarius ad dicendum contra Perſonas & dicta teſtium. Notandum tamen, quòd ante teſtium publicationem, & poſt, tam dicta, quàm perſonæ teſtium, poſſunt per alios teſtes legitimos reprobari, dummodò id ante ſententiam fiat. De probationibus, c. licet. Qua in re multum valent PRAESVMPTIONES. PVBLICATIO TESTIVM.

XXII.

PRAESVMPTIONES.

Præſumptio TEMERARIA eſt, quæ ſurgit à malis hominibus, & maleuolis, ac ex cauſis vilibus, & leuibus. extr. de re iudic. c. 2. Iudicis Præſumptio dicitur PROBABILIS, quæ prouenit ex multis cauſis, & ſuſpicionibus, fama ſuper his creſcēte, quæ inducit purgationem. Extra de Purgat. c. Si quis.

VIOLENTA ſurgit ex veriſimili probatione, & dicitur PRAESVMPTIO IVRIS, quando Ius PRAESVMIT. ff. de Pactis, Poſtquam.

NECESSARIA Præſumptio dicitur illa, quam communiter vocant Iuriſconſulti, ET DE IVRE. vt text. de Sponſa. ad id quod, & in Auth. vt l. matri.

XXIII.

IVRAMENTVM.

Vbi nulla probatio plena ſuppetit, Iuramentum exigitur ad ſupplementum probationis. Vbi notandum, quòd ſi cauſa aut plenè probata eſt, aut minimè probata, nullum, SECVNDVM CANONES, deferri IVRAMENTVM. c. fin. de Iureiur.

NB. Adhæc præſcribunt Canones, vt in ciuilibus, vulgaribusq; controuerſijs, IVDEX non facilis ſit ad deferēdum iuramentum, vel potius id omninò recuſet; ne via aperiatur ad multa PERIVRIA committenda.

XXIV.

SENTENTIA.

Extremus actus Iudicij eſt SENTENTIA IVDICIALIS, quæ controuerſiæ finem imponit, condemnationem vel abſolutionem continens. ff. de rei iud. l. 1. C. eo praſes. Ea differt ab INTERLOCVTORIA: nam hæc fertur inter principium cauſæ, & finem, non ſuper principali, ſed ſuper incidētibus quæſtionibus, vel emergentibus. vt de offic. deleg. c. Significantibus.

XXV.

APPELLATIONES.

APPELLATIONES fieri in quibuſdam caſibus non cōceditur; nempe, ſi res dilationem non capiunt: ſi appellationi tacitè vel expreſsè renuntiatum eſt: & ſi Appella-

Digitized by Google

pellatio pro præſidio iniquitatis captatur. Tum ab arbitris non appellatur.

Appellatio autem cauſam grauaminis proponere oportet; vtq; ea ſit vera.c.dilecto.Extr. de Appellation. Tum fieri debet viua voce, aut intra 10.dies. Apoſtoli autem debent peti infra 30.dies.ext.de Appell.c.cordi. Ij diuiduntur in Conuentionales, Teſtimoniales, Dimiſſorios, Reuerentiales, & Refutatorios. APOSTOLI.

Cæterùm in confeſſo eſt, regulariter infra annum, vel ex iuſta cauſa biennium, debere Appellationem exerceri. C.de tempo.Ap.Extra de Appellat. c.conſtitutus.Item, pendente Appellatione nihil innouandum eſſe. ff. nihil inno. appell.interpo. l.vnica,C. eod.lib.3.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM LIbri Secundi THEOLOGIAE Iureconſultorum.

PROOEMIOLVM. *pag.* 1.

CAP. I. PROLEGOMENORVM.

De Definitione LEGIS *in genere, & Legis diuinæ ac humanæ præcipuis proprietatibus, & quatuor* CAVSIS. *In quibus documentis conſentiunt Leges & Canones.* 4

II. *De Diſſenſione Legum & Canonum circa definitionem ac proprietatem Iuris ſeu Legis* NATVRALIS; *& an cadat in eam* DISPENSATIO. 8

III. *Cur præter Legem Naturalem, Euangelicam, & Diuinam Politicam veteris Teſtamenti, neceſſaria fuerit Lex poſitiua: Item de Iure* GENTIVM, *quod fluit ex Lege Naturæ: Item Legem* POSITIVAM *eſſe duplicem,* CIVILEM, *&* CANONICAM, *ſeu Eccleſiaſticam.* 10

IV. *Leges* CIVILES *ad optimum Regimen Reipublic. commodas & neceſſarias eſſe ob ſeptē Rationes: eaſq; in* CONSCIENTIA *obligare, varijs argumentis demonſtratur; & quatuor obiectiones Sectariorum, Vigelij, & Lagi Ireconſ. refelluntur: Item explicatur Scopus Chriſtianæ* LIBERTATIS. 12

Hic primus præcipuus Locus eſt Theologiæ Iureconſ. *ibid.*

V. *Concordia & diſcordia Canonum & Legum circa* STATVTA: *& an* EA *contra ius diuinum condi poſſint ac valere.* 17

Hic eſt Locus ſecundus præcipuus THEOLOGIAE IVRECONSVLT. *ibid.*

VI. *In quibus punctis conſentiant aut diſſideant Leges & Canones circa* CONSVETVDINES. 20

Tertius præcipuus Locus THEOLOGIAE Iureconſult. *ibid.*

VII. *Eccleſiaſtica & Politica Poteſtas quomodo conueniant, & diſcrepent: & hanc illi varias ob cauſas* SVBIECTAM *eſſe, ab eaq;* REGI: *& vbi deflectit,* CORRIGI POSSE *ac* DEBERE. 23.

Hic FONS eſt CANONVM Pontificiorum, atque IV. præcipuus Locus THEOLOGIAE Iureconſ. *ibid.*

VIII. *Ad Regimen Eccleſiæ & tranquillitatem* CONSCIENTIAE, *præter Leges veteris & noui Teſtamenti neceſſe fuiſſe condi* CANONES; *quorum origo, diſcrimina, & diſtributio ex obiectis percenſentur.* 26

IX. CANO-

Digitized by Google

IX. CANONES *Eccleſiaſticos obligare in* CONSCIENTIA, *etiam citra contemptum & ſcandalum, multis comprobatur argumentis, & Respondetur futilibus Obiectiunculis tribus Matthæi VVeſenbecij Iureconſ. Item, an Ignorantia in præuaricatione Legum excuſet, nec ne.* 28
Hic V præcipuus Locus eſt THEOLOGIAE Iureconſ. *ibid.*
X. LEGES *non ſeruandas eſſe in foro* CONSCIENTIAE *in vndecim caſibus; & nonnunquam actus contra Legem geſtos reſcindi ipſo iure.* 32
VI. Locus Theologiæ Iureconſ. *ibid.*
XI. SEPTEM CAVSAE, *cur Leges* CIVILES *Eccleſiæ Canonibus debeant cedere, & ab* IIS CORRIGI, *ac* ABOLERI. 35
VII. Locus THEOLOGIAE IVRECONS. *ibid.*
XII. *In quibus Caſibus Pontifex Rom. contra* LEGES DISPENSARE *queat: Item* DISPENSATIONIS *Requiſita percenſentur; & penes quem ſit Leges* INTERPRETARI *declaratur.* 38
VIII. Locus THEOLOGIAE Iureconſ. *ibid.*
XIII. *De ſpeciebus, interpretatione, & amiſſione, & conceſſoribus* PRIVILEGIORVM, *(quæ ſunt Legum relaxationes) Canones & Leges conſentientia docere.* 40
HACTENVS PROLEGOMENA.
XIV. *A quo vſq; ad* CAP. XXVII. *tractatur de* IVRE PERSONARVM, *&* PRIMO *de* CLERICIS. *De ordinatione, ſtatu, qualitatibus, officio, virtutibus & vitijs* Clericorum *Canones & Leges in* XIII. *punctis* CONSENTIENTIA *docere.* 42
IX. Locus præcipuus THEOLOGIAE Iureconſ. 43
XV. *De* CONSENSV *Canonum & Legũ,* CLERICOS SEDECIM PRIVILEGIIS *gaudere. De alijs vide lib. 4.* 45
X. Locus præcipuus Theologię Iureconſ. *ibid.*
XVI. *Circa Electionem, ſtatum, officia, & priuilegia* EPISCOPORVM, *Canones & Leges* CONSENTIRE *in vndecim Punctis.* 49
XI. Locus pręcipuus THEOLOGIAE Iureconſ. *ibid.*
XVII. *De Priuilegijs, pietate erga parentes, hæreditatibus, bonis, ſucceſſionibus, & paupertate* MONACHORVM XIX. *Puncta. In ijs potioribus & pluribus conſentiunt; at in pauculis diſſentiunt Leges & Canones.* 51
XII. Locus præcipuus Theologiæ Iureconſ. *ibid.*
XVIII. *De Libertate, Manumiſſione, Patria poteſtate, & Obſidibus, partim conſentire, partim diſcordare Canones & Leges.* 57
XIX. DE MATRIMONIO. *Leges & Canones in* GRADIBVS *conſanguinitatis & affinitatis ſuper Matrimonijs contrahendis, & vtraq;* ARBORE *partim conuenire, partim diſſidere.* 60

Digitized by Google

XIII. Locus præcipuus THEOLOGIAE Iureconſ. *ibid.*

XX. *Cur cognitio cauſarum Matrimonialium Epiſcopis delegata fuerit: & in quibus punctis, circa Sponſalia contrahenda aut diſſoluenda, Canones & Leges conueniant.* 64

XXI. *De concordia & diſcordia Canonum & Legum circa conſenſum Matrimonialem, &* INCESTAS *nuptias, earumq́;* EFFECTVS. 66

XXII. *Canones & Leges conuenire & diſsidere in* MODIS, *quibus contrahuntur inutiles nuptiæ; at in earum* EFFECTIBVS *conſentire.* 69

XXIII. *Canones contra Leges rectè iudicare, ad ineunda coniugia* CONSENSVM *parentum non* NECESSARIVM *eſſe; at eum* EXPEDIRE, *vtrinque ſapienter deciſum eſſe. Item reſpondetur Sectariorum obiectionibus.* 71

APPENDIX *Ad* CAP. XXIII. *De adiunctis Matrimonij. De priuilegijs & proprietatibus* DOTIVM: *Item de ſtatu & onere liberorum* LEGITIMATORVM, *& quis Legitimare queat: Item de* DIVORTIIS *partim conuenire, partim diſſentire Canones ac Leges.* 73

XXIV. *De* CONCVBINATV *&* ILLEGITIMORVM *Liberorũ ſtatu, & conditione, & Legitimorum commodis.* 79

XXV. *In deciſionibus, quæ de* IVDAEORVM *ſtatu, conditione, pœnis, oneribus, & exercitio nefanda* ἐθελοθρησκείας *(vt ſcitè D. Paulus nominat) afferuntur,* CONSENTIRE *Ius Canonicum & Ciuile.* 81

XXVI. *De Actionibus quarundam perſonarum; Iure* DEFENSIONIS *&* BELLIS, *eorumq́; iuſtis conditionibus; Item de* METV, VI, *Duello, Libera vel coacta voluntate, ac in quibus actibus* LIBER CONSENSVS *requiratur.* 84

XXVII. DE IVRE, *quod in* REBVS *conſiſtit, & Primò,* DE ECCLESIIS, *earũq́; duob. & quadraginta Priuilegijs.* IN OCTODECIM ECCLESIARVM PRIVILEGIIS *Ius Canonicum & Ciuile dulci conſenſu probè ſibi inuicem conſtare. Hinc conſtat huius Capitis, vt & duorum ſequentium Capitum Eccleſiarum Priuilegia, non à ſolis* PONTIFICIBVS ROMANIS *& Clericis conficta eſſe; vt Sectariorũ Iureconſ. ementiuntur.* 88

XIV. Locus precipuus THEOLOGIAE Iureconſ. *ibid.*

XXVIII. *De alijs Eccleſiarum* PRIVILEGIIS, *quæ in* ALIENATIONIBVS *&* PRAESCRIPTIONIBVS *bonorum: Item* LIBERTATE, *&* IVRE PATRONATVS, *ac Donationibus conſiſtunt.* 93

XXIX. *De ſeptem alijs Eccleſiarum* PRIVILEGIIS. 97

XXX. *De* PRIVILEGIIS *omnium piorum Locorum: &* DECEM *alijs Eccleſiarum Priuilegijs, ſecundùm Canones.* 101

XXXI.

Digitized by Google

XXXI. Ius Canonicum ac Ciuile, in XV. Regulis de acquirendo RERVM DOMINIO, ac in doctrina de VENATIONIBVS conſentire. 105

XXXII. De modis acquirendi rerum Dominia in ſpecie. De Bona & mala fidei poſſeſsionibus, ac EMPHYTEVSI Eccleſiaſtica, ac priuata, Canones & Leges partim cõſentire, partim diſſentire. 106

XXXIII. De FEVDIS conſentire Leges & Canones; at in pauculis diſcrepare. 118

XXXIV. De Proprietatibus, ac Requiſitis PRAESCRIPTIONVM, partim conſentire, & partim diſſentire Leges & Canones. 127

XXXV. De DONATIONIBVS in genere, & Eccleſiaſticorum in ſpecie, nullam eſſe inter Leges & Canones diſcrepantiam 131

XXXVI. Vndecim ANTINOMIAE Canonum & Legum, circa Tractationem TESTAMENTORVM, & HAEREDITATVM, quæ Clericos concernunt: At in alijs Theorematibus nullam eſſe diſſenſionem. 135

XXXVII. De SVCCESSIONIBVS & HAEREDITATIBVS in genere, & CLERICORVM in ſpecie. 140

XXXVIII. Documenta Canoniſtarum de LEGITIMA Liberorum magis æqua eſſe, quàm Legiſtarum. 146

XXXIX. Diſſenſionem eſſe in duobus caſibus circa LEGATA: At Conſenſionem, de FIDEI COMMISSARIIS HAEREDITATIBVS, & ARROGATIONE. 149

XL. De OBLIGATIONIBVS (quæ ſunt cauſa ACTIONVM) in genere partim concordiam, partim diſcordiam eſſe. 153.

XLI. De CONTRACTIBVS, nempe PROMISSIONIBVS & PACTIS. 156.

XLII. De CONTRACTV MVTVI, & de VSVRAE CRIMINE, CASIBVS & CAVTELIS, quibus deuitari queat: Item de damno emergente, & lucro ceſſante: Item impugnatio Legiſtarum, qui vſuras exerceri permittunt; eaſq́; de omni iure eſſe ILLICITAS. 160.

XLIII. De alijs Contractibus, ceu Commodato, Precario, Depoſito, & Pignoribus. 168

XLIV. De Caſibus, circa EMPTIONES & VENDITIONES incidentibus, & concordare, & diſcordare Canones ac Leges. Item de CENSIBVS Perſonalibus, & Realibus, & Vſuris, quæ in hunc contractum incidunt. 172

XLV. Non diſcrepare vtrumque Ius in Caſibus MANDATI, FIDEIIVSSIONVM, & LOCATIONVM, incidentibus. 179.

XLVI. De DELICTIS Publicis ac priuatis, & primùm de FVRTO, reſtitutioneq́; rerum ABLATARVM. 184

ee 2 XLVII.

XLVII. *De ſpeciebus Furti* QVINQVE, *earumq́; pœnis, quas ſtatuunt Canones ac Leges. Item de mulctis* VSVRARIORVM. 187
XLVIII. *De Adulterij, Stupri, Raptus, ac Inceſtus caſibus, & pœnis, partim conuenire, partim diſſidere Leges & Canones.* 190.
XLIX. *De* FORNICATIONE *in genere,* CONCVBINATV, *pœnis* RAPTORVM, *& Beſtialitate.* 195
L. *In Caſibus circa* HOMICIDIVM *& conuenire, ac diſſentire Canones & Leges.* 198
LI. *De conſenſu ac diſſidio Canonũ ac Legũ circa crimina* MAGIAE, SORTILEGIORVM, PERIVRII, INCENDIORVM, SEDITIONIS, CRIMINIS FALSI, *&* VIOLATIONE *Sepulchrorum.* 201.
LII. *In* PROCESSV *Iudiciario, (in quo* ACTIONES *exercentur) conſentire Canones ac Leges.* 206.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

by Google